8596 9

ELENCHUS
Motuum Nuperorum
IN
ANGLIA,
Simul ac
JURIS REGII
& *Parlamentarii* brevis Enarratio,

Ab Authore
Georgio Bateo, M. D.
Regiæ Majestatis Protomedico,
& Collegii *Londinensis* Socio,

Recognita & Aucta

Æræ Christianæ Anno 1663.

Londini,
Typis *R. W.* pro *R. Royston*; & Prostat venalis apud *J. Martyn*, *R. Chiswell* & *B. Tooke in Cœmeterio S. Pauli.*
1676.

x942.06
B31e
1676

AUGUSTISSIMO

CAROLO SECUNDO

Magnæ Britanniæ,

Franciæ & Hiberniæ

REGI.

Sereniſſime Regum,

EO impudentiæ à nuperis Perduellibus devenerat, ut non ſatis habuerint atrociſſima perpetrare ſcelera, ni & Flagitia Virtutum ſpecie Orbi obtruderent, & immane Regicidium, quaſi bono publico, juben-

te populo, & *secundum* Patrias Leges *peractum venditarent. Nec eo in negotio (quà Emissariis in omnes* Provincias & *Regna amandatis, quà conductitiis scripturientium calamis) leves progressus fecerant: dum inter tot Probos juxta & Doctos quorum intererat, (quasi plerique malorum atrocitate obstupescerent) pauci remoram injecerint. Horum Taciturnitatis, & Illorum Scelerum impatiens, Ipse* Apologiam *sermone vernaculo scriptam è tenebris submisi, quâ apud* Indigenas *convitia diluere conabar quæ* Rebelles *evulgato programmate Parricidio proludentes* Serenissimæ Majestati *inusserant: & post perpetratum Scelus,* Hoc *qualecunque* Opusculum *edidi, quod apud* Exteros *veritatem e-*

lucidando,

lucidando, hominum Propudiis *Personam detraheret. Utrumque tristissimis in temporibus (quando verum profari, vel* Majestati *præstare fidem, Perduellionis crimen erat) sine* Patre, *sine* Patrono *in publicum emanavit. Jam verò jubare* Solis *Vestri propinquiore refocillatus, auctior* Elenchus *cum* Authore *in scenam prodire gestiens, pro* tribunali Majestatis *sese sistit, & veniam precatur quòd Tua tempora tam tenuis Strena moretur: quam si indulgere digneris, meditatur* Author *parili historiolâ Tuæ* Majestatis *premere vestigia per Stupendos* Providentiæ *Mæandros, quibus, perruptis obstaculis quibuscunque, citra sanguinem ad avita* Regna *&* Anglici Imperii *culmen* Divina benefi-

centia *Tuam* Majestatem e-*vexit*, *quæ diu Te servet incolumem*, Christiani Decus Orbis, *& humani generis* Delicias: *ita* Numen *obtestatur*

Majestatis Vestræ

Subditorum & servorum

humillimus,

GEORG. BATEUS.

Lectori.

IN isto qualicunque *opusculo* ea prælibavi quæ *Regis, Senatûs, Populique Jura* quasi *Imperii fines* inter se dirimant; ùt *Jurâ Factis* conferendo, possis *Lector* idem & *Arbiter* nostris intercessisse dissidiis. Dein *Motuum Causas, Incrementa, Finémque*, (si futuræ Calamitatis gradum sic appellare liceat) atque *Regicidium*, summas tamen horum apices, & quasi Iliada nostram brevi in membrana perstringendo, descripsi.

De bellicis tamen consultò mentionem intermisi, nè ulceribus propriis refricandis diùtius immorarer; nè insuper studio partium in perversum abriperer; præsertim verò nè multifaria, & diversis in locis simul gesta, vel manca memorari opus foret, vel libro non uno contineri.

In utrisque loquor, non modò ex *Fide*, sed ex familiari rerum *Consuetudine*. *Illis* attestantur *Archiva, Rotulæque Parlamentariæ*, & *Optima Jurisconsultorum monumenta*. *Hæc* quò melius perspicerem, in proscenium & post siparium sæpe admissus sum. *Eadem* quin *verè* referam nulla impedit animi ægritudo, vel *Horum* gratia, vel *Illorum* odium. *Solonianæ* legi obnoxius esse malui, quàm Civilibus incendiis frigidam suffundere.

Sub hujus *Tragœdiæ* finem, rerum atrocitate motus concepit flammas Animus & incaluit Calamus;

Calamus; ſed intra veritatis metas religiosè ſe continuit, & ſcelera Authoréſque nefarios mitiore ſtylo quàm par erat perſtrinxit.

Tractatulum hunc plus quàm duodecim anteactis annis in publicum expoſui, ut *Alios*, quibus plus Otii & peritiæ in Civilibus ſuppetebat, ad juſtam hiſtoriam adornandam excitarem, & interim *Exterorum* Siti Noſtratia cognoſcendi parumper ſatisfacerem. In quibus, an quid præſtiterim, penès alios judicium eſto. Id certè, ſerenâ fronte & ambabus ulnis plurimos Ingenioſos juxtà & Doctos excepiſſe, ſcio. Et Horum gratiâ de novo Auctior in ſcenam prodiit *Primæ partis Elenchi* titulo, præcurrens ſtupendis rerum Converſionibus in *Anglia*, quas *Secundâ parte* brevi propalare calamus aggreditur.

GEORGII BATEI,

M. D.

SED nondum hæc quæ nunc tenet Seculum Negligentia Deûm venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum & Leges aptas faciebat, sed suos potiùs mores ad ea accommodabat.

Virg.

——Rege incolumi mens omnibus una est:
Amisso rupêre fidem, constructáque mella
Diripuere Ipsæ, & crates solvêre favorum.

Proph. Hoseæ cap. 10. v. 3, 4.

Certè mox dicturi sunt, Non est Rex nobis, quia non timuimus Jehovam. Rex igitur quid nobis prodesset?

Loquuntur verba dejerando, mendaciter

mendacitur feriendo Fœdus: quapropter adducam contra ipsos quasi capita Serpentum maleficorum, Judicium mendaciorum supra terminos agrorum.

Jerem. cap. 12. v. 1, 2.

Justus es, Jehova, si contendere tecum velim: veruntamen eloquar. Cur via Improborum succedit? cur tranquilli sunt qui agunt perfidè? Tu plantas eos & radicantur: Pergunt & edunt fructum, quorum in Ore propinquus es, sed longinquus à Renibus eorum.

Imprimatur. 6to *Aprilis*, 1663.

WILL. MORICE.

Elenchi

Tabula Memorabilium.

A

ABnegationis Decretum 67
Academiæ viſitatæ 69
Adjutatores, 71, 76, 78, 86. in ordinem redacti 82
baſilica Alba 23, 115
Allegiantia 2, 9
Anabaptiſtæ 62
Archiepiſcopus Cantuarienſis, Gulielmus Laud, 18. accuſatus, 20. capite plectitur, 49. ejus Scripta adverſus Fiſherum 115
Argathelius Marchio 88
Auriacus Princeps, 107. ejus filius Caroli Regis filiam ducit 31

B

BRadſhaw Regicidarum Præſes 106, 108, 125, 126
Buckinghamiæ Dux 86
Buckinghamienſes 31
Burghilius 108

C

CAmera depicta 11
Camera ſtellata 25
Cantiani, 23, 31. arma movent 86
Cæſaris-burgum 81, 125
Capel Baro capite plectitur 125

A

Carleolenſis Comitiſſa carceri data 124
CAROLUS I. Princeps, 61. Rex, ibid. contra Scotos movet, 18, 19. in Scotiam venit, 28. Londinum redit, ibid. quinque Plebeios læſæ Majeſtatis poſtulat, 30. Windeſoriam ſe ſubducit, 31. Eboracum tendit, ib. Scotis ſe tradit, 57. Anglis traditur, 58. Holdenbii cuſtodiæ datur, 59. à militibus abripitur, 72. ſubducit ſe in Vectim Inſulam, 78. in cuſtodiam detruditur arctiorem, 81. commercium cum eo interdictum, 82. ſeſe à convitiis Novatorum purgat, 85. Decretum de Rege non adeundo reſcinditur, 88 89. Colloquium cum eo inſtituitur, 89. plurima concedit, 95. quæ Paci ſtabiliendæ fundamentum idoneum decernunt comitia, 102. in Hurſt Caſtellum defertur, 101. coram Regicidis ſiſtitur, 109, 110, 111. capitis damnatus, 113. liberis valedicit, 115. capite plectitur, 118. ejus Scripta elegantiſſima, 120, 121. Virtutes ibid

D

CAROLUS II. Princeps, 22, 31, 86, 107, 115. Rex 107, 122.
Chriſtocratici 62
Clotworthius 40
Colceſtria 87
Concionatores 38,76,107
Cookius 108
Cookius Regicida 106
Cornubienſis clades 66
Cromwellius, 57, 68, 71, 78, 81, 82, 119. Scotos cædit, & in Scotiam perſequitur 88, 89

D

Denbighanus Comes 81
Directorium 50, 62
Doriſlaus 107
Downius 112
Dublinia, 40. obſidetur 46

E

Eboracenſis Dux 115, 122
curia Eccleſiaſtica 25
Elizabetha Regina 12
Elizabetha Caroli Regis filia, 115. moritur 124
Epiſcopi duodecem accuſati 21
Epiſcoporum fundi venduntur 52
Epiſcopus Londinenſis, 113, 117. Theſaurarii munere ſeſe abdic. 25
Eſſexienſes 31, 86
Eſſexius Comes 57, 66, 67

F

F

Fairfaxius Baro Ferdinandus, 67. Thomas filius Exercitûs Præfectus, 67, 70, 98, 99. Anglic. & Hiberni 76. ejus luxor Heroica 109
Finchius Sigilli Cuſtos 21
Fœdus Scoticum 52, 53, 54, 62

G

Jus Gladii 3
Gloceſtriæ Dux Henricus, 115, 116. in exilium miſſus 125
Grevius 72
Gurneus Londini Prætor 31

H

Hamiltonius Jacobus 43
Hamiltonius Marchio, 61 in Angliam Scotos ducit, 56 captus, 88. capite plectitur 125
Hammondus Vectis Inſulæ præfectus 78
Hamptoniæ Regia 28, 93, 125
Henderſonus 58
Hertfordiæ Marchio 35, 39, 107
Hiberni, 20, 129. conjurati, 39 cum iis induciæ 46
Holdenby 59
Hollandiæ Comes, 30, 86. capite plectitur 125
Hookeri Eccleſiaſtica Politia 115

Hothamus

I

Hothamus Hullam occupat, & Regi portas præcludit, 34. capite plectitur, ibid. & 49
Hurſt Caſtellum 101

I

Jacobus Rex 61
Jejunia indicta 12,49
Inchiquinius Baro 46,47
Independentes 51,53,62,65
Joneſius Dubliniæ Præfectus 47
Itetonus Cromwellii gener, 68,98,105. Remonſtrantiam cudit 99,101,102
ſuprema Juſtitiæ Curia 107

L

Langdalius 87
Leges 4,5
Leges ſanciendi modus 11
Lenthalius Orator, 66,102. ad Caſtra fugit 74
Littletonius Sigilli cuſtos 53, 93
Liturgia 18,49,59,62
Londinenſes 33,37,74,75,98
Londinenſis Epiſcopus, 113, 117, 118
Londinenſis Prætor 31,75,123
Londinenſis Turris 75
Lovius ſecuri percuſſus
Lyndiſiæ Comes 107

M

Macquire Baro Rebellis, 40. ſuſpendio perit 41
Macmahon 40
Mancheſtriæ Comes 56
Maria Regina 22,3,115
Marſhal 70
Mercurii 69

M

Mildmaius 125
Militia 3,32
Miltonus 120
Modulus novus 67
Monarchia Angl. 1
Monarchiæ temperamentum 14
Montiſroſanus Comes, Scotiæ Prorex 56

N

Neocaſtri Marchio 39
Neocaſtrum, 59. à Scotis captum 19, 56
Neoportus 94
Newburiæ prælium 56
Novatorum origo 59. artes, 16, 20,23,27,29, 33,48,60,61,63.

O

Orator inferioris conſeſſus 10,16. *vid.* Lenthalius.
Ormondiæ Marchio, 46, 47. Galliam petit, 47. Prorex in Hiberniam miſſus, ibid. 94,97
Oxonienſe Judicium 55

P

Palatinus Rheni-Fredericus, 61
Carolus Ludovicus, 30. Rupertus & Mauritius 91
Parlamenti Privilegia, 6, 11, 14,15. Superioris Conſeſſûs, 12. Inferioris 10,11,13,14
Parlamentum indicitur, 19. dirimitur, *ibid.* iterum indicitur, 20. triennio quocunque indic. 26. ſine utriuſque Conſeſſûs conſenſu non abrog. 27
Parlamentum Hibern. 19
Parlamentum Oxonii 55,92

P

D. Pauli Templum 120, 125
Pembrochia 87
Hugo Peters, 99. flagris cæsus 108
Plunkettus 43
Pontefracti Castrum 87
Presbyteriani, 51, 54, 58, 62, 71, 74, 107
Presbyterianum Regimen 50
Prestonus 47
Prolocutor 12
Propositæ Pacis 45, 64, 77, 79, 89, 97, 115
Gulielmus Prynn 103
Pupillorum cura, 2. Curia 25
Puritani 62

R

RAinsborius Classi præfectus, 76, 86. Doncastriæ cæsus 87
Regis Prærogativæ 2, 14
Remonstrantia Inferioris Consessûs, 29. Exercitûs 100
Rescripti ad Proceres formula, 7. ad Vicecomites 8
Richmondiæ Dux 107
Owenus Row 46, 47
Rolphus 77

S

SAnctjonesius J. C. 126
Sarisburiense Templum 125
Scoti seditiosi, 18. Bellum parant, 19. Angliam invadunt, *ibid.* recedunt pecuniis onusti, 28, 58, 76. Rebellantibus Anglis auxiliantur, 46, 48, 55. Regem vendunt, 58. Angliam denuo invadunt, 86. à Cromwellio cæsi 87
Skipponus 70
Southamptoniæ Comes 35, 103
Stannariæ Curia 26
camera Stellata 25
Straffordiæ Comes, Hiberniæ Prorex, 19. accusatus, 20, 21. lege latâ damnatus, 22, 24, 35, 42, 117
Subsidia 19
Suprematûs juramentum 2, 9
Surrienses 86
Synodi 12
Synodicus confessus 49

T

TAffus 47
Johannes Temple Conjurationem Hibernicam scripsit 41
Thamesis fluvius 33, 54
Tina fluvius 19
Tumultus plebeii, 22, 23. militares, 71

V

HEnricus Vane 102
Vectis Insula 47, 77, 94
Verius Baro 109

W

WArwicensis Comes, 123 Classem occupat 37, 88
Westmonasterienses Aula, 30, 40, 109, 127
Westmonasterienses Templum 23
Winconiensis Marchio 91

FINIS.

ELENCHI

Motuum Nuperorum

In *ANGLIA*,

PARS PRIMA.

Jus Regis apud Anglos.

ANGLIÆ *Regnum* non aliâ quàm *Regis* Autoritate ab ultima Annalium memoria fretum, (etsi in plura *Regna*, dicam, an *Castra?* divisum) non priùs ab intestinis Motibus aut exterorum Incursibus respirare potuit, quàm in unius Monarchæ obsequium & clientelam conceserit.

penes unum Monarcham annos ultrà mille,

Ex eo, summâ in posterum autoritate, annos ultra mille perpetuâ *Regum* serie regnatum est. Is subinde *Populum* incessit unius *Principis* amor atque observantia, ut eum fore optimum & dignissimum Imperio facilè existimaverit, qui sanguine *Regem* propiùs attingeret, nec alio quàm Natalium merito & hæreditario Successionis jure, placuit rerum summam nascenti, non ambienti, deferre. Demortui statim in Solium, velut in Cunas, *Regius* quantumvis *Infans* transfertur. Hâc quasi immortalitate quadam Regnandi, jactitant ferè Leges, *Regem Angliæ nunquam intermori.*

eúmque hæreditarium,

& nunquam intermoriem.

Huic omnes Fidelitatis Sacramento tenentur

Quin legitimo *Principi* necdum inaugurato tenentur ex veteri instituto omnes omnino subditi

diti duodecennes, fide peculiari (*Allegiantiam* Juriſtæ vocant) *Omni, Soli & Semper*, etiam aſtricti Juramento; útque ad officium accederet geminata parendi religio, alterum adhuc *Supremaſûs* Sacramentum Regi dicendum eſt.

& Supremaſûs.

Deprecari mihi hîc par eſt Lectoris faſtidium, ſi, in ipſo *Elenchi* limine, ſtatim ducatur ad *Regis* (ut loquimur) *Prærogativas*, *Parlamenti Privilegia*, *Populi Libertates*; Rem (vereor) noſtratibus tædio futuram, verùm Lectori (cui iſta ſcribimus) peregrino, nec non Operi quod modò edimus, ferè neceſſariam: nec enim aliter, quæ aut à quibus violata ſint *Jura*, vel integrè obſervata, conſtabit.

Regis Prærogativæ ſeu Inſignia Majeſtatis præcipua & Regalia Regi ſoli competunt.

Primò, quantam in Vitas & Fortunas ſubditorum Rex Poteſtatem habeat (& habet ſanè plurimam) ex eo intelliges, quòd *Patrimonia Regi* accepta ferant, mediatè vel immediatè; hoc eſt, *Feodali* ſive *Fiduciario* Jure Prædia omnia & Fundos poſſideant, quotquot poſſident, *Regis* magis quàm fortunæ munere locupletati.

Ut omnes fundi & poſſeſſiones ab eo deriventur; & ad eum redeant.

Regis proinde ad fiſcum refluunt, tanquam ad Oceanum ſuum, Opes, quoties defecerit Hæredum ſeries, aut poſſeſſores jure ſuo per *Feloniam*, *Homicidium*, *læſámve Majeſtatem* exciderint.

Pupillorum & Idiotarum curam habeat;

Penès *Regem* (ut *Patriæ Pater* jure audiat) *Pupillorum* & *Idiotarum* cura omnis, ut & *Regis* in peculio eorum Reditus. Imò, per avitas Leges, eo inconſulto, hiſce non eſt integrum ſine gravi cenſura Matrimonia contrahere.

Monetæ cudendæ poteſtatem.

Ut porrò quid ſit *Cæſari* tribuendum ex Nummis conſtaret, *Monetæ* cudendæ materia, forma, modus, pretium denique, pro *Regis* arbitrio variantur.

A *Regis*

A *Regio* Diademate *Honorum* omnes *Radii*, *Tituli* omnes & *Privilegia* promanant, *Collegia* & *Municipia* conſtituuntur; *Admiralius*, *Cancellarius*, *Theſaurarius*, *Judices* Regni, *Vicecomites*, *Eirenarchæ*, non niſi *Regio* juſſu munera capeſſunt; & *Regis* unius nomine *Formulas Mandatorum* omnes, *Brevia* & *Sententias* emittunt: neque eorum quiſquam Magiſtratum priùs init, quàm *Regi* fidem juramenti Religione obſtrinxerit; *nè quid detrimenti capiat Rex, aut nè uſpiam ceſſarent ipſi in Provincia gnaviter & fideliter adminiſtranda.* *Honores, Collegia & officia imperiat;* *que ſunt adminiſtranda ejus ſolius nomine.*

Nemini præterquam *Regi* competit *Pacis* & *Belli* rationes, *militarem* diſciplinam, ad placitum & arbitrium ſuum, non ad Legum formulas, conſtituere, Militiam terrâ marique ordinare; ut cui in excubiis uſque agenti Reipublicæ tutandæ causâ, ſuppeteret unde internas poſſet Seditiones opprimere, externos Inſultus amoliri. Hoc nomine penès eum eſt *Armiluſtrium* inſtituere, Munitiones & Caſtella (quibus maritimis Propugnaculis in alta pace non minùs quàm Mari circumſepta eſt *Anglia*) nec non Claſſem, quoties opus eſt, inſtaurare & emittere; iſtis præficere *Præſides Gubernatoréſque*. Imo jus Gladii ad eandem manum unicè pertinet quâ Sceptrum eſt vibrandum: adeò ut Arma ſi fortè quis ſumpſerit *Regis* ipſius defendendi causâ, (*Regis* modò injuſſu) *læſæ* ſit *Majeſtatis* reus ab ipſo officio, nec impunè laturus, niſi impetratâ poſtmodum *Regis* veniâ. *Bellicis in negotiis potestas.*

Nec in *Eccleſiaſticis* anguſtiores habet Imperii terminos quàm in Civilibus: Ex eo enim quo, eliminato *Pontifice Romano*, intra Regni ambitum *Eccleſia* recepta eſt, & Subditis accenſeri cœperunt diu reluctantes Clerici, tum demum *Rex* cuſtos evaſit utriuſque Tabulæ, nec *In Eccleſiaſticis pariter.*

minùs in *Eccleſiaſticis* quàm *Civilibus* ſupremus Dominus (ut ſemper extitit, ità denuò) agnitus eſt, Legibúſque confirmatus quaſi *Regni Pontifex*; in *Epiſcopis* promovendis, *Dignitatibus* conferendis, *Jejuniis* indicendis etiam, *Ceremoniis Ritibúſque* Eccleſiæ præcipiendis (non tamen inconſultis hoc in negotio rerum Divinarum Myſtis) ſacroſanctam poteſtatem exercuit.

Legum rigorem moderatur,

Tantum etiam in Leges ipſas (Legibus utcunque adſtrictus) Imperium habet, ut nonnunquam ex æquo & bono Legum rigorem ſoleat temperare, delictorum gratiam facere, causíſque Jure nullo definitis Jus dicere, & per ſe ſententiam ferre. Poſtremò, (nihil hic temere, ſed ex Jurisconſultorum fide omnia refero) in uno *Rege* comperias *Vitam, Caput* & *Autoritatem rerum omnium quæ in Anglia geruntur.*

& in non definitis ſtatuit.

Conſiliarios ſuos eligit qui ſint à Sacris.

Quoniam tamen nec *Briarei* cujuſpiam centimani, nec Solis inſtar eſſe poteſt, qui unico omnia perluſtraret oculo, *Rex Angliæ*; Conſiliarios quos, & quanto numero collibuerit, ex *Proceribus, Epiſcopis, Regni Judicibus*, & minorum Gentium *Nobilibus*, abſque cujuſquam invidia, onerum & curarum participes conſuevit aſſumere.

Pro Tribunali nunquam ſiſtendus qui Solium conſcendit, ut quem lex affirmat mori non poſſe;

Poſt hæc Auguſtiſſimi Imperii Inſignia, iſtud quid eſſe dicam, non Patrum, imò nec humanum inſtitutum, *Regem* Judicio ſiſti, ſcilicet ad *Regis* Tribunal, tum gladio plecti, quem ipſe ſolus ſtringit; *Regem* (inquam) quem nè mori quidem poſſe Lex libentiſſimè prædicat? Hâc tantâ in *Regiam* Perſonam inhumanitate & tyrannide nihil opus eſt licentiam dominandi coërceri, quoniam quicquid in adminiſtranda rerum ſumma vel contra *Patriæ* Leges, vel minùs ex Populi commodo geſtum fuerit, id omne Miniſtris luendum rejicitur: Adeò ut non ab adu-

lations,

latione, ſed ab æquitate ſumma, fluxerit notum *Axioma* apud noſtrates, *Rex nunquam poteſt errare, aut cuiquam injuriam facere:* Quippe in *Miniſtros*, inquam, & *Conſiliarios*, (quorum eſt admonere *Principem*, iniqua volenti denegare operam, aut officio renunciare, potiùs quàm contra Leges quicquam jubenti parere) tam Culpa omnis quàm Pœna derivari & ſolet, & debet.

non errare, nec cuipiam injuriam facere.

Ut per Miniſtros pecca', ità plectitur.

Imò eâ ſolicitudine ſaluti *Principis* proſpiciunt Leges, (utpote cujus ſit Leges ipſas cuſtodire) ut vel *Hæres* Regni proximus, quocunque, dum privatus eſſet, crimine flagraverit, quocunque *Judicio* vel *Accuſatione* implicitus fuerit, per mortem tamen *Anteceſſoris* (quaſi expiatione quadam poſtliminiâ) omni pœnâ & reatu eximatur; & ſolium aſcendens, eo ipſo abſolvatur. Illi qui regni habenas tenet, id unum ſufficit in frænum, quòd *Deum ultorem exſpectet.*

Hæres Regni per Anteceſſoris mortem ipſo facto liberatur ab omni pœna & culpa.

Neque tamen pro libidine fas eſt *Regem* in *Anglia* dominari, ſubditos expilare, aut ſuâ ſolius Autoritate Leges condere vel abrogare. Sed ex Legum præſcripto ut ipſa abſolutæ poteſtatis decora adminiſtranda ſunt, ità & alia non levia *Regni Jura* cum populo habet communia, quò faciliùs ſubditorum obſequium conciliaret communicata *Regiminis* Autoritas.

Nec tamen illi fas eſt dominari ad arbitrium.

Al Parlamenta quæ Jura ſpectant.

Ad Leges quippe figendas refigendáſve, atque ambiguis fraudum laqueis expediendas interpretando; ad Pecunias extra ordinem (quoties res poſtulat) exigendas, Spurios natalibus reſtituendos, Exteros Civium albo adſcribendos, poſſeſſionum jura commutanda & herciſcunda, Cultum Divinum, à *Synodo* priùs ad *Dei* Verbum conformatum, ſanctionibus corroborandum, Ponderibus & Menſuris modum ſtatuendum, & iſtiuſmodi;

Leges figere & refigere.

Pecunias exigere.

Spurios natalibus reſtituere.

Cultum Divinum omnibus imponere.

Ponderibus & menſuris proſpicere.

modi; opus est (nè quid gravius ferre videretur citra suum consilium & operam populus) adjunctis *Parlamenti* suffragiis, quod supremum *Angliæ* Forum est, & cum *Rege* post *Deum* quiddam hoc in orbe Omnipotens.

Quid Parlamentum Angliæ.

Parlamentum est Conventus *Regni Ordinum* à *Rege* conscriptus ex *Episcopis*, *Proceribus*, & *Plebis Delegatis*, cujus *Rex* caput est; qui tamen in *Senaculis* vel *Curiis* (nostris *Domorum* appellatio placet) duabus, Inferiore & Superiore, (non loci, sed dignitatis ratione ità appellamus) sedes occupant. *Superius Senaculum* (quod *Domus Parium* audit) duo ordines implent, *Episcoporum*, & *Procerum*, qui *Duces* sunt, *Marchiones*, *Comites*, & *Barones*; assidentibus unà *Judicibus*, ad consilia, non ad suffragia, adscitis.

Hujus Superior Consessus.

Inferior.

Inferius constituit (quod etiam *Domum Communium* nostrates appellant) tertius ordo, *Populariorum* vel *Communium*, (ut vernaculo uti verbo liceat) qui electi sunt per singulos *Regni* Comitatus *Equites*, ex Civitatibus & Municipiis duo ut plurimùm *Burgenses*, pro ratione atque usu loci, à commendatioris sortis hominibus illuc cooptati, & pluribus suffragiis electi.

Dies locúsque a Rege designatur.

Dies locúsque Comitiorum à *Rege* indicitur; ab eodem prorogatur, in alium transfertur, & omnino pro ejus arbitrio definitur Consessus.

Per Rescripta convocantur.

Dynastis seu *Paribus* per Rescripta, ipsis viritim distributa, & *Regiâ* manu subscripta, indicantur futura *Comitia*, quibus præcipiuntur adesse. Reliquis verò cujusque Comitatûs sive Provinciæ per Vicecomitem (ex *Cancellaria* Rescripto ad id recepto) notum fit, velle *Regem* intra certum diem *Equitum* & *Burgensium* prædictorum delectum agi, quem *Vicecomiti* loco

loco & tempore commodiſſimo fieri mandat.

Reſcriptum *Regis* ad *Dynaſtas* ſeu *Pares* ſic ſonat; *Carolus Dei gratiâ*, &c. *Reverendiſſimo in Chriſto Patri*, &c. (ſi Epiſcopos compellet) *conſanguineo noſtro* (ſi Duces, Marchiones vel Comites alloquatur) *Dilecto & fideli noſtro* (ſi Barones.) *Quia de adviſamento Concilii noſtri, pro quibuſdam arduis & urgentibus negotiis, Nos, & Statum, & defenſionem Regni noſtri Angliæ & Eccleſiæ Anglicanæ concernentibus, quoddam Parlamentum noſtrum ad Weſtmonaſt. &c. teneri ordinavimus, & ibidem vobiſcum & cum cæteris Prælatis, Magnatibus & Proceribus dicti Regni noſtri Angliæ colloquium habere & tractatum; vobis in fide & Dilectione* (ſi ad Epiſcopos mittatur Reſcriptum) *per fidem & Allegiantiam* (ſi ad Pares) *quibus nobis tenemini, firmiter injungendo mandamus, quòd conſideratis dictorum negotiorum arduitate & periculis imminentibus, ceſſante quacunque excuſatione, die & loco dictis, perſonaliter interſitis Nobiſcum cum cæteris Prælatis, Magnatibus & Proceribus, ſuper dictis negotiis tractaturi, veſtrúmque Conſilium impenſuri; & hoc, ſicut Nos & honorem noſtrum, ac ſalutem Regni prædicti & Eccleſiæ ſanctæ, Expeditionémque dictorum negotiorum diligitis, nullatenus omittatis,* (ſi ad Epiſcopos ſcribat) *præmonere Decanum & Capitulum Eccleſiæ veſtræ totúmque Clerum veſtræ Diœceſeos, quòd idem Decanus & Archidiaconi in propriiis perſonis, ac dictum Capitulum per unum, idémque Clerus per duos Procuratores idoneos, plenam & ſufficientem poteſtatem ab ipſis Capitulo & Clero habentes, prædictis die & loco perſonaliter interſint, ad conſentiendum his quæ tum ibidem de communi concilio Regni noſtri*

Vetus Reſcripti formula ad Dynaſtas.

(Divinâ favente clementiâ) contigerit ordinari. Teste Me ipso, &c.

Ad Communes, seu Inferioris Conſeſſus Senatores.

Aliud Reſcriptum ad Vicecomites & Præſides Civitatum, ſeu Municipiorum, conceptis hiſce verbis ità ſe habet; *Rex Vicecomiti ſalutem. Quia de adviſamento & aſſenſu Concilii noſtri,* &c. (progreditur ut ſuperius) *& ibidem cum Prælatis, Magnatibus & Proceribus Regni noſtri Colloquium habere & tractatum; Tibi præcipimus firmiter injungentes, quòd factâ Proclamatione in Comitatu tuo, poſt receptionem hujus Brevis noſtri, Parlamenti tenendi die & loco prædictis, duos Milites gladiis cinctos, magis idoneos & diſcretos Comitatûs prædicti, & de qualibet Civitate Comitatûs illius duos Cives, & de quolibet Burgo duos Burgenſes de diſcretioribus & magis ſufficientibus, liberè & indifferenter per illos qui Electioni huic interfuerint, juxta formam Statutorum indè edictorum & proviſorum, eligi, & nomina eorundem Militum, Civium & Burgenſium in quibuſdam Indenturis inter te & illos qui hujuſmodi Electioni interfuerint conficiendis, ſive hujuſmodi electi præſentes fuerint ſive abſentes, inſeri, eòſque ad dictum diem & locum venire facies: Ità quòd iidem Milites plenam & ſufficientem poteſtatem pro ſe & Communitate prædicti Comitatûs, ac dicti Cives & Burgenſes pro ſe & Communitatibus Civitatum & Burgorum prædictorum diviſim ab ipſis habeant, ad faciendum & conſentiendum his quæ tum ibidem de communi Concilio Regni noſtri (favente Deo) contigerit ordinari ſuper negotiis antè dictis, ità nè pro defectu poteſtatis hujuſmodi, ſeu propter improvidam Electionem Militum, Civium aut Burgenſium prædictorum, prædicta negotia infecta maneant quovis modo. Nolumus tamen quòd tu*

nunc

nec aliquis alius Vicecomes dicti Regni noſtri aliqualiter ſit electus.

His ritè ad Legum ſcrupulos peractis, ad Templum primò, deinde ad Comitiorum locum, indicto die convenitur, trabeato ordine & ſelenni inceſſu planè, qualis populo augeret autoritatem. *Rex* eo tempore Superius Senaculum ingreſſus, (accitis etiam inferioris Subſellii Senatoribus) aut ſuis ipſius verbis auſpicatus, aut Cancellarii ex ore exponit Conventûs iſtius graves Cauſas, ob quas eximiâ prudentiâ viros impensè conſultos velit, quo rationes (quas habent dubiis in rebus certiſſimas) in commune conferant.

Modus conveniendi.

Rex exponit Cauſas Conventûs in ſuperiori Senaculo.

His *Regem* Conciliis intereſſe deinceps (niſi quoties libuerit) nulla cogit neceſſitas, præterquam in fine Seſſionis, ut robur & vim Legum Decretis adjiciat.

Equites, *Cives* & *Burgenſes* Conſeſſûs inferioris viritim evocantur nominibus à quodam ad eam Provinciam à *Rege* delegato, & ſinguli in Juramentum Allegiantiæ adiguntur ſub his verbis; *Fidem & veram Allegiantiam ſervabo Carolo Dei gratiâ Angliæ*, &c. *Regi, Hæredibus Succeſſoribúſque ſuis; eum & illos defendam ad extremum virium, & vitæ & fortunarum cum diſpendio, contra omnes conſpirationes & conatus adverſus Perſonam ejus, Coronam & Dignitatem.*

Senatores inferioris Conſeſſûs ſinguli Juramentum Regi præſtant Allegiantiæ.

Nè verò quiſquam in excelſum *Imperii* conſortium evectus & auguſtos cum *Rege* Conſeſſus, ſe ſubditum oblîviſcatur, quò magis in officio contineatur, aliud adjicitur Juramentum Suprematûs, cujus notæ ſunt hæ voces: *Ego A. B. conſcientiâ meâ teſte, profiteor atque denuncio Majeſtatem Regiam ſolam eſſe ſummam moderatricem hujus Regni aliarúmque Ditionum ſibi ſub-*

& Suprematûs.

ſubjectarum, nec non omnium tam perſonarum quam rerum, tam Eccleſiaſticarum quam Civilium; adeoque nullum exterum, Sive Principem, ſive Pontificem, ſive Statum, ſive poteſtatem, vel habere in hoc Regno, vel habere oportere ullam omnino Juriſdictionem, Poteſtatem, Celſitudinem, Præeminentiam, Autoritatem, vel Eccleſiaſticam vel Civilem. Itaque palàm ac apertè rejicio atque repudio quaſcunque peregrinas Juriſdictiones, Poteſtates, Celſitudines, Præeminentias & Autoritates; ſanctéque recipio me Regiæ Majeſtatis, ejuſque Hæredibus legitimiſque Succeſſoribus, debitam fidem & obſervantiam perpetuò præſtiturum, & (quantum in me fuerit) propugnaturum & defenſurum omnes & omnimodas Juriſdictiones, Privilegia, Præeminentias & Autoritates quaſcunque, vel conceſſas vel commendatas Regiæ Majeſtati, ejúſque Hæredibus & Succeſſoribus, vel Imperiali hujus Regni Diademati conjunctas & annexas, &c. *Spondeo inſuper non credere me Papam vel ullam aliam Poteſtatem poſſe de jure Regem dejicere, vel ab Obligatione iſtius Juramenti me abſolvere.*

Oratorem eligunt, quem comitantur ad Regem, ſupplicaturi ut ratam habeat Electionem,

Sic obſtrictis ad officium inter novi Honoris auſpicia animis, Orator à *Rege* primò deſignatus, mox *Senaculi inferioris* calculis eligitur, quem comitantur ad *Regem* omnes, petitum ut ratam habeat ipſorum Electionem; quam ei *Rex* alacriter indulget: quo facto, gratias Orator ſuo & totius Domûs inferioris nomine agit, ſupplicátque ut inferioris Conſeſſûs Privilegiis uti, & libertate diſſerendi bona cum venia liceat; ſi quiſquam ſententiam in quacunque re diſceptanda vehementiùs dixerit, *Regia* Majeſtas id ipſum non ægrè ferre, nec propterea ſuc-

neque liberè loquentibus ſuccenſeat.

cenſere

cenſere velit ; ut ad *Regiam* Majeſtatem pateat acceſſus & ad Curiam ſuperiorem, quoties res poſtulaverit. Quâ veniâ datâ, dimittuntur.

Supplicantibus quibuſcunque indulgetur acceſſus, ſed Delegatis intermediantibus.

Huic tam Auguſtæ Curiæ cuicunque ſupplicanti olim patebat aditus, modò intra ſex primos dies ab inchoato conſeſſu ſupplicationem obtulerit, idque per manus Delegatorum à ſuperiori Conſeſſu ; utpote ad quos ſpectaret probare quas dignas reputarent Parlamentario conſpectu, levidenſiores verò rejicere & ſeditioſas.

Modus diſceptandi, & communicandi ſententias inter utrumque Conſeſſum.

Integrum eſt utrique Conſeſſui de rebus à *Rege* propoſitis, vel de Legibus condendis abrogandiſve, &c. diſſerere & ſtatuere, ſcriptis mandare, ità ut quicquid ratum habuerit, alteri invicem per nuncios tranſmittendum ſit : De quo habitâ diſceptatione, ſi ſuffragiis adjectis eidem ſententiæ acceſſerit conſenſus, in Scripti Capite notatur hâc inter *Proceres* formulâ, *Les Seigneurs ont aſſentes* ; inter Populares iſtâ, *Les Communes ont aſſentes.* Sin in diverſum abeant, uterque non rarò Conſeſſus in unum coit, aut ex his Selecti præcipui viri, qui ſermones conferant loco ad conventum accommodo, quem *Cameram* appellant *depictam* ; in qua ſtantes *Communes*, & nudatis capitibus, *Proceres* pileis tectos & ſedentes excipiunt grandi cultu, atque ibidem utrorumque exponuntur ſententiæ : quas ſi diſcrepare contigerit, (ſicut accidere interdum ſolet) in nihilum res abit ; ſi verò in unum convenerint, ad *Regem* res defertur : quam ſi probaverit & ille, ſcribit *Le Roy le veut*, quo, veluti animâ corpori infuſâ, vitam accipit, atque in Legem numeris omnibus abſolutam tranſit, mox populo

Regio conſenſu Placita ſanciuntur ut fiant Leges ;

vel repudiantur.

lo promulgandam. Ubi verò *Rex* oblata ſibi comprobare noluerit, ſcribere in ſummo paginæ ſolet, *Le Roy s'aviſera:* interdum diſertim negat: quæ propterea ut penitus abjecta & abolita reputantur.

Eccleſiaſtica Rex Synodo tractanda committit,

Res verò Sacras (quæ *Regias* propiùs exigunt curas) *Rex* haud temere *Comitiis* permittit, ſed *Synodis* tractandas, niſi forſan ut Senatoria ab Autoritate Legum vim habeant, quam à Divina veritate ſatis aſſequi non poſſunt.

quæ Decanis, Archi-diaconis, & Delegatis à toto Clero conſtituitur.

Decani, Archi-diaconi, Procuratores pro *Capitulis*, ut & pro qualibet *Diœceſi* duo, *illi Præbendariorum, hi Curionum* ſuffragiis delegati, de hiſce diſceptaturi conveniunt in loco deſignato; ubi *Prolocutore* priùs electo, de Religionis apicibus, de Ceremoniis aliiſque ad *Eccleſiam* ſpectantibus, ut & impoſitionibus erogandis *Cleri* nomine ſtatuunt: quorum tamen Conſulta Secularibus obtrudi noviſſima tempora Legum Autoritate non patiuntur, donec (ut ſuprà dictum) *Conſeſſûs* utriuſque & *Regio aſſenſu* comprobata fuerint. Adeò ſeverè cautum eſt à *Regibus*, nè Civiles manus negotiis iſtis injicerentur, ut Reginam *Eliſabetham* Annales noſtri memorent cum Senatu pluribus expoſtulâſſe, quòd Jejunium ipſâ inconſultâ indixiſſent; nec in gratiam eos, niſi impetratâ veniâ, rediiſſe.

Horum Conſulta non obtruduntur Secularibus obſervanda ſine Regis & Parlamenti conſenſu.

Privilegia & jura ſuperioris Conſeſſûs.

Habet ſua *Conſeſſus* uterque (ut ad Autoritatem Senatoriam revertamur) ſingularia ſeorſim Privilegia. Ad *Superiorem* ſpectat, non conſilia tantùm ferre, Legibúſque condendis navare operam, ſed & judicandi poteſtas; adeóque Juramenta exigendi (cauſis præſertim in gravioribus, utpote in corruptela Judicum & Magiſtratuum, & in ultimis provocationibus:) quæ tamen ad examen revocare,

care, præter fas júſque eſſe dicunt Juriſperiti, ſine *Regio* permiſſu & diplomate; idque receptum eſt non fieri niſi aſſidentibus Legum Judicibus.

Domus Communium Supplicandi & Rogandi Juris privilegia, aut etiam Actoris partes; nunquam Judicis munus ſibi vendicavit, præterquam intra ſuos parietes, & in Collegas ejuſdem Conſeſſûs, idque non ultra incarcerationis aut mulctæ pœnam. Tantum aberat per avitas conſuetudines à ſententia ferenda (nè dicam Capitali) nomine populi vel in infimum ſervulum, ut quemquam adigendi in Juramentum nunquam ſibi quicquam Juris arrogârit. Etiam Statutum in Rotulis exſtat, quo *humiliter domo Communium ſupplicante, quandoquidem Judicium Parlamentarium pertinet ad Regem & Dynaſtas, non verò ad Communes, niſi ex indulto Regis in eorum gratiam, placeat Regiæ Majeſtati nè teneantur contra conſuetudines Judicium ferre; illos Rex ab eo onere ſubinde liberos eſſe jubet, atque judicandi Parlamentariam poteſtatem ad Regem ſolum Procerúmque domum in poſterum ſpectaturam, præter id unum, in Statutis condendis, aut ſubſidiis erogandis & cenſu agendo, niſi ſicubi Regiæ Majeſtati viſum fuerit, peculiare eorum conſilium vel aſſenſum requirere ad expedienda negotia Regno in commune profutura.* *Inferioris.*

Imò ſiqua dubitatio vel controverſia circa Electionem Senatorum *Conſeſſûs inferioris* mota fuiſſet, non per collegas in propria Curia, ſed in *Conſeſſu ſuperiore*, vel per *Judices* in *Cancellaria* determinatum iri, mos olim erat. Etiam ſiquis horum diſceſſiſſet à *Comitiis*, non impetratâ priùs *Regis* & utriuſque Senatûs veniâ, ſiſtebatur ad *Regii Concilii* Tribunal, vel *Regia* *King's Bench.*

Regia Subſellia, neglecti officii pœnas luiturus. Nequaquam autem ad proprii Senaculi arbitrium plectebatur. Hoc ampliùs (ut ad Privilegia redeat Oratio) *Conſeſſui inferiori* peculiare eſt, ut de Pecuniis irrogandis à populo ipſe primùm diſceptet ſtatuátque.

Unde mirabile exſtitit *Monarchiæ* noſtræ temperamentum, quo *Regi*, *Senatui*, *Populóque* in rebus adminiſtrandis ſuæ ſint propriæ partes, ità tamen refractæ & probè caſtigatæ, ut peculiarem cujuſque opem, non utique perniciem, ſentiat *Reſpublica*. *Regis* enim *Prærogativâ* omnis quâ ſummum imperium, quâ gladium ſibi vendicat, eò reſpicit, ut ſatis adſit illi virium quibus Leges vindicet à *Magnatum* factionibus & *Populi* tumultibus. Dum interim *Magnates*, eâ quâ pollent judicandi Legéſque ferendi præcipuâ autoritate, hinc *Regis* (ſiqua æſtuaverit) Tyrannidi, indè Plebi tumultuanti obicem ponant. Nec minùs *Populus*, ex iſta quemvis incuſandi, pecuniáſque irrogandi vel negandi facultate, abunde habet, unde *Magnatum* & Procerum qui ſunt à Conſiliis Sacris licentiam coerceat, graſſantíque in publicum *Principi* nervos intercîdat.

Legum providentia quâliberi & abſq; metu diſceptent Senatores.

Severè Legibus cautum eſt, nè quid per metum aut inſolentiam improborum, ferendi ſuffragiorum aut diſceptandi libertati decederet; ſiquidem graviſſima ſub pœna interdictum, nè *Senatores* ipſi, privatis armis vel apertis induti, *Senatum* accedant, neu quis alius per aream vel ipſa *Comitiorum* confinia deambulator, gladio accinctus vel alio quocunque telo armatus, terrorem circumferat, aut loci reverentiam imminutum eat. Imò Senatores *Parlamenti*, ut & ſervos horum neceſſarios, durante *Parlamento*, à Lictorum comprehenſione, aut quacunque vi ob-

ob æs alienum aut leviora delicta, eximi consuetum fuit: *Homicidii* tamen, *fractæ pacis* vel *Feloniæ* reos, nullum liberet ab ordinario Justitiæ processu *Parlamenti* Privilegium.

Si per imprudentiam Magistratûs aut Lictorum contingat è *Senatoribus* eorúmve famulis comprehendi quempiam, non nisi Rescripto (causâ priùs prolatâ) ex *Cancellaria* Legibus nostris liberari potuit.

Modestia Senatûs.

Tantopere intra Modestiæ cancellos continere sese assuevit olim uterque Consessus, ut si quis inconsideratiùs in receptas consuetudines peccâsset, vel proterviùs de *Rege* locutus fuisset, non nisi condignâ culpæ pœnâ delictum expiaret, pœnas propriâ reposcente Collegarum Curiâ.

Quo honore Senatum prosequi Reges consueverunt.

Rarò etiam *Reges*, nec nisi graves ob causas, quicquam commiserunt quod tam augusto Consessui crearet offensam. Evenit tamen ut Clementissimi *Principes* nimiùm lacessiti universum *Senatum* reprehensionibus perstrinxerint; *Senatorum* nonnullos aliquando coram *Regni* Judicibus sistendos, ad pœnam postulaverint; alios quandoque Carcere, Pecuniâ, Morte, pro delicti gravitate mulctârint.

Datâ tamen occasione in ordinem redigunt.

Felicitas regni sub hoc regimine.

His moribus antiquis virisque stetit *Res Anglicana* & efflоruit per multa retro secula, domi felix, gloriosa foris; donec nimia felicitas (ut sunt res mortalium) Luxum & vitiorum illuviem invexerit, Fastum item, Ambitionem, & Divinorum Humanorúmque contemptum: unde libido magna incesserit mutuâ æmulatione & invidiâ aliena rapere, & *Regem*, *Religionem*, *Leges* potiùs proterere quàm observare; nova anhelare potiùs quæcunque quàm optimè constitutis acquiescere.

Nuper

Initia motûs à Senatoribus quibusdam in Domo Communium quænam fuerint.

Nuper malè-sani homines (& perpauci primò illi) qui se insinuârant inferiori Consessui, rerum novandarum cupidi, artifices accendendis offensionibus egregii, Populi jactare Libertates & jura, *Parlamentorum* potestatem, inaudita ante hoc sibi Privilegia arrogare, miscere se negotiis, satagere etiam ubi nihil intererat, curis sese implicare quibus impares erant, debacchari insolentiùs tandem & invehere in *Regiam* potentiam, *Portoria* & *Vectigalia* maritima (quibus antè *Reges* continuâ usucapione gaudebant) in jus & litem vocare, *Regi* denique vetare solvenda, imò *Oratori* suo vim inferre vel intra ipsos inferioris *Senaculi* parietes, avitam modestiam omnémque *Regiæ Majestatis* reverentiam, sacratissimas *Regni* Consuetudines & *Comitiorum* Privilegia conspuere & proculcare.

Hinc mutuæ suspiciones inter Regem & Parlamentum. Unde Parlamenta solvuntur.

Hinc mutuæ simultates, hinc suspiciones *Regem Parlamenti Libertatibus* infidiari, *Comitia Regiæ Majestati* derogatura. Horum causâ *Rex* uni & alteri *Parlamento* ocyùs quàm multorum expeterent vota finem imponit, (neque tamen præter Majorum Exempla) quorundam petulantiâ per carcerem retusâ; aliquandiu pòst nova indicere Comitia renuens, quò spiritus isti deferveścerent, modestiámque in posterum & gravitatem majorem ad gravissima Concilia afferrent.

Unde nata est occasio Plebis adversus Regem irritandæ.

At hinc speciosiorem captant ansam impigri & versutissimi homines fermentum suum per *Angliam* diffundendi, adeoque *de Religione actum esse*, *de Libertate publica conclamatum*, *Leges in summo periculo versari* passim clamitant; idque credulis & pronâ aure nova studia & potentiorum calumnias auscultantibus facilè persuadere se sperant; *Regiam* Majestatem con-

vicijs

viciis profcindunt, tanquam uxorium, imprudentem, Pontificiæ Religioni addictum, avarum, & ſi quod aliud occurrat nomen vulgo inviſum, magna cum infamia jactitantes. Omnia ab eo optimo conſilio profecta ſugillant, & in peſſimum ſenſum detorquent; infortunia lapsúſque mirum in modum exaggerant, & vel ipsâ adverſante fortunâ iniquiùs exagitant.

Inter tot queſtus & vociferationes, ſi quæris quid ſolidi infortunii acciderit: Floret *Britannia* nuſquam auguſtior; ſuperba undique conſurgunt ædificia, publica, privata, ad ſpectaculum, ad luxum uſque; Mercatura latior indies & quæſtuoſior jam promoverat patriæ fines in utramque *Indiam*, hoc uno infelix, quòd cum opibus importaverit peregrina longè vitia; vigent inſuper Artes in Academiis, in foris, in officinis, nuſquam ſplendidiore cultu; diteſcunt incolæ, nunquam ſuperbiores; Juſtitia ex præſcripto Legum adminiſtratur; nec re aut vitâ ſpoliatur quiſquam niſi ex Judicio legitimo eorum quibus hæc debent eſſe chariſſima, duodecim virorum contribulium; *Regni* omnia momenta ità adminiſtrata, ut in bonum publicum conſpirâſſe viderentur: niſi quòd iſtam ex nimia hac felicitate natam inſolentiam reprimere non poſſent; niſi etiam (quod utique non eſt diſſimulandum) infeliciter foris nobis diu inexpertis alea belli cecidiſſet; & domi Taxationibus quibuſdam (licet moderatis admodum, & quas Publica neceſſitas aut Legum non vanus obtentus coloneſtârat) *Proprietatem* & *Jus ſubditorum* labefactatum iri quereretur Plebs irritata; ſeveriores etiam (ſaltem pro temporis illius Halcyoniis diebus) incarcerationis aurúmque mutilationis Pœnas, quas paucis (quatuor ſcilicet vel quinque) Seditionis ſuſpectis, ſi non compertis, *Cameræ Stellatæ* Judices irrogaverant, crimini vertret. Adde quòd *Curiarum Eccleſiaſticarum* exundans juriſdictio & cenſura multorum commiſera-

Regni conditio nihilominùs florentiſſima.

Bellum tamen foris infeliciter geritur, Domiq; Taxationes impeccuntur.

Seditioſi aliquot puniuntur.

Cæremoniæ novæ scrupulosos angunt.

serationem & iras commoverent. Indignantium præterea chorum auxerunt Scrupulosi quidam, qui Ceremonias inter cultûs Divini ritus nuper inductas & *adiaphora*, in *Ecclesiæ Præceptorum* instar, edictis juberi, *Papismi* subsecuturi prodromas suspicarentur.

His etiam accessit fervor *Archiepiscopi*, *Clerum* actionibus & injuriis *Laicorum* eximentis, & ad munia civilia promoventis; quæ res invidiam tam in seipsum quàm Ecclesiasticos cumulatè derivavit: nec non Liturgiæ *Anglicanæ* librum & praxin in Ecclesiam *Scoticam* introducentis, (scopo quidem laudabili, ut sua ferebat opinio, ut tres finitimæ Nationes, unius *Regis* sub imperio, uno pariter conformi Cultu conjungerentur, intempestivè tamen atque importunè) quod nobis fusiùs quàm pro instituto enarrandum.

Archiepiscop. Anglicanam Liturgiam Scotis imposituros, eos irritat:

quo prætextu, aliis verò de causis, tumultuantur.

Tum enim prona in res novas *Scotia* stetit. Stomachabantur multi denegatos quos à *Rege* ambiebant titulos & honores: Alios urebat quòd certam (moderatam verò) decimarum partem (quas ab eversis Abbatiis minorenni adhuc *Rege Jacobo* obtinuerant à Corona) in stipendia *Curionum*, qui ex arbitrio Patronorum (vilissimis certè Salariis) merebant, erogare cogerentur: Plures non concoquebant quòd Prærogativas & in Feodales suos despoticam autoritatem (quàm diu usurpaverant) *Regio Diademati* annectere juberentur.

Hi satius esse ducentes immunitatem sibi parare turbatâ Republicâ, quàm cedere potitis; *illi* popelli suffragiis, inter agitandam seditionem, *Ducum* & *Comitum* titulis insigniri, quàm carere; arreptâ *Liturgiæ* & *Ceremoniarum* ansâ, Plebi insufflant Religionem Reformatam pessum abituram, introductâ Pontificiâ; indutísque Armis, ac oppressis contrarium sentientibus, *Regimen* tam *Civile* quàm *Ecclesiasticum* pro suo ingenio refingunt.

Arma induunt.

Regimen Civile & Ecclesiasticum innovant.

Rex monitis & mitioribus remediis recalcitrantes vi & armis coercendos esse statuens, flore

Rex contrà movet.

juven-

juventutis & Nobilitatis *Anglicanæ* ſtipatus (qui volones & propriis ſumptibus ſubibant profectionem) ad confinia movet: ſed mitigatos Clementiâ & conceſſionibus potius habuit ad obſequium pertrahere, quàm armis ſubjugare; & pactis Articulis exercitum exauctoravit.

Pactis articulis pacem init.

Poſtea *Scotis* diverſos à genuinis Articulos obtrudentibus, nova diſſidia & altercationes: quæ cum neque *Delegatis* neque internunciis nec reſcriptis determinari potuiſſent, ex utraque parte de novo bellum adornatur.

Scotis articulos innovantibus, bellum de novo adornatur.

Regis ex parte, procurante *Straffordiæ* Comite, (*Hiberniæ* Prorege) conſcribitur exercitus octo virorum millium cum ſtipendiis, ídque *Parlamenti Hibernici* ſub auſpiciis. Ille denuo reverſus in *Angliam*, hîc alteri exercitui inſtruendo navat operam.

Parlamentum indicitur: ubi, cùm malâ fide fungeretur Mandatis Aulicus quidam, (de induſtria, ut plurimi crediderunt, quò miſceret omnia, & inter *Regem* & *Parlamentum* ſimultates augeret) duodecim Subſidia (ſic nos Taxationis ſpeciem vocamus) inſolentiùs exigens, (cùm ſex inferior Conſeſſus obtuliſſet) pro redimenda navali impoſitione, iræ concitantur & querelæ; quæ, turbatis temporibus, nè ſerperent ulteriùs, *Comitia* citiùs quàm expetebant multorum vota dirimuntur.

Parlamentum indicitur in Anglia,

& irritatur.

Scoti interim (quibus milites non adeò diſpertiti quin facilè ſtatim in exercitum cogerentur) rerum opportunitatem edocti, & initâ per internuncios cum Factioſis conjuratione, ſupplicandi *Regis* prætextu, inopinati (fuſis aliquot copiis *Tinæ* tranſitum prohibentibus) in *Angliam* impreſſionem faciunt, & terrore longè latéque diſſeminato, captum *Novum-Caſtrum*, aliáque oppida defenſioni imparata, novis aggeribus & præſidiis communiunt.

Scoti privatim confœderatione initâ cum Factioſis Angliam invadunt.

Hos quamvis *Regio* exturbare, conſcripto quem ducebat exercitu, in ſe *Straffordius* receperit; maluit

Pactis inducis Parlamenti judicium expectant.

luit *Regum clementiſſimus* rei ſummam *Parlamenti* committere, quàm ſine publico conſenſu cædibus & ſanguine *Regni* viſcera polluere. Pactis ergò induciis, per quas *Scotis* permiſſa commercii libertas, & ſtipendia exigendi à *Provinciis* quibus incubabant copia, *Parlamentum* indictum eſt, cujus prudentiâ & fide radices & fibras omnes ſimultatis eradicatas iri ſperabatur.

Parlamentum convenit. In eo Factioſi,

qui gravamina reformandi prætextu,

Convocatis *Ordinibus*, *Factioſi* (qui plures ſeſe in *Senaculum* inferius inſinuaverant) jam *Scotorum* patrocinio & temporibus turbatis freti, partibus ſuis gnaviter incumbunt; Gravamina, tum publica tum privata, in medium adducunt; Crimina *Aulicis* & *Magiſtratui* objiciunt; Opprobria in ipſum *Regem* obliquè jactant; omnibus tanquam è præſcripto Rhetorum exaggeratis.

Regimen tum Civile tum Eccleſiaſticum refingere nituntur: quibus gradibus.

Horum reformandi prætextu, interverſo Regimine tam Civili quàm Eccleſiaſtico, novum continuò refingere (*Scotorum* ad Exemplar) adnituntur; ídque hiſce gradibus: Si fortè *Regem*, fidiſſimorum Conſiliis & obſequio orbatum, Criminibus objectis & Opprobriis inviſum Populo factum autoritate & potentiâ exuerent; ſeſe dein in Munia publica & Armorum poteſtatem ingererent; tum, pro imperio, *Regi Populó*que jura darent.

Accuſantur multi; Straffordiæ *Comes, Archiepiſcopus,*

Perduellionis accerſuntur *Straffordiæ Comes*, *Archiepiſcopus Cantuarienſis*, tam *Anglis* quàm *Scotis* in utraque cauſa actoribus. In *Straffordii* caput etiam ab *Hibernia* (unde ampliſſima Criminationis materia captaretur) cùm *Teſtes* tum *Actores* concientur. Dum enim *Proregis* illius *Regni* munere fungeretur, Incolarum indignationem Severitate (etſi non ſemper ad Legum ſcrupulos conformi, attamen Utilitati publicæ neceſſariâ) commoverat; quâ *Hibernos* ab innata & avita barbarie revocatos, frugi facere, moribus humanis & cultu civili imbuere, nec non ad *Anglorum* Conſuetudines & inſtituta aſſuefacere nitebatur. Unde brevi ſpatio factum eſt, ut inter

invitos & recalcitrantes institutis Artificiis, Agriculturâ & Commercio, ampliùs quàm anteactis omnibus seculis florere, & jam vectigalia in *Angliæ* Ærarium referre inceperint, quod toties Rebellionibus exhauserant. Ex hisce (dicam) etsi Pontificiis, etsi juratis *Angliceanæ* gubernationis Hostibus, & jamjam Conjurationem adversùs eam admolientibus, Actores *Hiberniæ* regni nomine & Testes accersuntur, quos sponte suâ pronos in facinus, quò securiùs (remoto cervicibus perspicacissimo *Prorege*) Rebellionem (quam jam animis agitabant) aggrederentur, omnibus officiis Factiosi demulcent, ut consociatis criminationibus *Straffordium* obruerent. Accusantur insuper Baro *Finchius*, *Magni sigilli Custos*; *Judices* etiam omnes qui nuper *taxationem navalem*, quamvis jurati, disceptatâ diu causâ, prolatis argumentis foro in publico, secundùm Legis normam *Regi* adjudicaverant; Episcopi item duodecim, qui Plebe tumultuante impediti quò minùs *Curiam* superiorem ingrederentur, protestati sunt adversus Statuta quæcunq; conderentur, tanquam irrita, donec tutò interesse liceret omnibus quorum intererat *Regni* consultationibus. Alii impendenti procellæ se subtraxerant.

Cancellarius, Judices,

Episcopi duodecim,

Judices attoniti fulgure *Parlamentario*, & parere Dominis edocti, ad extremum singuli impunè dimittuntur: evecti horum nonnulli ad eadem vel majora munia. *Episcopi*, postquam jure suffragandi superiore in Consessu, lege factâ, absentes excidissent, libertate donati, *Cantuariensis* victima servatur in futura tempora. Tota impræsentiarum *Straffordii* in caput detonuit tempestas: cujus tragœdiam (quoniam *Regi* Cordolium totâ vitâ & mortis Articulo extiterit, & Ille Factiosorum criminationibus maximè obnoxius censeretur) fusiùs enarrare non gravabor, ut exemplo ab uno judicium cæterorum fiat, & cujusmodi fuerint hominum

Dimittuntur verò deterriti Judices impunè; Episcopi etiam, Suffragandi in domo Procerum jure privati.

hæc monſtra, quæ *Parlamento* tam invſa fuere.

Agit contra Straffordium Conſeſſus inferior, in judicio ſedentibus Proceribus, Rege ſubauſcultante.

Magnâ pompâ Perduellionis agitur, viginti octo Articulis objectis, ſedentibus pro Tribunali *Proceribus*, (imò & privatim *Rege*, cum *Regina* & *Principe*, poſt aulæum ſubauſcultante) circumſtantibus Inferioris ſubſellii *Senatoribus*; quorum è numero ſex acerrimi *Comiti* accuſando ſeliguntur. Accuſationis pondus hiſce inerat objectis. Quòd *in Hibernia præter Legum inſtituta deſpoticè multa patrâſſet; Pacis tempore Taxationes à reluctantibus incolis immiſſo milite exegiſſet; Regi Subditos Angliæ in obſequium impellere peregrino milite introducto, & bellum contra Scotiam commovere perſuaſiſſet.*

Comes reſpondet, diluitque accuſationem.

Multis diebus protrahitur diſputatio. Cùm verò *Comes* magnâ animi præſentiâ juxtà & prudentiâ Articulos dilueret, & Agentium contra ſe mitigaret argumenta, ut inter tot Articulos nullus (vel Inimicorum judicio) ad Perduellionis atrocitatem aſſurgeret, quin omnes attenuarentur, nec coacervatis in unum Criminibus Cumulativa fingi poſſet Perduellio; ringebatur inferior *Conſeſſus*, & Legis latæ colore deſtituti quo capitis ſupplicium irrogarent, novam ſciſcunt ad hoc, ex pòſt facto, quâ *Majeſtatis* reum gravant, injectâ cautione, *nè trahatur in Exemplum cæteris in Foris.*

Conſeſſus inferior novam ſciſcit legem, quâ Perduellionis reum facit,

non ſine altercatione & multorum diſſenſu.

Hoc verò non ſine gravi altercatione perfectum, acriter multis è contrario diſceptantibus, nec non præcipuæ notæ quinquaginta novem diſſentientibus Collegis; quorum nomina poſtibus inſcripta, ut oculis & furori Plebis expoſiti, ſimul cum Factioſis ſuffragari diſcerent in poſterum, ni diſcerpi viventes malint.

Proceres diutiùs deliberantes,

Scitum hoc bidui ſpatio *Senaculo* in inferiore abſolvitur, & obtinendi aſſensûs gratiâ defertur ad *Dynaſtas*. Sed ibi de te tanti momenti ſeriùs deliberatur. Quam moram ægre patientibus *Factioſis*, *Populi* Fæx & Colluvies (referre pudet de *Senatoribus* quibuſdam cum ejuſdem farinæ

ſarinæ Civibus conſpirantibus) concitata, fuſtibus & quæ furor miniſtraverat armis inſtructa ruit ad *Senacula*, *Juſtitiam*, *Juſtitiam* reboans; & indies ferociùs inſultans, manè & veſperi eandem cantilenam cecinit. *tumultuante Plebis colluvie in ſententiam coguntur.*

Hi nunc circumfuſi *Senaculo* Superiori, *Proceres* quos volunt, *Epiſcopos* etiam, injectis manibus huc & illuc impellentes, ingreſſu prohibent, pejora, ſi pertinaciter contrà ferrent Se, minitantes. Jam in *Templum Cathedrale* vicinum faciunt impetum, ut oſtiis perfractis, Organa, veſtimenta, & ſupellectilem diriperent ſacris uſibus dicatam; deinde ad ipſam *Regiam Baſilicam* clamoribus & boatu debacchantur. *quâ Proceribus & Epiſcopis denegatur introitus Senaculi. Factus in Templum vicinum impetus, in Regiam Baſilicam.*

Imò eò impudentiæ deventum, ut auſi ſint *Regi* (qui prætereuntes Baſilicam, ſe domi continere, & quod ſuarum rerum eſſet agitare, de podio juſſiſſet) obgannire, & palàm pronunciare, *digniorem eſſe Principem qui imperaret.* *Regiæ Majeſtati obgannitur.*

Horum aliquot dum *Eirenarchæ*, pro officio & juramento quo aſtricti ſunt, palantes cuſtodiæ tradiderint, ut pro merito punirentur, contrà incarcerarunt ipſimet ab inferioris *Conſeſſûs* turbonibus; *quaſi liberum eſſet unicuique ſupplicatum venire Parlamentum.* Etſi *Cantianos* in contrariam partem ſupplicaturos portis Londini prohiberi, aliósque idem facturos minis deterreri procurâſſent. Cùm verò *Factioſi* quidam à prudentibus & probis aliquot viris rogarentur, ut Spiritus tandem ſopirent quos ipſi ſuſcitârant, *Amicis potiùs tribuendas eſſe gratias* reſpondent. *Tumultuantes dum Eirenarchæ reprimunt, incarcerantur à Factioſis.*

Imò vileſcebat adeò *Senatorium* decus, ut conciliabulis Apprenticiorum (hi Artificum ſunt tyrones) intereſſe ſæpius *Senatores* inferioris ſubſellii affectarent, ubi agitare, referre, conſulere quæ peracta in *Senatu*, quæ deſignata, quas ipſi partes & quando peragerent. Unde ordinatim quaſi tumultuari diſcebant, per Claſſes & propria Collegia diſtributi, *Bajulorum* ſcilicet, *Factioſi ſenatores cum Apprenticiis, ſive Artificum tyronibus, conſilium ineunt; eoſque docent tumultuandi modum, & tempus;*

Nautarum, *Sartorum*, &c. qui ſupplicandi prætextu *Demagogorum* ad nutum ſtatim confluerunt. Et (nè ſæpius in hoc ulcere refricando immoremur) in poſterum, ſi quis nodus difficilior occurreret, quo aliis Artibus expedire ſeſe non licuit, ſtatim recurritur ad hunc gladium, quo diſſecaretur.

quo Senatores multi deterriti Comitiis abſtinent, & eo nomine exauctorantur.

Hoc pacto plures deterriti, conſultius domi manere tuti, ac omnino publicis abſtinere conſiliis, rati, eo crimine ſolo à potentiore Factione ejiciuntur. Alii qui intererant, liberè in ſuffragia deſcendere, & *Publicæ* rei conſulere, de proprio capite ſolliciti, non audebant. Adeò

Unde Comitiorum exoleſcit autoritas.

ut ex eo tempore *Senatûs* omnis autoritas exoleſcere viſa ſit, poſtquam ſuffragandi jus in *Comitiis* ima ſibi plebecula vendicaret, cæterorúmque libertati frænum injiceret.

Proceres conſentiunt plebiſcito contra Straffordiæ *Comitem.*

Ut ad *Straffordium* redeamus: hiſce victi Argumentis ſuccumbunt *Proceres*; & eorum vix tertiâ parte præſente (ſeptem ſuffragiis cætera ſuperantibus) *Scito* populari præbetur aſſenſus.

Regia comprobatio difficillimè expugnatur,

Regis animus difficiliùs expugnatur; etſi quotidie plebis colluvies inſtaret minis & clamoribus, vix manibus temperans; Aulici etiam *Proceres* & Neceſſarii continuis precibus ipſum fatigarent. Nec ratum habuit, donec à *Judicibus*

donec Judices licitum pronuncient,

(qui tunc temporis non auſi ſunt obmutire vel Populi vel *Parlamenti* Placitis) hoc poſſe fieri pronunciaretur; & ab *Epiſcopis* aliquot mentis ſcrupuli eximerentur; idémque ſcriptis in eam rem literis ſuaderet *Comes* magnanimus, & ferè ſupplicaret, *Curtii* inſtar, ut hoſtia pro pace publica *Regiſque* familiæ tutela occumberet.

Epiſcopi Scrupulos eximant, Straffordius *ſuadeat.*

Rex literis intercedit nè executio ſtatim fiat. Negant Proceres.

Latâ in *Comitem* ſententiâ, *Rex* protinus literis ſuis ad *Proceres* (quas *Principi* offerendas dedit) ut ſaltem Executionem remorarentur ad tempus ſertò commendatum ibat. Illi, miſſis duodecim *Dynaſtis*, perſuadent niſi graviſſimo ſui totiúſque Familiæ periculo hoc fieri non poſſe.

Viri

Viri tanti decidentis ab Honoris apice fragor deterruit minores *Proceres* qui munia obibant publica. Ille cujus autoritate *Pupillorum* Curia administrata est, qui etiam *Thesaurarii* magni officio integerrimè functus esset, & *Principis* Guardianus, à muniis, sese abdicantes, sponte cedunt; modo animalium quorundam, quæ abscisso venationis pretio à persequentibus immunitatem impetrant.

Aulici sorte suâ territi muniis sese sponte abdicant.

Eirenarchæ & *Vicecomites*, qui retroactis temporibus Magistratu fungebantur, Scenæ inserviunt, & *Soli* adblandiuntur orienti.

Eirenarchæ & Vicecomites prævaricantur.

In hoc ferè solo *Rex* non permisit se totum arbitrio *Parlamenti*: postmodum ei retulit cuncta quæ ipsos rogare non pudebat.

In hoc solo Rex placitis Parlamenti obstitit: In cæteris sese illius fere arbitrio permisit.

Concilii Regis Sacri jurisdictio; *Curiæ* etiam *Stannariæ*, quâ Custos *Regio* diplomate instructus dijudicabat controversias litesque quæ ad operarios in Mineris & opificii administros spectabant; uti & *Curiæ* in confiniis *Angliæ* & *Walliæ* constitutæ Cancellariæ instar, ubi inter indigenas ex æquo & bono ab eadem delegata autoritate decernebatur, limitibus & regulis circumscribitur angustioribus.

Concilii Sacri, Curiæ Stannariæ, Curiæ Cambream inter & Angliam jurisdictionem angustioribus regulis circumscribi patitur;

*Foresta*rum item, sive Saltuum *Regiorum*, circuitus brevioribus cancellis arctatur; *Camera* (ut vocatur) *Stellata*, in qua, præsidente *Regni Cancellario*, in grandia Crimina inquirebatur, qualia sunt *Seditio*, *Conjuratio*, *Conspiratio*, *Scandalum magnatum*, &c. quibus nullâ particulari lege, vel minùs efficaciter, cautum erat, item in Personas quarum astutia vel potentia vim Legum eluserat, penitus antiquatur.

*Foresta*rum *etiam circuitum.*

Cameræ Stellatæ curiam abrogari:

Nec minùs *Ecclesiastica* suprema *Curia*, in qua, *Archiepiscopo Regiâ* autoritate freto moderante, adscitis *Proceribus* aliquot & *Legis prudentiæ peritis*, de gravioribus morum, & positis sub Ecclesiastica censura criminibus cognoscebatur.

Ecclesiasticam etiam Supremam Curiam:

Curia

Curiam quoque Præsidis & Concilii Borealis.

Curia Præsidis & *Concilii Borealis* cassatur, quibus tractus illi multis retrò seculis regebantur; ubi etiam præsertim adversus Seditiones & Confœderationes stringebatur acies Autoritatis, & præterea jus dicebatur inter litigantes de Realibus, ut fundis & hæreditatibus, & Personalibus debitis, opprobriis, & controversiis eorum quibus inopia lites *Londini* persequendi secundùm Leges facultatem denegaverat.

Hæ omnes alacriter indulgente *Rege* boni publici intuitu exauctorantur; etsi luculentissimum indè Majestatis jubar & Prærogativa radiaret.

Monopolia cassanda indulget.

Monopolia omnia cassari passus est, relictis ad arbitrium *Parlamenti* cunctis qui præter jus & fas quicquam perpetraverant in ipsis exequendis.

Renunciat etiam Militis cogendi jus, Taxationi navali, Portoriis & vectigalibus.

Milites cogendi juri renunciat, *navalis* etiam *taxationis* tributo, (cujus unius redimendæ gratiâ novissimum *Parlamentum* sexcenta librarum millia monetæ Anglicanæ obtulerat;) à *Portoria* item & *Vectigalia* maritima (quibus jam post multos annos haud interpolatâ usucapione gaudebant Prædecessores; *Regum* nullus sese abdicavit) exigendi autoritate exui se passus est. Imò, quò diu neglecta gravamina in posterum minùs luxuriarent, nec auderet *Magnatum* quispiam vel *Magistratus* nuperas labefactare concessiones, vel in populum impunè grassari, concessit *Parlamenti* indicendi (modò *Ipse* omiserit) triennio quoque veniam *Cancellariæ*; Cancellariâ officium detrectante, *Proceribus* & *Vicecomitibus*; hisce deficientibus, *Populo* conveniendi ad electiones copia facta est.

Parlamentum triennio quocunque indicendum indulget.

Præsens etiam Parlamentum non abrogandum sine utriusque Consessus consensu.

Tandem & illud quod modò jactamus, modò querimur beneficium, ut omni superiorum beneficio majus, ità omni posteriorum temporum gravamine tristius; rogantibus ipsis, *quò ære alieno oneratam fidem publicam liberandi spatium habe-*

haberent, & conceſſa à Rege privilegia rata ad poſteros tranſmitterent, *Comitiis* indulget, Lege factâ, tamdiu continuandi *Conſeſſûs* veniam, donec utriuſque *Senaculi* ſuffragiis abrogaretur, quaſi intermiſſa diu *Comitia* penſaturus unius diuturnitate. Quod utut interpretantur alii, Candoris erat erga ſubditos ſummi, aut ſaltem animi vim & arma minimè meditantis indicium.

Nemo non crederet *Regiam* Poteſtatem abunde circumſcriptam, ſatis *Populi juribus & Parlamenti privilegiis* conſultum. Atat, hiſce Harpyis iſta non ſufficiunt, quorum unus ſciſcitanti cuidam *quid porrò Regi concedendum reſtaret*, reponit, *ut abdicatâ omni autoritate ſe ſuaque noſtræ fidei concredat.* *Hiſce tamen non ſatisfacit Factioſis*;

Hoc ut conſequantur Factioſi, tot ſcrupulos & ſuſpiciones injiciunt incautioribus Collegis & minùs prudentibus, ut inſtar Hydræ capitum, conſurgerent ſimultates & diſſidia plura ex favore *Regio* & placandi ſtudio, & *Conceſſiones* illius potiùs ſitim accenderent, & petacibus animum adderent, quàm explerent: quod uſu venit Popularibus in Conciliis, ubi ſemel conceptâ fallaciarum opinione, *alii* præcentoribus ſuccinunt; *alii*, nè cæteris minùs oculati, vel magis Reipublicæ deeſſe viderentur, omnia è longinquo ſuſpectant, tuta timent, & nodos in ſcirpis quærunt. *ſed appetitum acuit, & audaciam Simultates & diſſidia ſuſcitandi.*

Inter cætera præcipuè notandum, quòd *Exercitum* ſumptibus propriis contra *Scotos* ſcriptum, quem in procinctu habebat, (etſi jam pactis induciis *Parlamenti* ſtipendiis militantem) clàm à *Rege* ad *Londinum* accerſitum, ut populum frugi faceret ac tumultuantem compeſceret, calumniantur. Quod licèt is jure poterat, hujuſce tamen criminis, (ſi ſic appellare fas ſit) multis Præfectis & militibus in examen vocatis, nè arguere conſcium potuerunt; curantes unice, ut *Regium* in caput invidiam cumularent, populúmque acriùs irritarent.

Jam

Scoti dimittuntur.

Jam *Parlamento* vacat, ſuâ freto potentiâ, *Scotos* in Patriam ablegare; qui, promiſſis trecentis millibus libris Monetæ Anglicanæ intra triennium ſolvendis, Spoliis, Stipendiis & Gratiis (quæ tamen Exercitui *Anglicano* vel parcè vel non omnino ſolvunt) onuſti regrediuntur; exauctorato ſimul Exercitu tam Anglicano quàm Hibernico. Imò acriter diſputatum, uter prior exauctorandus *Exercitus*, hic vel ille; donec ægrè obtinuit in *Senatu*, ut ambo ſimul recederent.

Solvitur etiam Anglorum & Hibernorum exercitus.

Rex Scotos in Patriam ſequitur.

Rex retrocedentes in *Scotiam* ſequitur, ubi convocato *Parlamento*, conceſſis omnibus quæcunque Avaritia, Ambitio vel Petulantia roganda comminiſci poterant, & Lege ſancitis, Suo damno gratiam inter omnes conciliat, bello & controverſiis cicatricem obducit. Sed *Regis* à tergo *Commiſſarios* amandat *Parlamentum*, ceu molitionum *Regiarum* ſpeculatores, qui ſub arctioris amicitiæ novos inter amicos corroborandæ ſpecie, *Regiam* diſſolverent: & reverâ fabulis, ſuſurris, fallaciiſque mentes captiuncularum avidas corrumpendo, negotia *Regia* in præſenti tantùm non interverterunt. Eo etiam ſpatio prorogatur ad certum diem, utriuſque *Conſeſſûs* ſuffragiis, *Parlamentum Anglicanum*.

Reverſus à Londinenſibus Convivio excipitur.

Revertenti poſt menſes aliquot *Regi Londinum* plaudit, eúmque cum *Regina* & *Regia* ſobole opiparo Convivio excipit; reclamantibus licèt *Parlamentariis*, aliiſque nonnullis; nè hiſce *Civium* gratulationibus *Regia Majeſtas* nimiùm elata, vel populo ſatis abunde factum, vel rebus ſuis apprimè conſultum reputaret. Quod tamen Ille, invitatis ad Baſilicam *Hamptonienſem* primoribus Civibus cum Prætore, magnificè rependit. Iſta verò malè concoquebant Factioſi, certò conſtituentes gaudiis intermiſcere triſtia.

Præ-

Præterlapſis diebus aliquot, *Programmate* (Libellum dixerim famoſum) oblato, reditum congratulantur. Eo *Parlamentarii* omnia *gravamina* Reipublicæ, vel potiùs laſcivientium hominum querelas, cumulabant; quicquid ab Aulicis, Curiis, *Magiſtratu* vel *Regiis* Adminiſtris delictum; quicquid infortunii acciderat toto ſub Imperio, imò quæ, reformata, juſto ſilentio obruenda erant; omnibus ad ſummum livoris apicem exaggeratis: eâdemque operâ typis impreſſum publici juris faciunt. *Declaratione defamatoriâ Factioſi gratulantur.*

Hoc *Rege* abſente cudebatur, aliis prætextibus à præcipuis turbonibus in Domo inferiori prolatum, cùm contrà fuiſſet diſceptatum à tertia veſpertina, totâ nocte, ad decimam matutinam, multis interea prudentibus, pro ætate & infirmitate corporis, aliis (quod pejus erat) metu vel ignaviâ dilabentibus, vix tandem undecim ſuffragiis ſuperantibus comprobatur.

Rex leviter perſtringens, quòd publicè ſuo non expectato reſponſo venditaretur, paucos poſt dies alio *Programmate* evulgato id refellit. *Cui Rex brevi reſpondet.*

Hæc Belli indictio, & quaſi primum Claſſicum. Nam etſi ſanare fomentis mollibúſque remediis *Rex* adniteretur, in ſinu computruit ulcus, nec ſine ferro & igne ſanari potuit.

Tumultuatum de novo *Ceremoniarum*, *Liturgiæ* & *Regiminis Eccleſiaſtici* colore, à populi colluvie. Muſſitant *Factioſi*, *Militiæ* totius potentiam *Regiis* è manibus extorquendam, jamjam arrepturi. Quibus conſtitit, Patientiâ potius inſufflari malevolentium audaciam, & ad ſeditionem ſterni viam; nec minùs liquidò *Factioſorum* non ſolùm *aſſenſu*, ſed etiam *aſtu* & *machinatione*, concitatas eſſe turbas; horúmque compertos aliquos *Rex* habuit *Scoticæ* invaſionis. *Novi tumultus Armorum & Militiæ poteſtatem à Rege raptam eunt.*

Nè ergò ſemper patiendi munere fungeretur *Regia* Majeſtas, ſed obviàm iret, & ma- *Rex occurrit Seditioni,*

& maturè compeſceret in herba pullulantem Rebellionem; Quinque *Plebeios* & unum è *Proceribus* læſæ *Majeſtatis* poſtulat, & ſiſti judicio jubet, rémque omnem ſecundum Angliæ Leges coram Regni Judicibus conteſtatâ lite diſcerni.

Duces ejuſdem Perduellionis poſtulando:

Quibus patrocinatur inferior Conſeſſus.

Hiſce (*Factione* jam latiùs ſerpente, & potiore *Senatorum* numero potenti, multis etiam probis hominibus, nè vel minimum decederet Parlamenti privilegiis, plùs æquo ſolicitis) patrocinatur inferior Conſeſſus (quod objectis Feloniæ, Homicidii vel Perduellionis criminibus, nunquam priùs auſus eſt) nec *Regem* audit *Petitoris* & *Actoris* ad partes ſe demittentem; ſed accuſat potiùs, & *Privilegiis* vim offerri *Senatoriis* pronunciat, nec ſinit *Senatorum* quenquam ad Tribunal trahi, aut accuſationibus à *Reipublicæ* curis avocari, & reorum ſordibus Judices Arbitróſque *Regni* de honeſtari.

Hinc Rex propria in Perſona Senaculum inferius ingrediur,

Quo *Rex* commotior factus, (ſuaſu quorundam qui à Sacris erant, etiam ipſius *Parlamenti Senatorum*) Centum plùs minùs *Nobilibus*, *Generoſis*, eorúmque famulis circumſtipatus, ad Aulam properat *Weſtmonaſterienſem*, mandátque nè quis alius vel auſit Curiæ gradus conſcendere, vel quenquam (etiam laceſſitus) contumeliis afficere: ſolus cum *Palatino Rheni Senatum* inferiorem intrans, poſtulat ut ipſi tradantur *Incendiarii* in manus, pollicetúrque ſe juxta notas Leges cum illis acturum.

ut eoſdem poſtulet.

Qui diſfugerunt.

Hi vero prænoniti (ut ferebatur) *Comitis H.* & nobilis *Fœminæ* (quæ Formæ priùs, nunc Ingenii dotes, alteriùs ætatis munera, apud *Senatores* geſtiit oſtentare) operâ ſe ſubduxerant. Quocirca *Rex*, ſubterfugientibus accuſatis, citra cujuſquam injuriam aut noxam reverſus, (cùm videret æſtuare plurimùm *Senatores* & ægrè ferre) litem placidè remiſit, &, quò demulceret exacerbatos hominum animos, aliquoties retractavit, & quaſi culpam deprecatus eſt.

Rex poſtea deſiit, & quaſi culpam agnovit.

Hinc

Hinc tamen anſam arripientes illi qui continuò invigilabant omnibus occaſionibus faces admovendi, offenſionéſque accendendi, mirum in modũ *Regem* ob hoc auſum exagitantes, in furias agunt imprudentium animos, exertáſque diſcordiarum ſcintillas latè circumferunt ad excitandam toto Regno flammam.

Sed hinc convitiandi anſam Factioſi arripiunt, & offenſiones accendendi & turbas.

Accerſuntur *Plebeii* ex vicinis *Provinciis*, *Buckinghamienſi* ſcilicet, *Eſſexienſi*, aliiſque; qui variis in claſſibus armati accederent petitum, ut *Membris* ſuis (detur *Angliciſmo* venia) jus liberè ſuffragandi privilegiáque ſarta tecta conſerventur: quamvis *Cantianos* modeſtè, ſed è contraria parte ſupplicatum venientes, introitu Portarum *Londinenſium* interdicerent, alióſque idem facturos non ſine minis arcerent & contumeliis. Ità quaſi luſtrando populum, delectúmque agendo, claſſicum canunt. Accuſati *Londino* deliteſcunt, donec prenſari cieríque Municipes poſſent, armíſque & Acie inſtructâ in ſatellitium & cuſtodiam, comitari ad *Comitia* prodeuntes. Quâ re *Regis* in auribus percrebeſcente, quamvis tum temporis (Londini *Prætore Gurneo* procurante) fidiſſimi homines juxtà & ſortes ſe obtulerant, nempe ut immixti turmis, & ſub aliis perſonis ſpectatorum inſtar in plateis diſpertiti, *Exercitui* occurſarent, ſi quidquam contra *Regem* attentaret; *Ille* cedendo potiùs hoſce frangi poſſe fluctus ſpe conceptâ, cum *Regina* ad *Winſoriæ* Caſtrum ſe ſubduxit.

Accuſati deliteſcunt Londino, & Acie inſtructâ municipibus deducuntur ad Senaculum.

Rex ſeſe ſubtrahit Winſoriæ ad Caſtrum.

Poſtea verò jurgiis latiùs diſſeminatis, amandatâ *Reginâ* trans fretum (colore Filiæ natu maximæ (pridem *Auriaco Principi* nuptæ) in *Belgium* deducendæ; reverâ tamen ut futurâ tempeſtate ſecura hyemaret) & accerſito *Principe* (quem ſubaudierat Factioſos *Parlamenti* autoritate intercepturos) verſus *Eboracum* tendit; miſſis tamen priùs ad Senatum literis, quibus diſceſsûs rationes exponit, & omnes Pacis rationes incundas ſuadet: *ut quicquid id eſſet quod tantopere ab*

Reginam amandat in Belgium.

Principem accerſit.

Verſus Eboracum tendit; miſſis priùs ad Comitia literis pacificatoriis.

ab ipso cuperent concessum aut factum, scriptis explicarent; quid Senatus, quid Populus vendicarent, quid vicissim Regi tribuendum, absque ambagibus definirent: recipitque sanctissimè aliena se non magis jura imminuta velle quàm propria sua, quin & libentissimè assensum operámque se præstiturum omnibus quæ Reipublicæ jura suaque & pacem in integrum restituant.

Quibus tamen convitiatur inferior Consessus, quasi Privilegiis contrariis, & perterreri se simulat;

Hanc tamen Clementissimi *Regis* æquitatem non aspernantur modò, sed convitiantur, tanquam *Privilegiis Senatoriis contrarium esset, quid factù opus esset edoceri, & literis interturbari consulta.* Inferior *Consessus*, favore plebis intumescens, dici vix potest quantum iftis ad pacem monitis, tanquam ad nova pericula, & anguem in herba latitantem, perterreri se simulaverit.

ausus à Rege potestatem totius Militiæ & armorum rogare solus:

Hinc captatâ opportunitate, ausi sunt *Senatores* tertii ordinis soli (*Proceribus* adhuc petitioni tam iniquæ reluctantibus) *Omnium Arcium, munimentorum, & totius Militiæ potestatem sibi deposcere.*

quod cùm impetrare non poterat, excitat municipia ut suâ sponte arma induant.

Hoc cùm à *Rege* non potuerint impetrare, irritant instinctu suo *Municipia* quotquot ab eorum arbitrio pendebant, ut quasi sponte *Armilustria* instituerent, Juventutem arte bellicâ exercitatam in turmas & cohortes ordinarent; quod & è pòst facto comprobatum in Senatu inferiore, quasi jure factum.

Decretum cudit Senaculum inferius de militia per Delegatos administranda;

Suo etiam in *Consessu* Decretum cudunt, quo *Parlamenti* Autoritate, nominatim in omni Comitatu Delegati jubebantur *Juventutem, cæteràsque Militiæ capaces, armare, instruere, educere, & parare in futura Parlamenti jussa, ad rebelliones comprimendas, invasiones amoliendas*, &c.

& expugnato demum consensu Procerum, junctis Suffragiis à Rege rogant,

Notis artibus demum expugnato consensu *Procerum*, utriusque Curiæ junctis Suffragiis, *Regio* comprobaretur calculo exposcunt; *ut* securè scilicet *de rebus nuper à Rege propositis consilium inirent, hoc expedire, imò necessarium*

esse

esse tam sibi quàm Reipublicæ, pronuntiant; *prætexentes Galliam, Germaniam, Hispaniam fervere armorum apparatu, undiquaque insidiarum rumores percrebescere; Lutetiæ Parisiorum, Venetiis, Romæ, se certò edoctos Pontificios & malè feriatos machinationes & stratagemata commoliri, quibus subvertatur Parlamentum cum Religione Reformata.* *prætextu periculorum*

Rex placandi studiosissimus, indulget partitam Militiæ gubernandæ potestatem, tempore certo determinandam, reservato sibi summo jure, quo tam *Regi* quàm *illis ipsis* abunde prospiceretur: probat etiam *Delegatos* ab ipsis propositos, (*Londinensibus* exceptis aliquot) & patheticè hortatur, conjurat etiam, *Tandem inani metu & mutuâ suspicione depositis, moderatis incumberent consiliis, & dispicerent quo modo turbata Respublica & diversas discissa in partes, & tantùm non suis viribus dilaniata, rediret in unum; Pace & concessionibus (quippe nullus retro Princeps subditos majoribus sibi devinxerat) fruerentur.* *Rex indulget partitam potestatem gubernandæ Militiæ, reservato sibi summo jure: hortatur ad moderata consilia & Pacem.*

Hanc autem indulgentiam *Regis*, hæc monita aspernati, cæteris quæ sibi somniârunt mormolycea & terriculamenta reverâ imponere. *Excubias* jubent sedulas locis in dubiis agi, *Pharos* observari, *Ignes speculares* erigi locis in opportunis, *Naucleros* quasi in Bellum præparari. *Sed Factiosi aspernantur ista. Cæteris imponunt vana terriculamenta, iisque irritant populum.*

Populus indies sparsis in vulgus rumoribus exagitatur; nunc Divina perâgentes diebus Dominicis, terrore panico cientur, quasi *Pontificii* (quos, vel unde, nesciunt) in procinctu essent, tectis incendium injecturi, sanguinem animâsque precibus intermixturi; jam copias imminere jugulis è specubus subterraneis & saltubus erupturas. *Londinensium* haud prudentioribus (sed non paucis tamen) persuadetur, (si tam ridicula, à quibus magna tamen mutationum momenta pendebant, commemorari fas sit) suffossis subter *Thamesim* fluvium cuniculis, Pyrio pulvere undis in altum elevatis nocte suffocandos.

His & similibus offuciis in rabiem Popellus agitur, in quodcunq; facinus proclivis, quò hisce sese extricaret anxietatibus.

Verentes Regem Hullam *cum armamentario intercepturum,*

Inter ista, nè prætermittam belli (cujus Progressum in animo prosequi non habeo) Primordia, Boream versus iter agente *Rege*, nasutioribus subolebat, velle Eum *Armamentarium* quod *Hullæ* servabatur instructissimum occupare, unde maximum belli futuri momentum pendere poterat.

Hothami operâ præripiunt;

Ipsi ut anteverterent in *Parlamentariam* fidem, oppidum illud *Johanni Hothamo* Equiti Aurato demandant, (nullâ autoritate utriusve *Consessûs*, sed Factiosorum aliquot voluntate.) Quod ille ocyùs firmavit tumultuario præsidio, & oppidanorum aliquot auxilio fretus.

qui Regi adventanti præcludit portas,

Hoc simul ac *Rex* resciverat, servis & Proceribus stipatus eò contendit; sed introire, portis occlusis & milite muris impositò, prohibetur. Indignari hinc *Regia Majestas*, jubere ut saltem satellitio viginti Equitum intrare permitteretur: detrectantem *Hothamum* nonnisi solum intromittere, Majestatis læsæ promulgat: queritur literis ad Parlamentum missis de ista injuria, vindicias exigit.

& læsæ Majestatis reus denunciatur;

à Consessu inferiore defenditur.

At *Tertii ordinis* (sc. Consessûs inferoris) suffragiis comprobatur *Hothami* facinus, & *Regem* violâsse *Parlamenti* Privilegia, quòd *Collegam* Perduellionis stigmate perstrinxisset, inauditum proprio *Consessu*, pronunciatur. *Comiti Warwicensi*, milites aliquot è navibus immitteret in oppidum, armamentario exinde delato *Londinum*, imperatur. At *Hothamus* (ut de eo simul omnia) serò facti pœnitens, cum hisce scintillis omnes inflammari Provincias videret, postmodum impetratâ venià, Oppidum in *Regias* manus consignaturus deprehenditur, & pœnas *Regi* debitas *Parlamento* dedit, unà cum *Filio* securi percussus.

Postea facti pœnitens, traditurus oppidum Regi deprehensus, capite cum filio truncatur.

Inter

Inter iſta belli Præludia, pacis mentio & ſpes facta: Menſibus elapſis aliquot, Reſponſum mittitur à *Parlamento Regis* ad Propoſita quæ fecerat *winſori æ Caſtro*, verſus Borealia diſcedens, Articulis ſive poſtulatis novendecim. Ecce horum ſummam. *Propoſita Pacis Regi Comitiâ mittunt.*

Proceres omnes qui à ſanctiore Regis Conſilio ſunt & Secretis, Concilii Præſes, Archigrammatei, exauctorati locum cedant aliis à Parlamento comprobandis. *Qualia.*

Hi juramentum præſtabunt quale Parlamento videbitur æquum.

De futuro, mortuorum invices novi ejuſdem autoritate promoveantur: quòd ſi Parlamentorum intervallo contingat aliquos vitâ demigrare, Collegarum pluribus ſuffragiis eligantur alii. Nihil pro genuino Concilii Regii decreto æſtimetur, ni plurium ſubſignationibus corroboretur.

Cancellarius, magni Sigilli Cuſtos, magnus Regni Seneſchallus, Coneſtabularius, Judices, fiſci Præfecti, & (ut verbo dicam) omnes qui publicis functuri muniis, à Parlamento jubente ſufficiantur.

Procerum nullus de futuro creatus, jus habeto ſuffragii in Curia ſuperiore abſque Ordinum conſenſu.

Gubernandæ totius Militiæ autoritas Parlamentum penès eſto: omnia Propugnacula, Arces & Regni munimenta ſubjiciuntor Parlamento.

Nec cuiquam Regiæ Prolis Connubio jungi niſi judicio ejuſdem.

Obnoxii omnes (id eſt, qui Regi ſtudebant) *Parlamenti judicium ſubeunto.* Quod ſæpe antea expetitum Rex toties obtulerat, modò Legis ad normam cum ipſis agerent, non verò, *Straffordiæ* Comitis inſtar, pro arbitrio plecterentur innocentes.

Ad hæc Imperata potiùs quàm Pacis Articulos, qualibus commoveretur indignatio citiùs quàm conciliaretur Aſſenſus, Regium reportatur reſponſum, viris prudentiſſimis, Marchione *Hertfordiæ* & Comite *Southamptoniæ*, deferentibus: quibus in mandato erat ut intra *Curiam Procerum* magis æquis conditionibus depaciſcerentur. Sed hiſce non intromiſſis, res in nebulas evanuit. *Rex reſpondet.*

In nihilum res cedit; ut incassum omnes tractatus & proposita de futuro;

Et quoniam hîc loci *Pacis* & *Propositionum* mentio facta est; sciendum, postea flagrante bello, de ea redintegranda, missis utrinque *Propositis*, & *Delegatis* bis invicem convenientibus, (instantiâ *Regiâ*) tractatum fuisse; sed incassum, & plerumque *Parlamentariâ* culpâ.

Rigidissima Comitiis proponentibus.

Cùm enim *severæ* adeò proponerentur ipsorum ex parte Conditiones, & quibus *sibi solis* prospiceretur; cæterùm à *Rege* quæ erant ex *æquo* & *bono*, & quibus abunde *Parlamento* & *Reipublicæ* (*Sibi suíque* minùs) prævideri posset; indignari *populus*, & indies à *Parlamentariis* partibus deficere.

Mediationes Regis Galliarum, Ordinum Fœderatorum & Scotorum repudiantur. Comitia Militiæ gubernandæ potestatem arripiunt. Rex contrarium jubet, citatis Legibus quæ contrà stabant.

Galliarum etiam *Rex*, (an bonâ fide?) nec minùs *Ordines Confœderati*, suam operam litibus componendis (*Parlamento* rejiciente) collocabant; *Scoti* etiam, sed tanquam partiarii à *Rege* repulsi sunt. Sed Paci valedicendum, *Bellona* præ foribus.

Populo ut suprà dispositio, *Delegatis* in omnibus *Provinciis* Auctoramento instructis, Militiam, quam à *Rege supplicando* non impetrârunt, *vi* & *propriâ autoritate* freti invadunt *Parlamentarii*.

Jubet è contrario Rex *illicitis abstinere*, perduellionis sub periculo, citatâ Lege 25 *E.* 3 *cap.* 2. quâ sola hæc Crimina, *Regis*, *Reginæ*, *vel Principis mortem machinari vel admoliri*, *Reginam vel Principis uxorem stuprare*, *Arma contra Regem sumere*, *Hostibus intra vel extra Regnum subvenire*, *Sigillum Magnum vel Monetum adulterare*, pro Majestate læsa in futuro æstimari debeant: productis aliis etiam Scitis, quibus ad *solum Regem armorum & militiæ spectare curam* pronunciatur.

Respondent.

At illi, Pro *Rege* stare quidem *literam*, *Legis* verò *mentem* pro se militare: *Regis* etiam adversus *Personam* arma induere non prohibitum, sed contra *Autoritatem*, quæ cùm in omnibus Justitiæ Curiis, tum luculentissimè in *Parlamento* effulgebat.

Replicâtque Regia Majestas,

Replicante *Rege*, *Distinctionem illam trecentis retrò annis damnatam*, *cujus sub integumento* Spencerii *seditionem admolientes*, *irrogatâ capitis sententiâ mulctabantur*,

mulctabantur, jubente Parlamento. Parlamentum præterea præsens non esse sui juris, sed profligatâ potiore Senatorum parte, cæteros Factionis arbitrio mancipatos.

His nihil proficientibus, *Rex* etiam *Delegatos* omni in Comitatu, *Regiâ* autoritate munitos, jubet *armare subditos, lustrare, & ad sua jussa* (modò rerum necessitas exposceret) *parare homines, Rebellibus coercendis, Seditionibus comprimendis idoneos.* Hæc fundi nostri calamitas, hæc tuba rixæ fuit: Dum *Rex* jus avitum tueri, *illi* rapere nituntur, invicem Bellum oritur. *& obnititur aggredientibus;*

Sed impar *Congressus*, quacunque ex parte jus steterit; rerum potitur *Parlamentum* viribus superius, plerisque in Comitatibus dominatum arripit, agonizante *Regiâ* Causâ, paucisque in *Comitatibus* ægrè spiritum ducente. Nec majore difficultate, sub auspiciis *Comitis Warwicensis, Classis* in partes trahitur: Utrumque sine pugna. Strenuè verò & diu per *Apologias* velitatum est: At cùm *Rex* calamo superior plurium opinione palmam præriperet, ad ferrum descenditur justis *Exercitibus.* *sed frustrâ, protentioribus Comitiis.* *Apologiis certatur; quibus Rege superante,*

Parlamento proclive erat conscribere & instruere *Exercitum Londini*, urbe, & tot gentibus (ut ità dicam) potenti, unde tot hominum examina, rerum novarum abunde cupida, effundi possent; ubi tot arma, tam grandis commeatûs opportunitas, & tanta vis pecuniæ, tot millia tormentorum præstò essent. Qui etiam tot speciosas causas, ob quas vel mori pulchrum esset, declarationibus evulgant, tot honestas tesseras Vexillis inscribunt, quibus hominum animi vehementiùs quàm tubis tympanisque accenduntur; *Ad Regiam* scilicet *Personam tutandam, eripiendámque è malèferiatorum manibus, ad Parlamenti Privilegia propugnanda, ad Religionem sartam tectam conservandam, ad Leges avitúmque Angliæ regimen protegendum, imò ad Aras & focos defendendos,* *Comitia Exercitum conscribunt.* *deceptâ officiis populo,*

Arma ſe capeſſere proteſtantur; & ad auxilium omnes invitant.

Concionatoribus etiam,

Quibus Artibus faſcinati *Concionatores* qui mutandi Regiminis in *Eccleſia* deſiderio tenebantur, ſpe nonnihil fortè titillante (quod rotunde *Novatores* promiſerant) fore ut diſſentientis *Cleri* Sacerdotia & opimos *Epiſcoporum Decanorúmque* reditus, ceu juſtam hæreditatem, ipſi poſſiderent, è ſuggeſto claſſicum canunt, unde Pacis Evangelium promulgare debuiſſent.

Populus inſuper aliâ ſpe Aurei futuri ſeculi, *Regnique temporalis Meſſiæ*, œſtro quaſi percitus, undique concurrit, immenſam vim ſignati æris & Argenteæ ſupellectilis, abjectâ rei familiaris curâ, *Mulieres* etiam annulos aureos & pignora Connubii, inaudito prorſus exemplo, in Ærarium immittunt. *Viri* militiæ quaſi ſacræ certatim dedêre nomina: unde brevi coaluit *Exercitus* ad viginti circiter hominum milia, antequam *Rex* in ſui defenſionem quingentos conſcriberet: Illi etiam plura poſſiderent tormenta quàm Hic ſclopetos.

Stipendia corradunt.

Ad conflanda Exercitûs ſtipendia, præter profuſas populi largitiones, Bona diripiunt *Nobilium*, & *Generoſorum* quos *Regiis* partibus ſtudere compererant; in *Epiſcoporum*, *Principis*, *Reginæ*, *Regíſque* ipſius Reditus, ſequeſtri ſpecie, manus injiciunt; ut *vix unde victum compararet ſibi relictum*, *Regia Majeſtas* verè conquereretur. Nec jam quicquam illis reliquum videbatur, niſi ut ſigna moverent, Regíque victo & quaſi indagine cincto manus injicerent; quod Menſis futurum ſpatio promittere non dubitarent.

Quales Regi Javen.

Aliter verò Deo placuit: Non enim præſtigiæ Factioſorum ità occæcaverant *Anglorum* animos, quin in *Regias* partes tranſiret longè maximus *Procerum* & *Dynaſtarum* numerus è Superiore Conſeſſu; æqualis penè inferioris, ſed qui cæteros, tum latifundiorum avitâ amplitudine, tum natalium

natalium ſplendore, longè antecederent. Etiam inter illos qui ſe *Londino* non ſubduxere, complures *Regiæ* cauſæ clàm favebant, imò multi Generoſi & Plebeii omnibus in Regni Comitatibus.

Rex horum ope & autoritate propriâ conſciri-bit exercitum talemqualem potuit.

Horum ope & autoritate propriâ, quâ Solis inſtar Eclipſin patientis ſpectatorum turbam attraxerat, & nonnullâ hominum commiſeratione, quos miſerè puduit *Regni* caput intueri in eam ſortem dejectum, ut ab Imperii ſede *Eboracum* profugiens, ab *Eboraco Nottinghamiam*, à *Nottinghamia Salopiam* & *Cambriæ* in fines; cùm quatuor plus menſibus vagus & extorris ſubditorum fidem & ſuppetias diu fruſtrà implorârat *Rex*, tandem aliquando Exercitum aliqualem contraxit, poſteáque majores Copias; promptiùs confluente ad Regis ſuppetias Populo, quâ parte ſtare *Rempublicam* crediderunt. *Proceribus* & Generoſis quamplurimis quod potuerunt ſatellitium in partes *Regias* cientibus, quos inter (nè cæteros ſuo defraudemus honore) duorum *Marchionum* emicuit Fides & Potentia, *Hertfordiæ* & *Novi-caſtri:* quorum primus non contemnendam *Belgarum* manum ſecum attraxit; alter, ſumptu ferè proprio, juſtum *Brigantum* eduxit exercitum: *Reginâ* etiam Pecunias & Arma (quæ gemmis aliquot oppignoratis conquiſierat) ſubminiſtrante; ob quod debitum Marito officium Perduellionis Factioſi poſtulant.

Rebellio Hibernica intervenit.

Dum iſtæ domi nubes cœlum obducunt, dira Tempeſtas foris intonat in *Anglorum* capita, quam (quoniam rebus noſtris haud parùm affert momenti) nè prætermittam penitus incognitam, in *Hiberniam* paululùm transfretandus mecum Lector eſt.

Hiberni quippe, quibus *Anglorum* grave ſemper jugum incubuerat, inſitúſque à natalibus, & auctus ex æmulatione Pontificiæ Religionis, ardor inoleverat, diu iſti excutiendo, huic aſſerendæ (ut ſe ferebat occaſio) invigilantes, jampridem

versatum animis facinus aggrediuntur. Ecce subitò universæ Gentis, quódque mirum magis, adhuc clandestinâ conspiratione, in *Anglos* per *Hiberniam* sparsos nihilque tale opinantes arma distringunt, re familiari fundísque exuunt, multa millia fœdè (nullâ sexûs, ætatis, hospitii vel affinitatis habitâ ratione) Superstitioni diræ ceu tot humanas hostias mactant. Parùm aberat, nisi *Dubliniæ* (quæ metropolis est) conjuratio detecta esset, aliísque in locis pauci cautiores arreptis armis obstitissent, quin eodem impetu nomen *Anglorum* per *Hiberniam* fuisset extinctum.

Macquire & Macmahon, Rebellionis Hibernicæ Jacis, comprehensi, Londinum deferuntur,

Dubliniæ verò, dieculâ designatum insurrectionis momentum antecedente, primæ Incendii strictura comparuerunt, prodente *Hiberno* quodam pedissequo, (servo *J. Clotworthii* Equitis aurati) qui operam navare in Conjuratione postulatam recusans, telam facinoris *Domino* suo retexuit; atque hic deinceps arcano *Regis* Concilio communicavit. *Proditorum* etiamsi complures aufugerint, bini tamen grandes incendii promotores, totiúsque *Rebellionis* architecti, quibus etiam demandatum erat *Castri Dublinienſis* occupandi munus, comprehenduntur, nimirum, Baro *Macquire*, & *Macmahon*. Hi custodiæ dati, *Londinum* deferuntur; ubi carcere diu macerati (ut de iis omnia simul enarremus) cùm dilapsi fortè fuerant, ab alio *Hiberno* produntur; & (*Rege* absente, bellóque *Angliæ* implicato) coram tribunali *Regii Banci* in *Aula Westmonasterienſi*, sedentibus ibidem *Judicum* plerisque, Perduellionis rei peraguntur. *Macquirius* à *duodecim-virisquæſitoribus* pro *Regni* more sons inventus, neci adjudicatur hunc in modum infligendæ; nimirum,

extremo & horrendo supplicio multandi.

ut crate ad *Tiburnas* (ubi plecti facinorosi solent) pertractus, laqueo penè suffocetur; dein, exectis semimortui genitalibus ac interaneis, & coram facie combustis, præcidatur caput, super Pontem *Londinenſem* pâlo imponendum, & residuum cadaveris quadripartitum

dripartitum ſuper quatuor *urbis* Portas ſtatuatur. Hæc ſententia executioni cum rigore demandatur, inſpectante *Londini Vicecomite*, cum quindecim plùs minùs millibus ſpectatorum.

Non eſt autem diſſimulandum, ſtantem jam in ipſo mortis confinio *Macquirium*, laqueo ſcalis in mediis, quibus crux aſcenditur, gulæ injecto, à *Vicecomite* per ſupremum *Dei* tribunal, coram quo brevi ſiſtendus erat, per Conſcientiam, quam aliàs exonerare non potuit, adjuratum eſſe, ut ſi quos nôrit criminis ejuſdem reos aut conſcios, ingenuè fateretur. Ille *Regem Carolum* nominatim abſolvit ab omni notitia hujus; & præterea ſanctè profeſſus eſt, *Anglorum* neminem, uno *Romano-Catholicæ* Fidei excepto, participem facti. Quod idem ſcalis ille dejectus, cùm ſuſpendii pœnas deguſtâſſet, ſublevatus aliquantiſper, ſpe non obſcurâ veniæ factâ, parùm deſiit proteſtari.

Macquirius in ipſis lethi faucibus

Regis innocentiæ aſſertor ſtrenuus;

At in pulpitis, in compitis, libelliſque triobolaribus, paſſim hoc *Regi Carolo* vitio vertitur; nec erubeſcunt innocuam & Sacroſanctam *Majeſtatem* etiam hoc tam atroci facinore commaculare; ſperantes, dum adeò fortiter calumniari pergerent, ſaltem aliquid adhæſurum.

quem tamen hoc crimine hoſtes onerant.

Animos fecerant *Proceribus* & *Sacrificulis Hibernis* (qui primas in hac Tragœdia concitanda ſuſtinuerunt) in hoc facinus nuperi *Scotorum* ſucceſſus, qui (utor Domini *Johannis Templei* Equitis Aurati verbis, qui cùm eſſet à Conſiliis ſacris ejuſdem Regni, ſcripſit hiſtoriam earundem turbarum) *Rebus ſuis bene felicitérque geſtis, immunitates à Rege inſignes per noviſſimos motus impetrârunt.* Ad hæc, turbæ domeſticæ rerum novandarum opportunitatem concedere videbantur, (quibus jamjam *Anglos* implicatum iri non erat ità difficilis conjecturæ, ut Oedipo eſſet opus;) nec à noſtratibus metuendum foret, ad vindicias Inquilinorum in *Hiberniam* transfretaturis. Auxerat audaciam opportunitas *Interregni* ex nupera *Straffordii*

Quinam ejus Autores, &

quibus opportunitatibus uſi.

ſordii cæde, & eâ occaſione innovatio *Magiſtratuum*, quorum acerrimos & *Hiberniæ* peritiſſimos ſub prætextu *Straffordianæ* Factionis exauctorandos, Perduellionis aliquos accerſendos, procuraverant *Hiberniæ Proceres*, dum in *Anglia Straffordium* perſequerentur, eorum in munia ſuffectis hominibus genii *Hibernici* inexpertis, vel in conjurationem propenſis.

Sic denique promptis, & vires attulerat exercitûs *Hibernorum* ad octo millia virorum, nuper conſcripti in *Scoticam* expeditionem, intempeſtiva miſſio: Quorum quatuor millia *Rex*, pace jam cum *Scotis* factâ (nè novis rebus in *Hibernia* ſtuderent) *Hiſpano* Legato tranſportandos permiſerat. Sed hoc quò minùs fieret, (commento in ſpeciem honeſto, nè *Galliarum Rex id ægrè ferret*, Proceribus *Hiberniæ* conjuratis id admolientibus) comitia obnixè rogârunt: poſteâque cùm *Rex* eundem numerum in Caſtra *Gallorum* tranſcribendum ſtatuiſſet, id etiam (nullis tamen allatis rationibus) repudiârunt. Hujus Exercitûs *Ductores* pauci admodum Rebellionis contagio ſe polluerunt: Gregarii tamen milites (quibus ſolenne eſt ferocire, & tum demum eſſe fortibus quoties à Militiæ periculis dimittendi ſunt) facilè ruunt in hoc ſcelus.

Quibus artibus in conſortium facinoris exlimulant in quilinos.

Hiſce, inquam, tantis in turbido piſcandi opportunitatibus deliniti cum *Sacrificulis Proceres*, quò *Inquilinis noſtratibus* vires attenuarent, animóſque in diverſum diſtraherent, *Populares* verò ſuos in cædes & rapinas incenderent, modis omnibus ſatagunt. Inter noſtrates jactitant *Reginam ipſorum intereſſe Copiis*, *Regem ſubſidiario cum exercitu adventurum*, *Scotos ſecum pepigiſſe fœdus*, cui ut fidem facerent, inter ipſas *Anglorum* cædes temperant à Scotis: Se *Regio Diplomate inſtructos jactitant*, *& Illius munſtos autoritate iſta commoliri*, reverâ Programma oſtentantes, ſed fictitium, cui Regium Sigillum, ab alio obſoleto Diplomate revulſum

Farnæ

Fœnæ Abbatiæ, multis ſimul conſentientibus Sacerdotibus & Proceribus, à quodam *Plunketto* annectebatur, ut multorum confeſſionibus poſtea conſtitit: *Regiam Cauſam adverſus Puritanos ſe ſuſtinere.* Inter ſuos fictas promulgant literas, quibus aiunt ſe ex *Anglia* edoctos *Sanctionem nuperrimè latam, quâ Hiberni omnes Proteſtantium Sacris intereſſe cogerentur, primámque abſentiam bonorum, ſecundam hæreditatum, tertiam vitæ diſpendio luerent.* Spem præterea Libertatis faciunt, & avitarum conſuetudinum; *Anglorum jugum excutiendum, Regem è propria gente eligendum, Anglorum omnium bona & poſſeſſiones inter indigenas diſtribuenda.*

Hâc prædæ & inſtituendæ in poſterum ad lubitum vitæ ſpe ad commilitium allecti, in furias aguntur *Hiberni*, atrociáque adeò & horrenda patrant facinora, qualia vix ullum retro ſeculum vidit.

Turbinis futuri *Rex* prima præſenſit indicia dum in *Scotia* commoraretur: Cujus primordia ut anteverteret, D. *Jameſium Hamiltonium* ocyſſimè mittit ad *Proceres* qui à Sacris *Hiberniæ* conſiliis erant, cum mandatis & Pecuniis quas potuit ex ſuo penu vel à neceſſariis ſubitâ occaſione accumulare. *Parlamentum Scotiæ* obnixè rogat ut ſubveniret; *Parlamentum* etiam *Angliæ* monet: Sed *illud* (Prætextu *Hiberniam Anglorum* fuiſſe juris) detrectat operam; *hoc* parvi facit, *Factioſis* privatim ſibi gratulantibus, novas *Regi* moleſtias imminere, & pariter excuſſo *Regali dominio*, & è tribus *Regnis* totidem brevi liberas *Reſpublicas* enaſcituras.

Scintillis verò in flammas erumpentibus, & percrebeſcente *Hibernicæ* barbariei notitiâ, *Parlamentum* exæſtuat, & mirum quanta cæſos perfidè inquilinos vindicandi cupido, quantus ſuperſtites defendendi Zelus univerſos inceſſerit. Certatim brevi ſpatio in militum ſtipendia & commeatus pro-

Anglorum zelus in vindicias & defenſionem ſuorum inquilinorum,

procurandos trecenta millia librarum monetæ noſtræ (quà ſpontaneis Largitionibus, quà Pretiis Hæreditatum & fundorum Rebellium, qui publicabantur à *Parlamento* poſt victoriam diſtribuendi, quam ſibi noſtrates juſtitiâ Cauſæ freti certè pollicebantur) accumulata, multis *Anglorum* millibus ſeſe militari Sacramento alligantibus. Cæterùm Genti noſtræ tantum impendebat infortunium, ut ex hoc ipſo (quod aliis inter ſe quantumlibet infenſiſſimis, pacem tantiſper conciliare ſolet) atrociùs propriæ gliſcerent ſimultates.

eluditur domeſticis inter Regem & Parlamentum ſimultatibus,

Hinc qui rebus novandis incumbebant, neſcio quibus ſcrupulis & ſuſpicionibus homines abunde per ſe pronos, & in pejora credulos, acriter pungentes, impetrant in *Comitiis* nè *Regiis* auſpiciis bellum geratur; néve quis militum *Regi* addictior, aut qui in *Scotica* Expeditione meruerat, huic ſe *Militiæ* immiſceret. Obtrudunt etiam in belli adminiſtrandi provinciam homines factioſos, & *Regi* parùm gratos.

reciprociſque accuſationibus;

Illinc *Rex* Exercitum contra Rebelles ducere conſtituit, útque *jure belli gerendi, per Leges & Regni conſuetudines, ſibi concredito, utatur,* inſtat & urget.

quæ deferveſcunt tandem Rege de jure ſuo cedente.

Tandem verò cedendi ſaltem humanitate, ſi minùs imperandi viribus, æmulos ſuperare cupiens, *Rex* annuit ut Suiipſius & *Comitiorum* ſimul Autoritate geratur bellum, & Auctoramenta nominibus *Regis* & *Parlamenti* conſignentur; attributâ exercitum conſcribendi, armandi, ducendi, Ductorúmque deligendorum *Comitiis* facultate; *Regi* nullâ pacis cum Rebellibus ineundæ, vel veniæ elargiendæ, copiâ ſine *Comitiorum* conſenſu relictâ.

Recrudeſcunt iterum.

Sed nec ità reſederunt *Comitiorum* Fluctus; haud diu enim poſt, (ſcintillis belli Civilis in flammas per *Angliam* erumpentibus) *Comitia* centum millia librarum in uſus Belli *Hibernici* erogata,

erogata, & duas tréſve Legiones ad Rebelles illic reprimendos conſcriptas, in *Regem* hîc opprimendum circumagunt: quin etiam emendicatas in Evangelicorum pereuntium ſubſidia eleemoſynas, nec non ad Templa conſtruenda collectas, in militum ſuorum ſtipendia transferre nihil morantur.

Ex adverſo *Regii* milites Commeatum diripiunt à *Comitiis* verſus *Ceſtriam* tranſmiſſum; quem ſtatim ac *Hiberniæ* deſtinatum illi clamitarent, *Rex* jubet in illius *Regni* uſus reſtituendum. *Comitia*, quò *Regis* infamiâ ſuam exiſtimationem augerent, leviculis in medium adductis ſuſpicionibus, Rebellionem *Hibernicam* *Regi*, ceu autori, crimini dare non erubeſcunt. Verùm, quod res erat, in Factioſos *Senatores*, majoribus rationum momentis ſuffulta, crimen & infamiam *Regia Majeſtas* tetorquet.

Iſta tamen non impedimento ſunt quin auxiliares noſtri *Hibernos* undique in fugam verſos funderent, incendiis, direptionibus & cædibus plura millia indigenarum delerent, & grandi internecione *Anglorum* Manibus parentarent. Sed ſolitudinem ſimul ubique faciunt, quæ non minùs ſibimetipſis quàm indigenis damnoſa tandem extitit. Incrudeſcentibus enim tandem per *Angliam* bellis, annonâ, commeatu, veſtitu, ſtipendiis, neceſſariis omnibus militi deficientibus, militéque tandem iſtis deficiente, vix verbis aſſequi fas eſt, quantum miſeriarum noſtrates in *Hibernia* perpeſſi ſint; quibus diu colluctati, ſæpius ad ravim uſque, ſed fruſtrà, invocatâ *Comitiorum* ope, *Regi* literas ſcribunt qui ſunt à *Sacris Regni*, *Militum Ductores*, ipſique *Milites*, quibus inſtanter miſſionem petunt, & in alia Caſtra avocari flagitant, ubi cum quolibet hoſte præterquam Fame pugnandi locus eſſet.

Noſtri ter fundunt Hibernos,

tantámque Regno ſolitudinem inferunt, ut ipſi deficientibus ſupplementis multas paterentur miſerias;

& revocari poſtulant.

Rex tandem, *Scotis* auxiliares copias in *Parlamenti* Caſtra ducentibus, in imparem pugnæ con-

Unde Rex induciis paciſci jubet cum Hibernis; *& Scotis ducentibus in Angliam,*

conditionem contra Factionem redactus, hinc neceſſitate propriâ, indè importunis ſubditorum precibus coactus, jubet inducias in anni ſpatium cum *Hibernis* paciſci, ut interea temporis Pax, æquis modò conditionibus, (ſi fieri id poſſet) coaleſceret.

Milites in ſuam defectionem accerſit.

Pactis induciis, copiiſque quæ Præſidiis tutandis ſufficerent poſt ſe relictis, redeunt milites ex *Hibernia* in *Regis* (cujus domi contra *Parlamentarios* fortuna manifeſto nutabat) auxilium. *Scoti* tamen, qui maximan *ultoniæ* partem occupabant, *Parlamenti* ſtipendiis & commeatu ſuſtentati, Induciis obſtringi detrectant; ut & pauci *Angli* in *Connacia* & *ultonia*, quibus cum *Scotis* interceſſerat conſuetudo.

Induciæ quorum operâ vilipendantur.

Paulò pòſt Baro *Inchiquinius*, qui Copiis præfuit *Momonienſibus*, perductis millibus nonnullis in *Regis* ſuppetias, cùm non ſatis pro dignitate & merito accipi videretur, clàm ſe in *Hiberniam* ſubtrahens, *Corcagiam* primò, poſtea totam *Momoniæ* Provinciam, quanta à partibus *Anglorum* ſteterat, in Clientelam *Comitiorum* trahens, renunciat induciis: cujus ſtatim & *Scotorum* in auxilium copiæ, pecuniæ, commeatus à *Parlamento* ſubmittuntur.

Liberatâ jam *Hibernià* militis *Anglicani* jugo, opportunitatem totius potiundi *Regni* Indigenæ arripiunt ſub *Oweni Row* Rebellium Archiſtrategi imperio, ſpretis quas ſolenniter pepigerant *Induciis*; armiſque ſubitò indutis, *Ormondii Marchionem* nil tale ferè opinantem interceperant, ni paulò antè admonitus per devia in *Dubliniam* ſe recepiſſet. Conſociatis deinde viribus, impellente *Papæ* (Bullâ prolatâ) *Nuncio* cæteros qui mallent fidem *Induciarum* obſervare, omnes *Dubliniam Hiberniæ* metropolim obſidione terreſtri cingunt, dum eâdem operâ *Parlamentariæ* naves portum occludunt.

Bellum Regiis imminet & ab Hibernis & à Parlamentariis.

Marchio

Marchio trium Gentium viribus impar, de ſtatu ſuo *Regem* admonet; Qui, ſi Civitatem defendere non poſſet, *Parlamento*, potiùs quàm in *Hibernorum* poteſtatem dilaberetur, tradi jubet. Articulis ergò pactis (quos inter, ſibi reſervata eſt *Regem* adeundi copia, quâ totius rerum *Hibernicarum* proceſſûs Ipſi rationem redderet) *Marchio* in *Angliam* reverſus, *Regem* in Baſilica *Hamptonienſi* reperit circumfuſum milite pridem *Parlamentario*, nunc autem rebelli: Ubi admonitus ipſum iri comprehenſum *Parlamentario* juſſu, clàm ſeſe in *Galliam* ab ejus inſidiis ſubtraxit.

Cui impares in manus Parlamentariorum tradunt quicquid à Regiis partibus ſtabat in Hibernia.

Paulò pòſt, cùm *Rex Inſulâ Vecti* Cuſtodiæ mandaretur, & ſpes omnis adipiſcendæ libertatis vel redintegrandæ Pacis Novatores, Decretis de non adeundo *Rege*, (de quibus poſtea fuſiùs) præcidiſſent, novis monitis inſtructus & *Proregis* titulo in *Hiberniam* tranſvectus, omnimodè incumbit, ut pace quàm poſſet optimâ factâ, *Anglos*, *Scotos* *Hibernóſque* conſociaret *Regis* in ſuppetias.

Rege poſtea in Cuſtodiam dato, Marchio Ormondiæ *redit novâ autoritate munitus, quâ partes omnes in unum conciliat ad Regem liberandum.*

Huic Baro *Inchiquinius* ſeſe cum *Anglis* quotquot ejus parent imperio conjungit.

Hiberni quidam, ſub *Preſtoni Taffi*que vexillis, (qui priſtinas inducias haud prorſus adverſati) non dubitant ſocia ſigna admovere. Alii etiamnum ſuſpenſis hærent animis.

Cui ſe conjungunt Angli quamplurimi, Hiberni quidam, & Scoti.

Scoti ab hoſtilibus adversùs *Regios* ſe temperant, & contra *Rebelles* ducunt, tanquam communem hoſtem; ac in unum tandem cum Marchione coaleſcere poſſe ſe, ſpem faciunt.

Nunc denuò *Dubliniæ* Præfectus *Joneſius*, copiæque ibidem *Parlamentariæ*, iidem ſcilicet illi qui Inducias & Pacem cum Pontificiis ab *Ormondio* initam vehementiſſimis convitiis diriſq; impetierant, tanquam de Religione actum foret, in eodem deprehenſi ſunt Meretricis *Babylonicæ* amplexu, quippe cum *Oweno Row* Rebellium Archiſtratego, cædibus & ſanguine *Anglorum* infami,

Sed repugnante Præfecto Parlamentario, cum Rebellibus infenſiſſimis initis articulis aſſociato.

fami, se tandem intimo fœdere aggregare, sociáque vexilla jungere *Regios* & Protestantes adversùs, nihil erubescunt.

Reditur ad Angliæ turbamenta.

Ab *alienis* cladibus (nec prorsus tamen alienis, quarum contemplationem unico aspectui ideo placuit subjicere, licèt temporum dissitissimorum res forent, nè sæpius excurrere necesse fuerit) redeamus ad *nostras*, majoribus longè & apertioribus præliis, minori etsi strage & perfidiâ, sævientes; parciùs deflagrante (quod dolendum) diuturnioris mali fomite.

Præliatur Regem inter & Parlamentum.

Siquidem vario diu Marte, & diversis locis, de summa rei pugnatum est inter copias *Regias* & *Parlamentarias* (*Parlamentariorum* deinceps etiam vocabulo intelligendi sunt, qui *Senacula* seu Comitiorum sedes *Londini* occupabant, quamvis numero secedentibus inferiores: quos tamen *Regii* non alio quàm *Rebellium* & *Perduellium* titulo perstringunt.)

Victoria ad Regem inclinante, & Parlamentariis animo despondentibus, Scoti in Belli societatem invitantur.

Pugnatum est, inquam, diverso eventu variis in locis; donec aspirante *Regiis* vexillis fortunâ, animos apertè desponderent *Parlamentarii*, indèsque à partibus ipsorum deficerent Factionis assectæ.

Quibus artibus populum nutantem in suas partes conciliant, & Scotis lenocinantur: Commentis scil. adversùs Regem in vulgus sparsis;

Redacti in angustias *Senatores*, *Scotos* in Belli societatem invitant; & ut refrigentem, & tantùm non extinctam Populi (quam pridem promeruerant) opinionem, & admirationem Zeli pro bono publico & Religionis puritate resuscitarent, & pecunias simul emungerent, notas recurrunt ad Artes.

In *Regem* ipsiúsque partes Commenta de novo cudunt; & passim spargunt inter populum, quasi *Rex meram Tyrannidem meditaretur, omniumque qui ex adverso steterant possessiones fisco addiceret, personas etiam sub jugum missurus, neque veniæ locum cuiquam relinqueret, ut nec minima pristinæ Libertatis vestigia; quin & ut Religionis Reformatæ abdicatâ professione, Papismum esset introducturus, unde omnes Missæ sacrificio*

ſacrificio intereſſe cogerentur. Aut iſtud nè ſit factum, (nè imperitis argumenta pertinaciæ deficerent) vulgo perſuadent, *Regios milites humanis carnibus aſſuetos, eoſdem inter Epulas devoraturos; imò canes & equos iiſdem ferculis enutritos jam ſuis inhiare cadaveribus.*

Hoſtias inſignes aliquot *Juſtitiæ* immolandos decernunt, (ſic enim ſub illa tempora apud rerum ignaros audiebat ſanguinolentis ſpectaculis Plebis captandæ ſtudium, & propriæ vindictæ cupido) *Hothamum* patrem & filium, *Caræum*; præcipuè verò, (ut arctiùs *Scotorum* animi devincirentur ſanguinis *Epiſcopalis* glutine) *Gulielmum Laud Epiſcopum Cantuarienſem*: hunc Perduellionis damnatum, partiario Procerum judicio, (quorum poteſtas omnis ſine Regio conſenſu antiquiſſimis Regni inſtitutis contra vel viliſſima capita mortis accerſendæ nihil valet;) illos militari concilio Proditionis damnatos. *Hoſtiis juſtitiæ immolatis;*

Preces publicas & *Jejunia* indicunt; leviculis etiam de Victoriis *dies Feſtos.* Tabulas ſuperſtitioſas, quibus *Chriſti*, *Deiparæ Virginis* aut *Sanctorum* imagines depictæ erant, publicè magnâque cum ſolemnitate igni & novo Martyrio devovent. Crucis Signa, & Obeliſcos quibus Sanctorum imagines inſculpebantur (quamvis in plateis *Londini* eminentioribus eſſent tum ornamento, tum uſui) non vulgari cum devotione diruunt. *Precibus, Jeiuniis, diebus Feſtis indictis; Imaginibus & Picturis ſuperſtitioſis publicè combuſtis;*

Epiſcopatum etiam & *Liturgiam* abroganda pronunciant: horum vice novum Regimen & Cultûs Divini formam *Synodico Conſeſſui* cudendum demandant, (de quo præter inſtitutum fuſiùs diſſerenti Lector ignoſcat.) Ad hunc duo ex unoquoque *Comitatu Concionatores*, iique ferventiſſimi tam *Epiſcoporum* quàm *Liturgiæ* hoſtes, nominatim à tertii ordinis Senatoribus evocati, confluunt: *Epiſcopales* etiam aliquot invitati, (cum *Regio* juſſu non corroboraretur Conventus) intereſſe de- *Epiſcopatu & Liturgiâ abrogatis;* *indicto Synodico Conſeſſu,*

trectant. *Scotici* etiam celebriores Miniſtri inter miſcebantur.

qui Catechiſmum, Fidei confeſſionem,

Hi diu parturientes, tandem edunt *Fidei Confeſſionem*, *Catechiſmum* qui Chriſtianæ Religioni apices complectebatur, *Directorium* etiam, ſive publicam colendi Dei normam; quo non formulæ nec exemplaria efferebantur, ſed manuductio quædam, quâ ſecundùm præſcripta ad omnes occaſiones capita, ad preces extemporaneas ſuopte ingenio effundendas novorum ſacrorum Myſta inſtituebantur: *Regimen* præterea *Presbyterianum*, cujus (ut & Cultûs) adminiſtratores conſtituebantur *Paſtores*, *Doctores*, *Presbyteri laici*, *Diaconi*, quos quatuor in Curiis, *Parochiali* ſcilicet, *Claſſicâ*, *Provinciali*, & *Nationali*, juriſdictione fungi oportebat.

& Regimen Eccleſiæ novum cudunt Presbyterianum.

Parochialis Curia ex *Laicis* duobus ad minimum *Presbyteris*, & *Paſtore* vel *Miniſtro* uno vel altero, pro ratione loci, conſtitit. Hiſce poteſtas in Parochianos erat, & hebdomadatim conveniendi jus; ubi penès ipſos eſſet ſiſtere *Parochianos*, de moribus & cognitione examen inſtituere, quos dignos cenſebant, in *Cœtum Eccleſiaſticum* admittere & *Cœnæ Dominicæ* privilegium; alios corripere, publicè admonere, vel ad tempus *Cœnâ Domini* prohibere, ſi quid commiſerint offenſæ quod ſcandalum Cœtui crearet. Qui ſub jugo ſe non dederunt, Ethnicorum numero & loco haberi.

Claſſicæ Curiæ ſemel in menſe vel ſæpius coire fas erat, quam *Delegati* ex duodecim ad minimum *Parœciis*, unus ſcilicet *Laicus*, *Eccleſiaſticus* alter, vel plures de ſingulis electi complebant. Hiſce de prædictis (præſertim ſi *difficultas* interveniret vel *Appellatio*) cognoſcere licebat, in ipſos etiam animadvertere Paſtores, in Miniſterii Candidatos *Ordines conferre*, *Anathematis* vibrare fulmen, præterea de ſcrupulis Conſcientiæ & Doctrinæ controverſiis determinare.

Pro-

Provinciali Curiæ (quam Delegati ex omni Claſſe toto in diſtrictu vel Provincia, cùm *Laici* tum *Clerici*, conſtituebant) ſuperior in prædictis conceſſa autoritas. *Nationali* ſuprema, ut & Leges in *Eccleſiaſticis* figendi & refigendi, pœnas irrogandi graviores, & de rebus quibuſcunque ſpectantibus ad Mores vel Religionem ſtatuendi poteſtas. Ab ima harum ad ſummam licuit appellare.

Cæterarum nulli *Sectæ* ſui Cultûs libertatem indulgendam hi Delegati Synodici adnitebantur, ſed Gangrænæ inſtar reſcindendas omnes. Quod cùm à *Parlamento* (cui *Independentes*, *Eraſtiani*, *Catabapiſtæ* & *Athei* intermiſcebantur) extorquere non poſſent, Plebs interturbat Sectarios Sacra peragentes, & ſaxis (dum rerum habenas *Presbyteriani* teneant) ſæpenumero penè obruit. In multis præter expectationem circumſcripta poteſtas; nec Regimen Presbyterianum *Parlamento* ratum eſſe jubetur niſi ad triennium, quo caperent experimentum *Comitia* quàm bene faceret ad ſalivam.

Immane fuit quotos hæc novitia irritaverint crabrones. *Politici* & *Juriſ-periti* ſuccenſebant tot de novo ſtatui *Tribunalia* quot eſſent *Paræciæ* in *Anglia*, eâque ferè arbitraria, viriſque maximam partem dominii impotentibus, rerum uſu minus edoctis, delegatum eſſe moderandi jus; ſuſpectantes è longinquo neſcio quæ monſtra malorum in *Familiis*, in *Paræciis*, in *Comitatibus*, & toto *Regno* exinde naſcitura. Fremit maxima pars *Populi*, ſubmittendum examini in Rudimentis *Religionis*, quâ veteranos ſe profitebantur. Fræna mordent *Epiſcopali* Regimini & *Liturgiæ* devoti. Maximè verò *Independentes*, *Catabaptiſtas* cæteráſque *Sectas* urebat periclitata *Conſcientiæ libertas*, quam unicè anhelabant; cujus gratiâ primi contra Regem ſigna ſuſtulerant, toties armati ſteterant adversùs ho-

Indignantibus quamplurimis Politicis & Juriſperitis aliiſque.

ſtes; quam tot laboribus, expenſis, vigiliis, periculis expetierant.

Nihilominus bellè Regimen *Londini* proceſſit, mediocriter Civitates inter & Municipia populoſa, Ruri verò frigidè; & triennio tentamenti elapſo, nullo de novo ſancitum decreto, vix palpitat ducítve ſpiritum. Et hæc de *Eccleſiaſticis*, quæ etſi non unâ vice geſta, ſemel commemorare placuit.

Venduntur vili Epiſcoporum bona & Reditus.

Ad Artes redeo cæteras quibus *Scotis* lenocinabatur. Inter quas hoc maximi momenti fuit, non minùs ad *Scotorum* animos ſibi conciliandos, quàm clientelam inter *indigenas* augendam, quòd *Epiſcoporum* latifundia, idque vili pretio, ſub haſta poſuerint; unde ſectores innumeri confluxerunt, qui materiâ ruderibúſque Palatiorum, & ſylvis exciſis, pretium emptionis ſolventes, prædia ampla & integra Maneria gratis fere indiſpicuntur. Et (nè repetere cogamur) *Exciſam*, *Vectigalia*, prægrandes adeò & continuas imponunt populo Taxationes, quantas nè *Reges* quidem quotquot Solio inſederunt retrò omnes extra ordinem irrogare auſi fuerint; quantæ non ſolùm expenſas publicas diſpungerent univerſas, ſed & inexplebilem inſtitorum ſuorum & proxenetarum voracitatem ferè ſatiarent; præter iſta quæ ex raptu, compilatione, liberóque commeatu corradebant. Hiſce offis deliniti *Scoti*, manibus pedibúſque quantam poſſunt operam *Parlamenti* rebus promovendis impendunt.

Scoti conſentiunt.

Scoti, hoſtes *Epiſcoporum* infenſiſſimi, ſibíque metuéntes, ſi *Rex* à *Parlamento* victoriam reportaret, & prædictis ineſcati naſſis, in pactos Articulos conſentiunt (quos inter primarius erat, qui Honeſtatis ſpecie reliquis fucum & gratiam conciliabat *nè quid noxæ Regiæ Perſonæ intentetur, nè quid fraudis Coronæ juribus vel Hæredibus fieret*;) Sacramento

ini.o Fœdere.

etiam invicem à Senatoribus utriuſque Conſeſſûs inito, omnibúſque aliis incolis utriuſque Regni in eadem

eadem verba adactis. Hoc *Nationale Fœdus* & *Ligam* vocant. In eo promittunt, *pro muneris & loci ratione, ſeſe Reformatam in Eccleſia Scotica Religionem, quoad Doctrinam, Cultum, Diſciplinam, Regimen defenſuros; Religionem in Angliæ & Hiberniæ Regnis, quoad Doctrinam, Cultum, Diſciplinam Regiménque, juxta Dei Verbum & Eccleſiarum optimè Reformatarum Exemplar reformaturos; Eccleſiáſque in tribus hiſce Regnis ad arctiſſimam conſenſionem & uniformitatem in prædictis pro viribus adducturos; Papiſmum, Regimen Epiſcopale, Superſtitionem, Schiſma & Impietatem exſtirpaturos; Parlamenti in utroque Regno Jura & Privilegia, Regnorúmque Libertates conſervaturos; & Regiæ Majeſtatis Perſonam atque Autoritatem (in veræ Religionis Libertatúmque Regnorum conſervatione & defenſione) protecturos: ut atteſtetur univerſus Orbis Conſcientiis ſuis de ſua in Regem Fidelitate, perſpectúmque habeat, debitam Regiæ Majeſtati poteſtatem & amplitudinem imminuendi nullum ſibi animum aut intentionem ſubeſſe: omnes Incendiarios & Malignantes* (hiſce perſtringunt titulis omnes quicunque *Regiis* favebant partibus) *detecturos, ut publicas pœnas luant; firmam æternámque pacem inter duo Regna molituros; invicem quoque ſe defenſuros omnes qui Fœdere hoc ſeſe obſtrinxerunt, & in iſto conſtanter permanſuros.*

Hujus *Fœderis* paciſcendi non poſtremi Autores *Independentes* & *Catabaptiſtæ, Oligarchici* & *Democratici*, ut & invitis & reluctantibus quibuſcunque in hoc *Sacramentum* adigendis, præcipui & acerrimi: quanquam ex ipſis complures ab eodem conſulto abſtinuerint; nè ſcilicet hoc nomine ad *Regiæ Perſonæ* defenſionem aſtringerentur. Notandū etiam, Conditionem *defendendæ Regiæ Perſonæ & Autoritatis in veræ Religionis Libertatúmque per utrumque Regnum conſervatione*, propriis ipſorum Artibus, contra ſenſum & tenorem Fœderis ingeſtam, obtentu ſcilicet, *Regiæ tutelæ ſatis proſpectum eſſe aliis juramentis; repetitam*

In quibus Independentes antiſignani.

ejuſdem in iſto promiſſionem Regis animum adverſus Parlamentum obſirmaturam, animôſque Plebis contra Parlamenti obſequia ſcrupulis oneraturam: reverâ tamen (quod poſtea conſtitit) ut *Regicidio* viam præſtruerent, remotis quantum fieri potuit obſtaculis. Iſtis inter *Scotos* & *Anglos* novandi ſtudioſos peractis, hoc *Sacramento* qui bonâ fide ſeſe obſtrinxerant, (quod viris optimis non paucis, quâ metu perterritis, quâ præſtigiis & ſpe vanâ deceptis, contigit) *Presbyteriani* audire geſtiunt. Aliis minoris notæ Factionibus, *Independentibus*, *Catabaptiſtis*, *Fanaticis*, ſub eorum ſignis mereri non dedignantibus.

Qui bonâ fide hoc Fœdere aſtringi ſe patiuntur, Presbyteriani *audiunt.*

Immaniter ſeviunt in diſſentientes.

Hi ſæviunt immaniter in diſſentientes qui Fœdere hoc ſacroſancto teneri renuunt, quamvis contra Factionem *Parlamentariam* nihil antè admiſiſſent, quamvis nullas impoſitiones & tributa detrectâſſent, imo ſponte in militis *Parlamentarii* ſtipendia pecunias erogâſſent. *Curiones* præſertim *Eccleſiarum*, qui opimis fruebantur Beneficiis, ædibus, bonis & reditibus, ſequeſtri nomine, ſpoliantur, ergaſtulis, ſubterraneis carceribus incluſi per annos plures, imo & navibus in fluvio *Thameſi*, idque efferveſcente jam æſtate, (deportatione intentatâ) nec auditâ causâ, neque accuſatione allatâ, ſqualore, jejuniis & vigiliis macerantur.

Fructus Fœderis.

Ex hujus *Fœderis Religione* (ut illuc unde digreſſus ſum revertar) *Filii Patres*, *Patres Filios*, *Servi Dominos*, *Uxores Maritos*, inſectari, deferre, & ſpoliare, ad mininum, contrà ſentientibus debita denegare officia docebantur.

Hiſce de cauſis, multi contra Conſcientiæ dictamina porrigunt ora *Sacramenti* capiſtro, & tandem (ſive quod *Regi* ſe crederent obnoxios, vel conſcientiâ Sacramenti reverâ laborarent) ſe *Parlamenti* partibus ſeriò addixerunt.

Contrà diſputatur.

Adverſus hoc multi paſſim Docti juxtà & Religioſi inſurgebant, editiſque Tractatibus ad volumina

lumina juſta excreſcentibus (inter quos *Judicium Oxonienſe*, Opus irrefragabile, Latinè prodiit) convellebant, utpote Divinis Humaniſque Legibus contrarium; nil opponentibus præter vim & argumenta bacillina Confœderatis.

Scoti in Angliam denuo irrumpunt.

Hiſce prodromis artificiis præmunientes aditum in *Angliam*, viginti millibus armatorum in Boreales tractus infuſis, bellum *Parlamenti* causâ *Scoti* capeſſunt, qui *Regi* ſe in *Anglicis* negotiis nihil moleſtiæ faceſſuros ſanctè promiſerant. Sed priùs mittunt ad *Regem* pro forma *Delegatos*, qui ſuaderent, ſuâ ſponte pronum ſatis, ut in gratiam cum *Parlamento* rediret, & ſeſe arbitros controverſiæ obtruderent. Sed cùm eos *Rex* ceu iniquos *Judices* repudiaret, juberétque ut res ſuas domi curarent; indicto contra Leges *Regio* nomine, ſed ſuâ autoritate, *Parlamento*, Bellum ſociale denunciant.

Rex ſibi proſpicit.

Rex præſcius tempeſtatem in Se ſuóſque ruituram, ſibi quantum potuit ex adverſo proſpexerat. *Proceres* & minorum gentium *Senatores*, qui de *Senatu* pulſi, nec dum *Rempublicam* deſerere officii ſui ducentes, ad *Regias* partes ſe contulerant, (quorum *illi* numerum quadrageſimum, unà cum *magni Sigilli Cuſtode*, *hi* ducenteſimum excedebant) *Oxonium* transferunt *Comitia*; ubi non priùs ad *Arma* quàm ad *Concilia* apud *Regem* admiſſi *Conſeſſum* pro *Comitiorum* more *Autoritate Regiâ* peragebant, de *Regni* negotiis pacatiùs illic deliberaturi; ubi nihil ad *Parlamenti* poteſtatem dignitatemque deerat præter parietes, & conſtitutum *Regio* Edicto *Senatûs* habendi locum.

Parlamentum Oxonii.

His id unicè à *Rege* propoſitum erat, ut, quantum in iis eſſet, procellam averterent, vel ut ſuſtineri commodius poſſet proſpicerent. Scriptis itaque monent hi *Senatores* Nationem *Scoticam*, nè hoſtiliter *Angliæ* Regnum & *Regem* invaderent, nec legem Pacificatoriam pridem ratam violarent: *Perduellionis* eſſe crimen pronunciant, armis *Regem*

invadere; nec minùs Gentem exteram, eo inconsulto, in *Regnum* accersere: *Senatores* apud *Westmonasterium* etiamnum sedentes, *utroque nomine læsæ Majestatis reos.* Pecunias etiam quas possent exhaustæ Provinciæ & Civitates quæ *Regi* adhuc parebant suppeditare, ad duplicis futuri Belli sumptus ferendos, erogandas decernunt.

Rex scribit ad Scotos.

Rex etiam literis obnixè deprecatus est hanc prævaricationem,, & programmate prohibet, *nè subditi tot nexubus obstricti Rebellibus subvenirent*; quibus novemdecim *Proceres* nomina subscribunt: quod, inaudito Subditorum exemplo, qui *Scotiâ* potiti sunt carnificis manu publicè cremari jubent.

Marchionem Hamiltonium *mittit in Scotiam, ut retraheret.*

Marchioni Hamiltonio imperatur ut domi suæ *Scotos* contineat, nè se alterius *Regni* negotiis immisceant. Qui postea (cùm malâ illum fide munus præstitisse innotescceret) ad *Regem* à *Scotia* periculi prætextu transfugiens Custodiæ mandatur.

Ab eo deluſus, Comitem Montisrosanum *mittit.*

Comes Montisrosanus, Archistrategi & *Regis* titulo auctus, in *Scotiam* transire jubetur, ut à fovendis in *Anglia* turbamentis revellerentur, domi suæ reciprocè perturbati: quo munere *Comes* strenuè functus, exiguâ manu militum, eâque tumultuariâ, plenos exercitus in fugam vertit, depopulatâ passim Regione.

Scoti tamen persequuntur bellum adversus Regios; distinent, fundunt.

Cæterùm haud minùs incepta *Scoti* persequentes, ab *Angliâ* revelli se non patiuntur; donec ope *Fairfaxiani* militis *Regii* exercitûs non exiguam partem (quamdiu distinuerant à debellandis alibi *Parlamentariis*) funderent, *Novum-castrum* expugnarent aliáque Munimenta, nec non victoriam in Australem plagam promoverent. Unde indies inclinat res *Regia*, ac labitur tandem, cedente *Parlamentariis* undiquaque Victoriâ.

Victorias plures adepti, adversus Proceres odium proferre *Democratici*, præcipuè à *Newburiæ* & *Spinarum* prælio novissimo, Com. *M.* eos

tædere

tædere cœpit. Ille ſiquidem ſententiam ſuam in Concilio Bellico propalare, atque ad Pacem hortari, quam animo ſentiret *Reipublicæ* magis opportunam, nec adeo ad bellum ferox & præceps videbatur: Et eo nomine à *Cromwellio* in *Domo inferiore* productiſſimâ Oratione poſtulatus, in *Superiore* ſe defendit, retrò converſis argumentis: adeò ut utrique *Domui* componere inter eoſdem fluctus, quàm ultro citróque diſcutere, conſultius videretur.

Rex tandem, diſſipatis pleriſque Copiis, attritiſque viribus, hinc *Scotorum*, indè *Parlamentariorum* impetu, deficientibus ſtipendiis, gliſcentibus inter *Præfectos copiarum* & *Proceres* Factionibus, (nè minimè lateat Divinæ vindictæ vis, cui fruſtrà humanis quibuſcunque viribus obſiſtitur) primò *Londinum* venire fideique *Parlamentariæ* ſe committere animo verſabat; deinde *Exercitûs Anglicani* in amplexus ſe conjicere: ſed ab utriſque rejectus, rebus in creperis audaci conſilio uſus, in *Scotorum* ſe manus tradit, ſtipulante ſalutem & æquas conditiones *Legato Gallico*, (qui tunc temporis in *Scotorum* caſtris commorabatur) ut & *Ducibus* quibuſdam *Scoticis*.

Regiæ partes inclinant.

Rex cùm fruſtrà tentârat Anglos,

in Scotorum manus concedit.

Hinc ſimultates inter *Scotos* & *Anglicanos Oligarchicos* & *Democraticos* priùs natæ, latiùs diſſeminantur, & penè in bellum erumpunt.

Simultates inter Oligarchicos & Democraticos Anglos & Scotos priùs nata latius diſſeminatur.

Ferunt etiam *Eſſexiæ Com.* (qui jam è faſtigio dejectus privatim agebat) conſpirantibus tum *Proceribus* tum *popularibus*, in excidium eorum nova cum *Scotis* pacta & molimina initurum; ſed quæ ob mortem ejus repentinam (quam præpinguis, cùm à Venatione ſudore diffiueret, humíque decubaret, facilè contraxit) in auras evanuere. Nihilo minùs *Oligarchicis*, cum cæteris diverſæ Factionis, magnificis exequiis publicíſque ſumptibus ei parentare viſum eſt; quippe qui honore proſequi defunctum malebant, quàm viventem experiri.

Jam

Irritamenta quibus laceſſunt Scotos.

Jam tum mox ſtipendiis fraudare *Scotos*, neceſſitatem ipſis imponere, victum & pecunias à *Provinciis* in quas Caſtra moverant extorquendi, indè odio exponere, extenuare merita, derogare fortitudini gentis, *Mercenarios* & *Conductitios* appellare, (dum ipſi interim non aliam iis reponunt præter opprobria mercedem;) minari inſuper aperto *Marte* exturbaturos *Regna*, irritare palàm, & adversùs ſigna movere. Nec multùm auſi contrà hiſcere *Presbyteriani Angli*, (qui *Scotis* bene volebant) nè viderentur alienæ Gentis inſolentiæ potiùs conſulere, quàm ſuorum popularium dignitati.

continentibus ſe Presbyterianis.

Altercationes inter Scotos & Parlamentum Anglicanum.

Tandem poſt longas altercationes, *Scotis* præ ſe ferentibus *per Leges Naturæ, Nationum, Hoſpitii, non licere ſibi Regem, qui ultro ceſſerat in eorum poteſtatem, Parlamentariis tradere*; *Oligarchicis* & *Democraticis* noſtris *Comitiorum* nomine contrà urgentibus, *non licuiſſe Scotis Regem in ſuum exercitum admittere intra Angliam & ſtipendiis Anglorum militantibus, multò minùs penès ſe invito Parlamento retinere*; præmiſſis pro forma diſceptationibus quibus pretium augerent, *Regem* in *Parlamenti* manus tradere ſtatutum. Quam Prævaricationem ut ſtolâ ſpeciosâ amicirent, *Regem* ad *Fœdus nationale* provocant; *ſine hoc vinculo non ipſis licere in Scotiam ducere* prætexentes. Hoc pollicetur *Regia* Majeſtas ſeſe aſtrictum iri, modò ſcrupulis Conſcientiæ de Politia *Eccleſiaſtica* ſatisfiat: quod munus demandatur *Scotorum* tum temporis Oraculo *Hinderſono* Concionatori, infauſto non minùs quàm irrito ſucceſſu. Vulgatis enim verbatim diſceptationibus, *Regi* Palma ferè omnium ſuffragiis adjudicatur. Sed Pecunia vincit. *Scoti* Centum librarum millibus monetæ *Anglicanæ* receptis, centum aliis intra annum promiſſis, Angliâ cedunt, relicto *Rege Parlamenti* ad arbitrium; eâ tamen interpoſitâ Cautione, *nè quid noxæ Regiæ* (quod abſit) *Perſonæ intentaretur, atque*

Scoti pecuniis acceptis tradunt Regem in Parlamenti manus, præterquàm Fœdere ſe noluerit aſtringi.

Ipſe

Ipſe intra aliquam Baſilicam reciperetur, ità ut Majeſtati non minùs quam tutelæ proſpiceretur, unde tentari poſſet Argumentis ab utraque Natione ad Propoſitiones utriuſque ratihabendas.

Rex à Delegatis Parlamentariis exceptus deducitur in Angliæ mediterraneum.

Rex Novo-caſtro exceptus à Delegatis *Parlamenti*, quatuor ſcilicet *Proceribus* & octo Conſeſſûs Inferioris *Senatoribus*, cum Militum ſatellitio deducitur ad *Holdenbii* palatium inter *Coritanos* agro *Northamptonienſi* ſitum, ubi ſplendidam quidem, ſed arctam, paſſus eſt cuſtodiam; omnibus ſcilicet longè amolitis qui *Regis* unquam partibus ſtuduiſſe vel ſuſpecti eſſent, imò & *Sacellanis*, quos ardenter non unis ad Comitia ſcriptis expetebat.

Novatores inter ſe diſſentiunt.

Non ampliùs diſſimulata *Victorum* ſtudia, de præda & imperio concertantium, in diverſa *Nomina* & *Sectas* abierunt; quas omnes unico *Novatorum* & *Factioſorum* nomine priùs perſtrinximus, nunc in ſuas Claſſes dirimemus, atque etiam quo aſtu quibuſque gradibus ad principatum contenderint qui jam rerum potiti ſunt, enarrabimus. Quod ut clariùs innoteſcat, ad aliquot ſecula retroſpicere non pigebit.

Digreſſio ad enarranda Novatorum exordia, progreſſu, ſectas, & ſtudia.

Factionis ſemina non diffiteri licet ab ipſa Reformata Religione introducta in *Angliam* jacta fuiſſe. Nec eſt quòd hinc *Pontificii* glorientur, qui cæteris præmonſtrârunt exempla, *Regum* Coronas & Sceptra mitræ *Papali* & *Petri* Clavibus ſubjiciendi; nec minùs *Regibus* infeſti adverſantur, quos deturbatos è faſtigio, pugionibus Sicariorum confodiendos expoſuerunt.

Semina inter reformandam religionem jacta;

de Regimine eccleſiaſtico, Liturgia, Ceremoniis,

Ab eo tempore *quidam*, nec multi ii, *Romæ* valedicendum in omnibus contendunt; nec *Regiminis* vel *Politiæ Eccleſiaſticæ*, nec *Liturgiæ*, aut *Ceremoniarum* volam vel veſtigium relinquendum eſſe.

Plures verò & prudentiores (ſaltem ſuo ſenſu) ſuperflua & ſuperſtitioſa abdicare ſatis eſſe rati, *Regimen Epiſcopale*, nec non *Liturgiam* reformatam,

formatam, retinenda ſtatuunt : *illud*, quod *Civili* & *Monarchico* Statui congrueret; *hæc*, quòd pia colendi Dei forma, & publicis uſibus accommodata videretur.

quas placuit Regibus & Parlamentis ſancire.

Ambo iſta, quòd ab uſque avitis temporibus deducerentur, hoc inſuper conſilio, nè ſubitæ mutationis ab Extremo ad Extrenum periculum faceſſerent, placuit *Regibus* cum *Parlamentis* Legibus ſancire, pœnis haud levibus irrogatis ſiqui adverſùm ſentirent.

Unde Diſputationis & controverſiæ: Famoſi libelli ab anti-hierarchicis; Suſpenſiones, Privationes, &c. ab Epiſcopis.

Hinc primò Simultates, Velitationes poſtea, &, graſſante diſputandi licentiâ, Controverſiæ acriores; & (ut ſunt inter fratres de rebus ad *Religionem* ſpectantibus) tandem acerrimæ digladiationes, (inſuffiantibus utramque partem *Pontificiis* & malè feriatis.) Odio & irâ internecinis mutuò accenſis, Opprobria & famoſi Libelli jactantur ab *Anti-hierarchicis*, vel, horum nomine, *Jeſuitis*. Suſpenſiones, Privationes, Vincula, Exilium regeruntur ab *Epiſcopis* & *Curiis Eccleſiaſticis*.

Inde Odium in Epiſcopos, miſericordia pro Anti-hierarchicis, & conſpiratio adverſus Hierarchiam; quâ Sectæ omnes & ſeditioſi conveniunt, injectis Regem inter & Parlamentum Scrupulis, ut patrocinio Parlamentariæ cauſæ ſuſcepto populares audiant & in ordinem Senatorium quando data opportunitas exoptarentur.

Sed Odium in *Præſules* conflavit iſta ſeveritas, etſi Legum ad præſcripta ferè exerceretur; & *Anti-hierarchicis* Miſericordiam peperit, eóque majorem, quòd Conſcientiæ gratiâ & purioris Cultûs deſiderio luere viderentur, moribus ſeveris eſſent, in Concionibus vehementes, Precibus & piis officiis prompti, uno verbo, ad cætera boni. Hinc multi *Municipes*; *Generoſi* etiam & *Nobiles* ipſis patrocinari, eóſque in ſinu fovere, tandem unà ſentire, & in *Hierarchiam* ſimul conſpirare.

Cujus cùm excidium deſperarent à *Regibus* impetrandum, à *Parlamento* conſequi ſperant, eóque conſilio *Regiam* poteſtatem imminutum eunt, evectâ *Parlamentariâ*; & *Sectarum* omnium, *Fanaticorum*, Turbonum & Seditioſorum colluvie adjunctâ auctiores viribus facti, *Regiam* inter *Prærogativam* & *Populi Libertatem* (quæ ſuis terminis

terminis bene cohærebant) malè dividunt, eáſque inter ſe diſterminant, ut eâ captatâ occaſione, amoris publici ſpeciem induerent, & bono populi velificare crederentur.

Tandem inter Vulgus nacti autoritatem, in *Senatorium* munus ſuffragiis cooptati, inſtitutæ telæ nervis omnibus incumbunt, nil præter *Populi Jura, Parlamentaria Privilegia, publicam Libertatem* crepant; *Magiſtratûs* & *Aulicorum* delicta reſecant ad vivum & inſectantur; Libellis famoſis & triobolaribus proſcindunt *Epiſcopatum*, & *Eccleſiæ Gubernium* ſtabilitum, nec non *Eccleſiaſticorum* Mores & Promotiones multiplices; *Reipublicæ* carpunt *Adminiſtrationem*; in omnibus *Regiæ* Poteſtati labefactandæ & famæ minuendæ ſatagunt.

Illi carpunt adminiſtrationem Regni.

Commoda occaſio ſuis machinationibus accidit. Dum imperante *Jacobo Fredericus* Comes *Palatinus Rheni*, Gener regius, bello *Germanico* proſcriptus, cum omni familia à *Cæſareano* milite patriâ pelleretur, *Reformatæ* Religionis Cauſa toto orbe periclitatur, *Regia* proles patrimonio ſpoliatur. Illa aſſerenda, hæc in integrum reſtituenda ſpeciosè obtenduntur futuris Machinationibus.

Ex bello captant occaſionem Regem & Senatum committendi

Hiſce prætextibus *Regem* implicare bello, ſed fruſtrà, futuri ſagacem, adnituntur; donec eorum impulſu, mediante *Principe* CAROLO, & æquas pacis conditiones reſpuente *Cæſare*, extimulatus ad arma conſurgeret.

Rex bello implicatus, & Parlamenti ope deſtitutus, neceſſitatem habet extra ordinem pecunias erogandi ſine Parlamento.

Indicto Bello, fervente apparatu, & totâ *Europâ* quid *Anglia* parturiret expectante, *Regem* deſtituit *Parlamentum*, neſcio quibus querelis leviculis de cauſis excitatis, & ſuſpicionibus interjectis Autores extant; unde ni ludibrio eſſe maluerit, moriente *Jacobo*, Regi CAROLO incumbit propriâ autoritate cogendi pecunias, impoſitiones inuſitatas & Tributa irrogandi Neceſſitas, non ſolùm obſoletis Legibus in uſum revocatis, ſed & novis interpretamentis abhibitis; intermiſſâ

Par-

Parlamenti in difficilioribus rebus indicendi consuetudine.

Hinc ira & metus, & adversus Regem combinatio.

Hinc Indignatio populi, hinc querimoniarum seges; hinc subditi *probi*, *honesti*, & procul à novandi studio, quos metus incesserat *publicæ Libertatis* imminuendæ, machinari, miscere consilia, jungere vires cum *Turbonibus*, quibus exæstuanti *Regis* potentiæ, & in Despoticam (ut videbatur) crescenti, remoram injicerent.

Hi omnes primo *Cathari* vel *Puritani* per ludibrium appellabantur, communi nomine *Sectarum* & partium, quæ spes dispares & invicem contrarias animis agitarent.

Intestino sæviente bello, postquam *Scoti* adventârant in *Parlamenti* suppetias, & *Fœderis Nationalis* plurimi capistrum admiserant, caput supra cæteros attollunt *Presbyteriani*, opibus & numero potentiores: nec Novatorum crimine vacant, qui *Regimine Ecclesiæ* & *Liturgiâ* abolitis, *Directorium* & *Presbyterium* introduxere, nec non Statum Civilem à *Monarchico* in *Aristocraticum* immutatum ibant, servato Nomine & Personâ *Regis*; suis adhuc sub signis militantibus Factionibus cæteris, nec quid animis agitarent adhuc satis prodentibus.

Presbyteriani *quando primò nomen publicè venditârunt.*

Aristocratici;

Democratici qui.

Deinde *Independentes* pauci melioris luti, & de grege *Anabaptistarum* aliqui, qui *Regimen Ecclesiasticum* nullum Nationale stabilitum optabant, & quibus magis arridebat *Democratia*, servato tamen *Regis nomine* & *personâ*. Præcipuè tamen ista Factio, cui quidem hæc appellatio pro merito inuri debet, è pauculis *Presbyterianis* rigidissimis, maximam partem *Acephalis*, *Catabaptistis* & *Fanaticis* constabat, qui penitus evulsis *Monarchiæ* radicibus, & deletâ *Personâ*, *Familiâ*, & *Nomine Regio Oligarchiam* nonnulli, *Anarchiam* alii, *Democratiam* plurimi exstruere conabantur; addo etiam *Christocratiam*, quam non pauci anhelabant, quâ dejectis è fastigio & conculcatis mundanis

Oligarchici.

Christocratici

Magi-

Magiſtratibus & Autoritate profanâ, *Chriſtus* cum *Sanctis* ſupra improbos imperium in terris exerceret.

Hiſce præſertim *Novatorum* & *Factioſorum* ſtigma urendum; qui etſi in contraria collimarent omnes, & aliquandiu *Presbyterianis* ſub ſignis mereri non dedignarentur, eos tamen furiarum inſtar facibus exagitabant civiles in diſcordias, donec poteſtatem nacti, (cui paulatim ſeſe inſinuaverant) auſi ſunt divortium facere, & tandem propria venditare nomina, & quæ agitarent publicitus attollere. *Quibus Novatorum titulus maxime congruit.*

Hi Factioſi à teneris turbarum incrementis vix ullo diſtinguebantur titulo; ſed *Patriotarum* & *Religioſiſſimorum* hominum larvâ tegebantur. At rerum miſcendarum & Civilis belli inflammandi occaſionibus invigilabant, ſedulò inſufflabant; & mox flagrante bello, turbatóque *Reipublicæ* ſtatu, nè diſſidia componerentur, nervis omnibus adnitebantur *Regem* irritare adverſus *Senatum*, *Senatum* viciſſim in *Regem* exulcerare, Poma contentionis undique ſpargere, *Plebem* verò quâvis aurâ leviorem huc illuc agitare in fluctus atque miſcere, ut *Demagogi* aſſolent. *Horum Origo & artes, quibus omnia miſcent,*

Cum ità bene felicitérque verteret *Regem* calumniandi, & per omnia odium in *Principem* congerendi ſolertia, à *Rege* primùm, deinde etiam à *Pace* animos populi circumagunt. *Comitia*, ſi quando vel ab iis Poſtulata ad *Regem* mittenda, vel ipſis à *Rege* tranſmiſſa obſervarent, quibus obductis contentionis & Belli cicatricibus, Pacem reſtitutum iri probabile erat, injectâ fuſcinâ perturbant: in ſecundis prætumida poſtulant, *Nè quod jam ferè adepti ſunt vi & Armis, precariò & pactis conditionibus acquirerent*; reflante verò fortunâ, ſtatim deſpondentes animos obteſtantur, *Nè iſto in ſtatu de pace redintegranda cogitarent, cùm, afflictâ fortunâ, durioribus conditionibus inire neceſſum foret; nec tantum excideret honoris Parlamentarii* *bella ſuſcitant.* *Pacem coalituram impugnant, quibus artibus.*

tarii cura, ut quicquam facere metu & vi coacti videantur.

Etiam rumoribus ſparſis, fictis literis, teſtibúſque ſubornatis, neſcio quas Machinationes, dolos, & monſtra periculorum ſpecioſis amicitiæ larvis ſubeſſe clamitant. Per omnia amoris publici viſcera, per fidem quâ tenebantur, per *Reipublicæ* & *Chriſti* Eccleſiæ charitatem obteſtantur; longis orationibus & argumentis contendunt, ut *incertam potiùs Belli aleam ſubeuntes, indè Dei* (ſic placuit appellare) *ſuffragium de re tanta expectarent, quàm pactis cum Rege conditionibus inſidis & Reipublicæ damnoſis Fœdus ægrum ferirent.*

Iſtis Artibus creduli & in ſuſpicionem proni, adde etiam & meritorum conſcii, facilè irretiti, conditiones adeò duras *Regi* obtrudunt, ut illis ſalvâ Conſcientiâ, cum Honore & amicorum incolumitate, conſentire non licuerit; Literæque & Propoſita *Regiæ Majeſtatis*, licèt æquiſſima, & ſæpius (vicies penè) tranſmiſſa, ſúſque déque habita rejicerentur.

Interim bellum ad ſua commoda trahunt.

Interim opportunitatem Belli ad ſua commoda trahentes hi boni viri, dum ipſi *publicæ Libertatis Propugnatores* ſeſe venditant, *Zelúmque Religionis* aſſerendæ planè Divinum præ ſe ferunt, ingerunt ſe maximis & quæſtuoſiſſimis Reipublicæ muneribus. Deinde, radicibus latiùs actis, in *Conſpirationem* alios poſt alios pertrahunt, & tum in *Comitiis* tum in *Provinciis* uberes progreſſus faciunt; *hîc* levem *Plebeculam* ad *Petitiones* exhibendas commovendo, vel potiùs *Populi* nomen *Petitionibus* à duobus tribúſve ſuæ Factionis concinnatis affigendo; *illic* verò Autoritatem *Senatorum* per fraudes & aſtutias technis propriis accommodando.

Eorum incrementa;

indefeſſa ſedulitas in Comitiis.

Hoc factu non adeò difficile erat, dum vel primo manè vel concubiâ nocte, aut non comparentibus qui diverſa cenſebant *Senatoribus*, aut ad privatas commoditates procurandas dilapſis, captarent

captarent omnes Suffragiorum ferendorum opportunitates, & per ſinciput prehenderent ſecuturam Occaſionem; ità ut minor pars, ſed vigilantior, majorem, ſed minùs ſedulam, paſſim circumveniret.

Siquid inter *Comitia* diſceptandum in medium proferretur quod minimè concluſum vellent, aut molitionibus ſuis adverſaturum è longinquo proſpicerent, manibus pedibúſque contrà eundo, vel quæſitis diverticulis, aut injectis inter æſtus diſputandi ſcrupulis, ut rei determinatio in aliud tempus diſtineretur procurabant. Si major Suffragiorum numerus horum viciſſet ſententiam, captabant aliunde occaſionem alicujus Sciti ſanciendi quod infringeret prioris nervos, & ſcopum eluderet. Si quid animis volutâſſent quod ſuſpicionem crearet adverſariis, aut quod plenis & frequentibus Comitiis obtineri poſſe deſperarent, fictis Neceſſitatibus, aut negotiis reverâ urgentibus, ablegandos rus *Presbyterianos* curabant: quibus peregrè agentibus, & *Rempublicam* causâ nihili deſtituentibus, miro Suffragiorum conſenſu quidvis apud ſe decernebant ratúmque habebant.

Neque indè parùm res ſuas promovebant, quod ſolerent privata agitare conciliabula & conventus; ubi collatis invicem ſententiis, quod in rem eſſet proſpiciebant, quomodo ſe publicè gererent, & quas quiſque partes ſuſtineret antè providebant. *& privatis conciliabulis.*

Hiſce & iſtiuſmodi artibus non levem adepti potentiam *Novatores*, divortio (ut ſuprà diximus) à *Presbyterianis* facto, in ipſos ſigna vertunt, *Independentium* titulo (an Αὐτοδίδακτος potiùs dixerim?) qui Sectis omnibus in genere quadraret arrepto (nato indè nomine, quòd nullius *Eccleſiæ Nationalis*, nullius *Civilis* Ordinis ab arbitrio pendentes, omnia ad *Doctrinam Regiménque Eccleſiaſticum* ſpectantia intra privatos Cœtus adminiſtrarent:) non quòd *Religio* magnopere *Potentiam adepti Independentii utuntur titulo:*

cordi fuerit horum pleriſque, ſed quò ſpecioſa iſta profeſſio latiſſimam panderet *Sectis* omnibus feneſtram, *Catabaptiſtis*, *Fanaticis*, *Millenariis*, &c. unde Factionis ſuæ numerus & potentia intumeſceret. *Fratres* etiam & *Sancti* (quòd ſic ſe mutuò compellarent) ab aliis per ludibrium appellabantur.

Latè familiam ſpargunt, ſeſe omnium hominum geniis accommodando.

Nihilominus quò latiùs Familiam diſſeminarent, fictâque humanitate & cedendi atque obſequendi alacritate complurium aucuparentur benevolentiam, cujuſvis farinæ hominibus ſolicitè ſeſe accommodant, & congruis cujuſque ingenio illecebris pertentant animos; *Religioſis* Divini Cultûs reformationem pollicentes; Concionatoribus factâ ſpe redituum *Epiſcoporum* & *Decanorum*, *Presbyterii* quoque lege ſanciendi, ſalvâ piis modeſtè diſſentientibus libertate; *Schiſmaticis* licentiam, *Hæreticis* impunitatem bonâ fide præſtantes; *Ambitioſos* honore titulíſque ineſcantes; *Avaris* pecunias, vel compenſationis vel ſtipendii nomine, perſolvi procurantes; minas *Obnoxiis* intentantes; *Facinoroſis* aſylum aperientes: &, ut verbo dicam, videbant neminem propoſitis ipſorum obſtinatè inimicum quem non Emiſſariis & exploratoribus paſſim diſpoſitis, literis interceptis, verbis & actionibus in ſequiorem ſenſum detortis, in ſuſpicionem & diſcrimen pertraherent. Neminem in Clientelam admittebant, quin ei (licèt flagitioſiſſimo, maximíſque facinoribus infami) in omnibus patrocinarentur: quos inter, *Oratorem* Domûs inferioris, hominem promovendis rebus ſuis idoneum, cùm repetundarum teneretur, impunitate oblatâ pecuniíſque elargitis ſibi adſciſcunt ſocium, rationibus eorum non minùs inſerviturum, eóque, uti par eſt, fideliorem, quò magis obnoxium.

Adverſos inſectantur.

Pronis patrocinantur quibuſcunque.

Comitem Eſſexium aliósque Nobiles in partes ſuas trahere conantur.

Comitis etiam *Eſſexii* mentem poſt cladem *Cornubienſem* fractam, & fortè faciliorem, ultimùm tentare viſum eſt; & eo nomine quærunt, an tandem

tandem puris putis *Democraticorum* partibus vellet ipſe operam ſuam in futurum addicere. Quâ lege pollicentur *ſe novo Exercitui præpoſituros ipſum, itque ſtipendia numerarentur ſingulis menſibus, & commeatu omnibuſque neceſſariis adjuvaretur curaturos.* Sed eo renuente, ferunt aliis *Proceribus* eaſdem conditiones privatim oblatas, (non verò *Dynaſtarum* ob curam peculiarem, quos brevi de ponte dejiciendos, & ad æqualitatem omnes revocandos ſtatuebant; ſed ut inter eos ſui fermenti ſemina ſpargerent, autoritatem majorem ſibi conciliarent, útque ad ſuas partes plures attraherent) quas *Illi*, diverſum ſentientes, & in *Regem* propenſiores, ſimul ac rejecerint, in alium deinceps conjiciunt oculos. *ſed fruſtrà.*

Novi & ſpecioſi quidem *Decreti* obtentu, quo *Senatum* quaſi refingere & integritati ſuæ reſtituere velle ſe aiebant, quod ſpontaneæ ſuiipſius *abnegationis*, ſive Ἀπαυλίας nomine ſanctiùs incruſtârunt, *Presbyterianis* nervos maximè ſuccideruntpropriis confirmatis viribus. Hoc enim inſtituto cautum eſt, nè quis ex utrovis Senaculo, poſt præfinitum diem, ſive Caſtrenſi, ſive quæſtuario fungeretur officio: quo effectum eſt ut æmulæ Factionis plures cedere muneribus tenerentur, quibus ſeſe immiſcuerant. *Prætextu decreti* Ἀπαυλίας *Presbyterianos eludunt.* *Quæſtuariis & militaribus muniis fraudant.*

Hinc totius quaſi *Civilis ſtatûs* immutandi, univerſæ quoque *Militiæ novæ* pro *Modulo* (utì tunc loquebantur) ad nutum & arbitrium ſuum diſponendæ, anſa arripitur; quibus adminiſtrandis magna ex parte ſufficiuntur *Factionis* iſtius Candidati; quin nec abſtinere brevi ab eorum ambitu potuerunt ipſi *Senatores Oligarchici* & *Democratici*, avidè conquiſitis, interdum (ubi deficiebant) arreptis occaſionibus, & Decreto ſolenniori Ἀπαυλίας in Φιλαυλίας ſtudium planè verſo. *quibus ſeipſos & aſſeclas ingerunt.*

Exercitui præficiunt (ſepoſito qui genio ſuo minùs quadrabat *Eſſexio*) *Equitem Thomam Fairfaxium, Ferdinandi* Baronis filium qui ſupererat unicum, *Novi ductores Exercitûs,* Fairfaxius,

unicum, bellicosum quidem, & suâ naturâ probum, sed ingenio ad suscipienda & exequenda imperia accommodato paratóque, teliq; instar certissimo ictu petere quò ferientis manus destinaret; unde partibus ab utrisque faciliùs eligebatur. Huic *Hypostrategi* titulo, Moderatoris verò intentione, adjungebatur *Cromwellius*; cujus auspiciis se duci pro tempore solummodo primò *Præfecti* quidam exorârunt; postea, contra tenorem *Actûs Abnegationis*, sponte suâ sciscunt *Parlamentarii*. Iste, decocto ad assem ferè non admodum liberali patrimonio, resarciendis fortunis instituerat ex Religione mercaturam, *Schismaticorum* se turbis ingerens Antesignanum & Propugnatorem. Horum favore in *Senatorium* ordinem cooptatus est. Vultis ipsum vivis coloribus, qualisque à suis, etiam scriptis evulgatis, depingitur intueri? *Egregius simulandi dissimulandique artifex, qui sublatis in Cœlum oculis, dextrâque pectori applicatâ, Dei nomen invocabit, lacrymabitur, precabitur, aget pœnitentiam, donec sub quinta costa trajecerit alloquentem.* Taceo Ambitionem, Avaritiam, Superbiam, quas jam *Democratici* (olim *Fratres* & *Socii*) plenis buccis objiciunt.

Cromwellius

Tribuni, Centuriones &c. è Schismaticis.

Tribuni, Centuriones, minorúmque ordinum Ductores reliqui, ex *Schismaticis*, aut hisce non valde infensis, potissimùm deliguntur. Interea *Cromwellii* Genero, Agnatis & Familiaribus eodem tempore splendidiora in Exercitu munera deferuntur.

Horum solertia,

Non illi horas, tantam nacti opportunitatem, inutiliter terere, sed ubique locorum seduliam navare operam, discurrendo, hortando, conciones identidem habendo, ut militum sibi animos conciliarent; quorum sibi jam propitiorum beneficio ad vacua *Burgensium* (id est, *Senatorum* inferiorum *Consessûs*) loca sibi aditum quærunt. Municipiorum siquidem incolas in demortuorum vel

Suos in Comitia promovendo,

expulsorum

expulsorum *Senatorum* vices alios per liberam Electionem sufficere volentes, adductis copiis & armatâ manu per metum passim cogebant vel militum Præfectos, vel quos illi saltem probarent, calculis suis ad *Comitia* designare. Adeò ut brevi spatio multis istiusmodi in *Parlamentum* adscitis & posthabito decreto Ἀρχαυλίας, tam *Militaria* quàm *Civilia* negotia & munera iisdem manibus tractarentur.

His etiam quasi optimè cœptis ut popularis gratia & secunda fama accederet, Prelis conductitiis & Scriptoribus dispositis, res eorum omnes gestæ miris efferuntur Elogiis, *Mercuriisque* hebdomadatim & triobolaribus Diariis populo fabularum avido obtruduntur perlegendæ; *Cromwellii* laudes undiquaque personantibus paginis. *eorúmque facinora ebuccinando,*

Cùm Res *Regias* planè deploratas perciperent, & securam jam ex partibus *Parlamenti* stare victoriam, in æmulam Factionem etiamnum Suffragiorum numero prædominantem (vacillantem verò) *Presbyterianam* convertunt animos. Et his palàm existimationem imminuere, viréque paulatim labefactare conantur, *Libellis* in dedecus & ludibrium *Disciplinæ Ecclesiasticæ* divulgatis, contra jus *Decimarum*, ac in Avaritiam, Fastum & Severitatem *Sectæ Concionatorum* imprimis debacchantes. *Presbyterianos apertiùs aggrediuntur,* *Scriptis in eo usi dedecus evulgatis,*

Imò quò plus odii in horum capita conflarent, rigidas, populóque ingratas, Reformationis partes ipsis (plùs satis officiosâ solertiâ properantibus solitudinem & calamitatem inferre) demandant; cujusmodi erant, *Fœdere* suo renitentes onerare, mulctas exigere, pecuniis emungere populum, & (quod Posterorum quoque odia accenderet) *Academias* visitandi specie, doctissimos quosque in Exilium amandare. *Presbyterianis* Conciliabulis ubique se immiscent sub Amicitiæ larva, ut scrupulis & remoris injectis evanescerent in *eósque in officia populo ingrata protrudendo,* *Conciliabulis eorum sese immiscendo,*

auras eorum placita, ipsíque publicè deridendi exhiberentur.

Civitatum præfecturas extorquendo,

Hoc cùm magnâ parte perfeciſſent, complere nituntur, dum conquiſitis Delictorum coloribus *Præſidiorum* & *Munitionum* Præfecturas extorquent è manibus eorum qui Factioni *Presbyterianæ* nomen dederant. *Exercitus* alios omnes *Copiáſque* (quæ in ſingulis ferè *Provinciis* abundabant, exiguæ licèt) exauctorandos curant, excepto cui præerat *Fairfaxius*. *Scotos* ex *Anglia* dimittunt: muneribus corruptos vel minis perterritos *Presbyterianorum* Primores in partes ſuas trahunt, ut vel palàm prævaricentur; vel clàm, dum teſſeras vel nomina *Presbyterianorum* frontibus inſcripta gerant, & in Arcana penetrent, non minùs ſecuram quàm proficuam *Oligarchicis* & *Democraticis* operam navent: inter quos primas tenent duo potiſſimùm viri, *P. Sk.* & *St. M.* Ille *Majoris Generalis* munus, vel *Præfecti* in exercitu ſuſtinens; hic *Miniſter*, & *Presbyterianorum* Oraculum. Vafer uterque, & in rem propriam attentior ſub moderandarum rerum & conciliandarum partium prætextu, *Presbyterianos* ludendo, Ἀνεσάλων rationes haud parùm promoverunt, privatis eâdem operâ conſulentes utilitatibus.

Copiáſque iis addictiores exauctorando, Scotos dimittendo, Anteſignanos in partes ſuas pertrahendo.

Redditur ad Hiſtoriæ telam proſequendam. Senatu prævalentes eximunt Presbyterianis, Exercitum minuere ſtatuunt, & diſtrahere in arma ſum.

Victoriâ &, quod magis erat, *Rege* potiti *Presbyteriani*, qui adhuc numero in utroque *Conſeſſu* ſuperiores, jam pejus à *ſervitiis* & *ſtipendiaria Exercitu*, quo *Sectarii* pollebant, quàm olim ab *hoſtibus* ſibi metuunt; & quomodo ſeſe emanciparent ab hoc jugo ſoliciti, poſt longas altercationes ſtatuunt, *ſumptus Reipublicæ levandi gratiâ, millia duodecim in Hiberniam tranſmittenda, cæteros exauctorandos, præter ſex millia Cataphractorum, duo millia Sclopetariorum Equitum, & ſex millia Peditum.*

Illos à *Skippono* in *Hibernia* ducendos, *Hos Fairfaxii* ſub imperio in omnes *Regni* ditiones diſtribuendos, eo conſilio, *ut tumultibus quaquaverſus in-*

insurgentibus in herba (quod aiunt) *opprimendis in procinctu starent, nec ipsi in unum conglobati rebus novis studere possent.*

Plurimi *Ductores*, & *Sectarii* omnes gregarii etiam milites, quod res erat è longinquo suspectantes, hoc Artificio sese ex potentia quam nacti fuerunt excussum iri, & in solos *Presbyterianos* militarem autoritatem derivari, reliquis gregariis metum insinuant, fore ut sine stipendiis persolutis exauctorentur, vel in *Hiberniam* tranivehantur omnes, ut vigiliis, morbis, inediâ & nuditate conficerentur.

Hinc tumultuari *milites*, ratiunculas in contrarium obtendere, & tandem in seditionem prorumpere. *Præfecti* interim *specie* saltem indignari ad ista, comprimere, & modis omnibus obniti motus agitanti *gregario* militi præ se ferebant; *clàm* verò in facinus animos augere, & furentibus faces administrare satagunt: & cùm Seditio ad vota successisset, depositis personis, subducti *Londino* in castra tumultuantibus sese adjungunt, & ineunt simul confœderationem contra *Parlamentum*; *Cromwellius* imprimis, qui nuper in Comitiis, invocato Dei nomine, professus est, *pro comperto se habere, milites ad Parlamenti pedes arma projecturos ad primum jussum*; quinetiam sanctissimè adjuravit, *Se cum omni Familia conflagratum iri potiùs quàm ut in seditionem prorumperet Exercitus.* Hinc Centum plùs minùs (qui *Parlamento* fidem servare mallent quàm obstringi confœderatione) Ductores & Præfectos officiis privatos exturbant consortio.

Tumultuantur milites, clàm plaudent his Præfectis ad speciem indignantibus, qui ad vota succedenti Seditioni sese admiscent;

Cromwellius imprimis;

exauctoratis qui Parlamento fidem servabant.

Hoc facinus gregariis permissum est *Adjutatorum* operâ incipiendum. Hi deligebantur (conniventibus Præfectis) duo è singulis Peditum Legionibus & Equitum cohortibus, quibus concessa potestas à commilitonibus agitare consilia, quid factu opus in communem utilitatem decernere, & Emissariis per omnes stationes & præsidia dispersis cæteros

Hoc Adjutatorum operâ usi admoliuntur. Quinam illi.

edocere. Hi tandem *Tribunitiam* arripiunt autoritatem, nec inter se *Conſeſſus* celebrare ſatis habent, ſed in *Conciliis militaribus* cum præfectis ſedes vendicant; nec ſolo de militis gregarii commodo ſoliciti, ſeſe totius Exercitûs gubernandi conſultis immiſcent; quin & Civilibus negotiis totius populi, tam *Angliæ* quàm *Hiberniæ*, maximi momenti, & Regimini utriuſque refingendo incumbunt; Præfectis (donec *Parlamentum* concidiſſet mutuâ conſpiratione concuſſum) vix obmutientibus. Hi nihil frequentius in ore habent quàm populi Libertatem & Potentiam, nec non *Democratiæ* inſtituendæ ex profeſſo navant operam, tertiæ Familiæ nomen dantes & incunabula.

Democratiæ ſtudent.

Eò audaciæ provecti milites, *Regem* è *Parlamentaria* cuſtodia abripere non verentur, quem (*Comite* quodam prodente) datâ Cuſtodiæ Præfecto *Grevîo* ſcilicet autoritate, deferendum ad *Londinum* intelligebant; eúmque ſpecie libertatis majoris, Officis & Pollicitis blandioribus demulcere & promereri ſatagunt, deplorare ſortem ipſius viſi, qui *Parlamenti* ſeveritate tantùm non vivus ſepeliretur, & intra ſuam *Baſilicam*, non aliter quàm in Ergaſtulo, à Suorum omnium conſortio arceretur; profiteri, (quod ipſis omni Juramento ſanctius) *nunquam ſe arma poſituros, niſi poſtquam Ipſi Sceptrum, Amicis æquiores conditiones redderentur. Sacellanorum* aliquot liberos introitus, & Sacrorumuſum pro lubitu permittunt. Nuncii quoq; à *Regina*, & frequens Epiſtolarum obſignatarum ad eandem à *Rege* commercium indulgetur. Mox *Regiæ proli* (ut ad ſuos ſaltem rediiſſe, partéq; *Regni* ſuaviſſimâ frui videretur *Majeſtas Regia*) *Parentem* inviſendi, imò & ultro citróque colludendi copia conceditur. Migrare penè in Aulam Caſtra videbantur; dum ſervi neceſſarii ad *Regem* gratulabundi recurrunt, *Aulicorum* numero indies accreſcente.

Regem è Cuſtodia Parlamenti abripiunt in Caſtra; demulcent promiſſis & blandimentis.

Nè

Nè verò minùs seriò cum *Rege* agere de rebus componendis viderentur, Proposita cudunt, quibus *Regi*, *Sibiipsis* & *Reipublicæ* prospectum esse juxta æquum & bonum præ se ferebant; quibus *Rex* si calculum adjecerit, operam illi suam pollicentur, quâ restituatur è vestigio ad *Regiæ Majestatis* culmen. Hæc postea cùm *Regi* oblata per suos Delegatos non admodum arriserint, emolliunt, & ad *Regiam* penè mentem accommodâsse videri volunt; imò è famulitio *Regio* uni vel alteri permittitur quoties ipsis adlibuerit militaribus Conciliis interesse.

Propositiones effingunt, quibus Regi, sibiipsis, Reipublicæ consultum volunt;

& emolliunt Regis gratiâ.

Declarationes interea in publicum & Remonstrantias evulgant in dedecus & ludibrium *Parlamenti*; Ipsi Avaritiæ, Philautiæ, Ambitionis, Injustitiæ, Crudelitatis, Tyrannidis stigmata impingentes: Stipendia diu detenta postulant: Undecim minorum *Gentium*, septem *Majorum*, *Senatores* consultissimos ex contraria Factione Perduellionis insimulant, frivolisque tandem contrà exhibitis Articulis, instant ut causam dicant expulsi Comitiis. Petunt, imò jubent, ad statum tempus præsentia *Comitia* (cujus unius beneficii spe universum populum sibi devinciendum præviderant) abrogari, novâque in eorum locum succedere (quæ solet miseris spes blandiri) æquiora.

Declarationibus invehuntur in Parlamentum.

Perduellionis plures Senatores postulant.

Comitia abrogari jubent.

Non est dissimulandum utilia ipsos complura (ut populo lenocinarentur) in medium protulisse; in quibus nunquam obliti in gratiam *Regis*, aliquoties obliquè, nonnunquam etiam palàm, perorare; idque in hunc sensum, *ut in integrum Rex, Regina, Soboléque Augusta restituantur, sine quo pacem solidam nequicquam sperandam* vociferantur. Ità tamen plerumque ludificantur adjectis conditionibus aut verbis ambiguis, ut ab hisce pollicitis in posterum extricare se possent, superatis (modò fors ferat) *Presbyterianis*.

Populo utilia proponunt, & Regis partes usque agere præ se ferunt; sed verbis ambiguis.

Cùm

Adverſus Parlamentum ſigna movent.

Cùm tamen militaribus poſtulatis aſtipulari nec è re ſua nec ex dignitate fore ſtatuerent *Comitia*; *Exercitus*, inversâ jam teſſerâ, pro *Rege*, pro *Populo*, contra *Parlamentum* ſigna movent: & ex adverſo defenſionem parant cum *Londinenſibus Parlamentarii*, *Regémque* pronunciant, *Londinum* invitandum, impellente ferè populo, qui importunis precibus & clamoribus ad *Senaculi* fores intonuit.

Parlamentum ſe parat in defenſionem:

Sed diffugientibus ad Caſtra utriuſque Conſeſſûs Oratoribus cum plurimis Collegis Oligarchicis, Cives ponunt iras & animos exercitûs delinitî promiſſionibus, portaſque pandunt Militi, nullis præmiſſis Articulis. Fugitivi ſenatores in ſedes relictas reſtituuntur. Accuſati fugiunt Preſbyteriani: prævaricantur alii: animos deſpondent omnes.

Adornatâ interim fugâ, dilapſi extra Civitatem utriuſque *Conſeſſûs Oratores*, cum quinquaginta circiter *Senatoribus* quà *Oligarchicis* quà *Democraticis*, ad Caſtra trepidantes ſe recipiunt, Vim à Sociis, Civibus, & quibuſdam exauctoratis militibus illatam, eandem Armis vindicandam clamitantes. Aliis interim ejuſdem furfuris hominibus intra *Senacula* relictis, qui frigidam ſuffunderent, & conſilia conſedentium perturbarent.

Cives uſque febriculoſos (qui ſtatim atque efferbuerint, algere incipiunt & contremiſcere) ex facili delinitos tenuerunt ſplendidæ ſponſiones Exercitûs, *De Rege reſtituendo*, (quod jam unicum ſpirabant) *Parlamento abrogando*, *Pace & æquitate publica inducenda*. Ruſtici verò qui in procinctu olim ad *Londini* ſubſidia accurrere conſueverant, infenſos jam erga *Cives* juxtà ac *Senatores* gerebant animos, quippe qui primas *belli Civilis* faces accenderint, nec dum reſtinguere parati, *Paci* jam-jam redituræ portas præcludere ſoli videbantur. Quid reſtat agendum? Deſpondent animos *Parlamentarii*; officioſi Municipes (qui Exercitui & Factioni ſtudebant) portas pandunt, & nullis præmiſſis Articulis Urbem demiſſiſſimè Militum arbitrio tradunt.

Hinc fugitivi ſtatim *Senatores* in relictas ſedes cum Solennitate non exigua deducuntur. Accuſati *Preſbyteriani* aufugiunt; quidam (ut fieri aſſolet) prævaricantes, à ſuis ad victrices partes deficiunt, cæteris animos deſpondentibus. Ex eo tempore malorum

malorum quæ patrârunt retexitur hiſtoria in iis quæ patiuntur. *Senatores Conſeſſûs* inferioris nonnulli, *Prætor* etiam cum primoribus Urbis, in turrim conjecti, luunt nimiam illam pro ſalute *Concivium* timiditatem & ignaviam, priſtinámque pervicaciam contra *Regem*. *Dynaſtæ* ſeptem vel octo Perduellionis accuſati carcere compinguntur. Deinde tamen paulatim deferveſcente æmulationis æſtu & planè compreſſo, nec ullâ adverſus Captivos intentatâ probatione, dimittuntur, ſitu & ſqualore fracti; quod alios abſterreret ab iſta obſiſtendi protervia. Nec iſtis tamen contenti eſſe poterant, niſi etiam vires ſuas & militum continentiam diſciplinámque jactitantes, per medium Urbis *Londini*, veluti ovantem & civium cervicibus inſultantem, ducerent Exercitum *Præfecti*, cum tormentis & militari commeatu.

Carcere compinguntur Senatores quidam, Prætor cum primoribus Urbis; Dynaſtæ nonnulli pariter.

Poſtquam gemina illa *Regni* propugnacula, *Senatum*, Urbémque *Londinenſem*, ſubjecerat Exercitus, bis jam victor, Sociorum & Hoſtium, nihil reſtat ultrà curandum, niſi, quod ſummo cum otio expedire licuit, ut Potentiam quam jam nacti eſſent, ratam ſibi ſtabilémque confirmarent. *Turri* quamprimùm *Præfectus* & Præſidium ſufficitur ex Civium fæce; ſed qui ſeſe victrici Factioni totos mancipando nobilitârant; *Præfecto* cum conſueta cuſtodia ejecto ob unum hoc crimen, quòd in *Presbyterianos* propenſiori eſſet animo. *Delegati* (penès quos erat totius Militiæ gubernandæ poteſtas) nec non *Tribuni*, *Centuriones Decurionéſque*, novi furfuris hominibus cedunt locum.

Turri Londinenſi novus imponitur Præfectus cum Præſidio, Urbicæ Militiæ Ductoribus immutatis,

Illud verò ſupervacaneum non nemini videatur, cùm Arma dudum atque animos poſuerint *Cives*, quòd præterea Civitatis munimenta diruerentur, prætextu Pacis jam *Regno* reſtitutæ: Exinde poſtes & repagula per plateas diſpoſita auferuntur, quò liberior in omnes angulos aditus reditúſque Equitatui pateret, nec ulla relinqueretur Civibus vel Mulierculis recalcitrandi facultas.

Avulſi; Poſtibus & Catenis per plateas diſpoſitis.

Ut

Classi præficitur Democraticus: Militiæ tam Angliæquàm Hiberniæ Fairfaxius.

Ut porrò *Terrâ Marique* stabilirent imperium, *Classi* præficitur *Rainsborius*, *Democraticorum* Antesignanus. *Fairfaxius* summus armorum Imperator (vulgò *Generalis*) non solùm *Angliæ* sed & *Hiberniæ* (quò *maturiùs posset & consultiùs ipsi sublevandæ prospicere*) constituitur. *Exercitui* gratiæ aguntur, etiam & in Templo à *Concionatoribus*, à *Civibus* quoque (quo solent modo Lætitiam & gaudia exprimere) Conviviis & Luxu, eosdem jam opiparè excepturis, quos armis modò mœnibus arcendos duxerant. Stipendia porrò in mensem Militi ceu amoris indicium designantur, ob egregiam *Parlamento* navatam operam.

Gratiæ Exercitui decernuntur,

& Stipendia.

Quâ parte staret Senatus diu in dubio est.

Diu hinc indè acriter disputatum est, ex qua parte staret *Senatus*, *Castrorúm*ne an *Comitiorum* decreta essent refigenda; cùm utraque pro vario suffragantium numero per vices essent refixa: dubii quonam potiùs exitu sese à laqueis istis expedirent; nè vel *Comitia* interrupta, vel Vim iis illatam, quâ labefactantur horum Autoritas, aut transfugiendi jus, (quod in *Regiis Senatoribus* damnârant olim) probare viderentur. Utrumque modò statuunt, modò alterutrum nodò neutrum. Statuunt utcunque Transfugarum recessum & cum *Exercitu* conjunctionem omnino comprobandam, ad Bonum publicum spectâsse, prout jure suo factum.

Fuga Senatorum comprobatur.

Quibus successibus elatos *Ductores Factionis*que Primores, magna deinceps & suorum asseclarum & Commilitonum cepit Oblivio. *Parlamenti* dissolvendi, novi *Consessûs* indicendi, *Pollicitationum* etiam (quibus toties *Regi* & populo imposuerant) nulla dehinc mentio. Privata jam commoda procurare, &, quâ jam frui sibi videbantur, *Oligarchiam* stabilire nervis omnibus adnituntur.

Factiosi jam rerum potiti Regis obliviscuntur, Oligarchiam electuri quidam, Democratiam alii.

Adjutatores autem omnésque *Democratici* non minùs *Comitiis* hisce abrogandis, novísque (quibus, sub nomine *Repræsentativæ*, circumscripta potestas & certæ dissolutionis periodi statuerentur)

tur) per æquiora populi ſuffragia ſuccenturiandis, ut & *Democratiæ* ſubinducendæ, remis veliſque incumbunt.

Ambæ verò *familiæ* ſecuræ jam à *Presbyteriani*, ex æquo *Regis* & *Monarchiæ* interitum interminantur. *Omnes pariter infenſi Presbyterianis Ariſtocraticis, etiam Monarchiæ & Regi; Cujus meditantur internecionem; quidam clàm vim inferendo;*

Inter *privatos* pridem propoſitum fuit, Sicariis perpetrare *Regicidium*, dum *Scotorum* in caſtris diverſaretur; quo ſimul vindictam explerent, & invidiam facti in *Scotorum* capita amolirentur. Poſtea *Rolphus* quidam Calcearius à nonnullis ad hoc Facinus animatus conſurgit. In inſula *Vecti* iſe Sclopeto inſtructus inſidiabatur nocte non unâ intempeſtâ feneſtræ quâ *Regem* elapſurum cuſtodiâ inaudivit, ut quaſi caſu conficeret.

Jam verò plures ferociter inſtant, ut è veſtigio & clanculùm tolleretur de medio, vel ſaltem Concilio militari damnatus capite detruncetur. *alii militaris judicii ſpecie;*

At *Primoribus* generoſius & conſultius videbatur, per fraudulentas ambages & gradus rem artificiosè diſpoſitam protrahere, donec *Autoritatis* nacti fucum, Juſtitiæ *Parlamentariæ* & *publicæ vindictæ* velo hactenus inauditum Scelus induerent. Quod ità inſtitutum. Ad *Regem* Conditionis Pacis perferendæ; ſed ejuſmodi, quibus ſi annuat, Ipſe ſe *Regno* abdicaret: ſin abnuat, alienis ſuffragiis exauctoretur; & ſic contumaciæ inſuper apud vulgus compertus æſtimaretur, quod ipſis ſpeciem agitandi Facinoris honeſtiorem exhiberet. *nonnulli Parlamentariæ autoritatis prætextu. Ad quod viam præſtruunt gradatim; Propoſitis miſſis ad Regem ſpecie Pacis; reverâ occaſionis in eum quærendæ cauſâ:*

Ex compoſito ad hunc finem procuratur ut Comitia denuo *Regi* mittant, non Conditiones Pacis uberiùs diſceptandas, ſed Propoſitiones, & tantum non Mandata, ſatis quidem pro Imperio dura, & quibus conceſſis Ipſe Diademate ſeſe exueret. Quibus etiamſi Præfecti exercitûs, *Cromwellius* imprimis, ſuffragia tuliſſent in *Comitiis*; nè tamen *Rex* aſtipularetur in Caſtris ipſi in cauſa extiterint, *quæ etſi in Comitiis ipſi Præfecti procurâſſent, in Caſtris perſuadent Regi ne concederet.*

polliciti

polliciti ſe conditiones magis æquas ſui gratiâ impetraturos, aut daturos etiam; iſtáſque tam quam è *Presbyteriano* faſtu & ſeveritate profectas deteſtari ſe ſimulabant.

Rex Parlamentariis Propoſitis reſpondet:

Quo Artificio circumventa *Regia Majeſtas* reſpondet, *Propoſitiones in ſe eſſe hujuſmodi, quibus nec ſalvâ Conſcientiâ nec Dignitate liceat ſubſcribere, nec ſingulis in Regno partibus conciliandis Pacis reſtituendæ accommodas: provocat potiùs ad Exercitûs poſtulata, utpote conditiones Pacis cæteris molliores, Colloquiique (quod ut omnium ex votis cederet quammaximè expetit) Perſonalis inter ipſum & Comitia idoneum argumentum; cujus rei gratiâ ampliùs adjici ab Exercitu Delegatos poſtulat.*

ad Exercitûs Poſtulata provocat ut Paci aptiora.

De quo Cromwellius *cum Præfectis gaudere ſe ſimulant; ſed inde cæterorum Senatorum animos exacerbare nituntur.*

Gratulari plurimùm ſibi *Cromwellius* hoc reſponſum videbatur, cæteríque Ductores geſtire, quaſi *Regis* jam calculo major haberetur *Caſtris* honor quàm *Comitiis*, *Regi*que viciſſim quælibet Officia pollicentur.

Interea loci cæterorum adversùs *Regem* Senatorum animos exacerbare modis omnibus: contrà apud *Regem* pudorem ſimulare, quòd minùs pollicita præſtarent; nunc *Parlamenti* reverentiam, nunc *Adjutatorum* ferociam cauſari; tandem labaſcere penitus, apertè tergiverſari, interpretari in contrarium promiſſa, incutere *Regi* metum ab *Adjutatoribus Democraticiſque* quaſi mortem *Regi* intentarent, nec poſſe ſe moderari vel avertere horum impetus impræſentiarum; admixtis pollicitationibus, ſi poterint, criſtis *Adjutatorum* decuſſis, diſciplinam Exercitûs ferè collapſam in integrum reſtituere, fidem ſolvere ſine remora non ipſis difficile futurum.

Cum Rege tergiverſantur, metu & ſpe alternatim interjectis.

Quibus Rex permotus ſeſe ſubducit in Vectim *Inſulâ.*

Quibus permota *Regia Majeſtas* (cùm diffidere pernicioſius eſſet quàm prodi) ſubducit ſe clanculùm ab Exercitu (quò ſe fata ducebant ſua) in *Vectim* Inſulam, cui nuperùm, ut huic Scenæ inſerviret (ut credibile) præficiebatur, *Tribunus Hammondius*, *Cromwellio* præcharus. Hujus in patro-

patrocinium *Rex* ſe tradit, ità ſeſe ultro conjiciens in Caſſes quos jamdiu *Oligarchiæ* affectatores obtendiſſent.

Exinde, *Reipublicæ* deeſſe non ſuſtinens, miranti quò confugeret *Senatui* ſcribens *Regia Majeſtas*, Conceſſiones mittit, præter ſpem omnium & multorum vota, faciles, & nimiùm æquas; adjectis inſuper acerrimis argumentis, cur ex omni parte *Propoſitionibus* à *Comitiis* nuper tranſmiſſis non aſtipularetur. *Conceſſiones* ſuas & Exercitûs *Poſtulata* proponit ut aptum Perſonali Tractatui ſeu Colloquio Subjectum redintegrando. Quod vehementer populi gratiâ efflagitat, *nihil non ſuo de jure remiſſurus, quo poſſit quantovis pretio redimere Subditorum tranquillitatem.*

Indè properat ad Comitia ſcribere, Conceſſionibus ſimul miſſis;

ſuper quæ Colloquium cum Parlamento poſcit.

Oligarchiæ Candidati & *Democratici* certi recrudeſcentem cum *Rege* Pacem quibuſcunque poſſent obicibus & ſcrupulis interjectis oppugnare, hinc anſam arripiunt poſtulanti *Regi* Poſtulata quatuor opponendi, quaſi in fidei pignus prælargienda, quibus ſi *Regia Majeſtas* annuerit, de cæteris ſe tractaturos pollicentur.

Cui obnituntur Factioſi, & anſâ arripiunt rogandi poſtulata Colloquii præluſoria.

I. *Licitum eſto Parlamento Regni totius militiam in poſterum ordinare abſque conſenſu Regio, quos placet exercitus conſcribere; prohibitis ſub pœna Perduellionis omnibus aliis, ad numerum triginta hominum abſque autoritate Comitiorum in unum convenire.*

II. *Fas Jiſque eſto Comitiis conſidere, transferre Conſeſſum in quemcunque locum, quocunque tempore, & pro arbitrio ſuo convenire.*

III. *Caſſa habentor & pronunciantor irrita ſingula Juramenta, Interdicta, Declarationes quæcunque contra Comitiorum utrumlibet Conſeſſum in vulgus emiſſæ.*

IV. *Quoſcunq; Nobilium titulis auxerat Rex ex quo diſceſſerat Ipſe, magnúmque Regni Sigillum ſubduxerat, iidem Honoribus exuuntor. Iſta omnia utì rata habeat & in Leges tranſire jubeat Regia Majeſtas poſtulant; ſecùs res ſibi ſuas habere jubent.*

Delegati

Quibus Scotorum Delegati ſeſe opponunt apud Parlamentum & apud Regem.

Delegati interim *Scotiæ* (qui *Londini* tunc temporis agebant) Argumenta ſua in ſcriptis contrà hæc Poſtulata exhibent; & poſtea (cùm nihilominus ad *Regem* mitterentur) coram *Rege* adhibitâ Proteſtatione oppugnant, ceu *Religioni Coronæ Pactiſque* inter *Angliæ* & *Scotiæ* Regna è diametro adverſantia.

Quò ſe verteret, aut unde elaberetur hiſce anguſtiis conſtrictus *Rex?* Qui ſi Poſtulatis annuat, ſuo ſe ſuffragio regnandi jure exueret; ſi refragetur, à Factioſis inuſtâ ſimul contumaciæ notâ abdicaretur.

Rex reſpondet.

Non deficit *Regi* & Magnitudo Animi & mira Prudentia; unde ad hæc illico reſpondet: *Inter alias quibus diu luctatus ſum difficultates, graviſſima eſt, quâ diſcrepantium ſtudiorum omnium Poſtulatis ſatis mihi jam facere incumbit. Quod ex eo palàm fit, quòd eodem tempore quo Comitia Anglorum Propoſitiones mihi ſanciendas miſerint, Scotorum Commiſſarii in contrarium proteſtentur. unde ſpes mihi omnis præciditur (rebus ità ſe habentibus) fore ut quod maximè in votis eſt unquam conſequar, nempe Pacem omnibus undiquaque omnium & precibus expetitam, & neceſſitatibus accommodatam. Quin & iſtud obſtaculo eſt, quòd minùs Comitiorum Poſtulatis à me unquam ſatis fiat, quòd quum antiqua Legum ferendarum ratio fuerit, vel per conſenſum Regis perſonalem in Domo Superiori adhibitum, vel per Diploma magno Angliæ Sigillo à Rege communitum: Horum illud impoſſibile mihi eſt ſub cuſtodia agenti; hoc ipſis in poſterum fraudi eſſe poterit, cùm Sigillo Regiæ Majeſtatis injuſſu conflato quævis Conceſſio & Securitas innixa, labilis & infida prorſus foret. Quinetiam iſta rata eſſe jubendo, Memetipſum & Succeſſores meos non ſolùm omni principatu in perpetuum exuerem, ſed & quæcunque gravamina per hanc tantam poteſtatem Parlamentariam in mancipata Subditorum meorum capita, conglobari contigerit, mihi vitio verterentur: quòd quantum abhorreat à nativa populi Libertate, officioq;*

ejuſdem

eiusdem tutandi Regi concredito, cuivis relinquo judicandum. Rogo etiam reputare secum Comitia non graventur, quàm importunum sit & rationi absonum, cùm Rex Colloquium expetat personale, rerum ibi disceptandarum primaria capita velle præconcessa.

Hasce ob causas mihi videtur minimè consultum quamlibet Propositionem scíscere, Legísque ut sit loco jubere, priusquam in colloquio de omnibus convenerit.

Quò me tamen impellunt paterna erga populum meum viscera, hujusmodi Colloquium personale constanter & importunè rogo; defixis interea in Cœlum oculis, usque dum Parlamentum Deus inclinaverit ad rationes Pacis ineundas. Mihi autem sat futurum est solatii, quod quæcunque pro officio tùm Regis tum viri Christiani incubuisse mihi duxerim, eorundem nihil prætermiserim.

Hæc cùm signata (sicuti erant) ad *Comitia* transmittenda *Delegatis Comitiorum* demandaverat *Rex*, resignari rogat *Comes D.* (*Oligarchicorum* placitis addictior) quò certiores fierent *Delegati* quid reportarent, prout *Legatos* deceret, non *Tabelliones*, (quo tamen nihil majus in publicis mandatis habebant;) interpositâ ad hæc suâ fide, nequaquam id *Regi* cessurum in fraudem aut detrimentum.

Sed quamprimùm relegente *Rege* responsum resciverant, datam nihil morati fidem, arctiorem in custodiam in Castello *Cesaris burgo*, ubi commorabatur, *Regem* Optimum detrudunt: Omnes servos arcent, novis exceptis hominibus, & inimicis, potiùs in ludibrium & custodiam quàm servitia, circumdispositis. Et nè quid literarum vel chartaceæ laciniæ vel internuncius clàm irreperet, aut à *Regia Majestate* transmitteretur, ad omnes accessus, ad fores & fenestras Cameræ appositis excubiis militaribus, vigilatur. *Detruditur in arctam custodiam.*

Responsum apud *Comitia* nil magis profuit Pergere in propositis *Oligarchici*, *Cromwellius* etiam

Ductores Oligarchici Democraticos & Adjutatores redigunt in ordinem, restituta militari disciplina:

etiam cæteríque militum Præfecti: Sed obstitit ipsis aliquandiu *Democraticorum* & *Adjutatorum* æmulatio. Hanc (eorum operâ satis usi) ut comprimerent, Copiarum omnium Conventus indicitur, quarum una Legio tota *proposita Democratica* (quæ in unum contracta *Populi Scita* vocârunt) chartis mandata pro symbolo pileis gestabat; unam aut alteram prensationibus sibi devinxerant *Oligarchici*; cæteris tam *Oligarchici* quàm *Democratici* ex æquo ferè permiscebantur. *Præfecti* superiores, qui *illi* Sectæ (ut inferiores *huic*) addicti, in unum conglobati, jubent Gregarios chartaceas abjicere tesseras: quod cùm renuerent, ex compacto subitò faciunt impetum, & raptatis è Legione aliquot procacioribus, statim glande plumbeâ trajiciunt; unde cæteri, abjectis Symbolis, *Præfectorum* arbitrio se subjiciunt.

Contra Regem palàm debacchantur;

Hoc periculo defuncti, diu celatum pectoribus venenum proferre, palàm adversùs Regem in *Comitiis* debacchari, conceptis verbis percrare, cæteros hortari Senatores, & quatuor Interdicta machinari; quibus

& Scitis decernunt nullum cum Rege in posterum fore Parlamentum commercium:

I. Cautum est, *Nullum in posterum ad Regem aditum Comitiis fore aut Commercium.*

II. *Nihil ultro citróque commercii mortalium cuiquam cum Rege fore, nisi impetratâ priùs utriusque Domûs veniâ.*

III. *Nullum vicissim à Rege Numcium, nullam usquam Chartulam recipiendam.*

IV. *Proditionis pœnâ plectendum qui contrà fecerit.*

A Superioribus inferiores in Consessu,

Sed nec ista sine technis & fraude solita consequuntur apud inferiorem *Consessum.* Priusquam enim facta est hujusmodi Propositorum mentio, quadraginta vel quinquaginta Primarii viri (quorum saltem pars maxima conatibus istis obstitisset) in proprias *Provincias* amandantur. quasi ad nummos in stipendia militum exigendos; ut eò paucioribus

cioribus (horum abſentiâ) refragantibus, & conſpirante parte numeroſiori, res ex facili perficeretur. Nihilo tamen minùs, primum iſtud perditiſſimorum hominum Placitum De *Rege ejurando*, à decimâ matutinâ ad ſeptimam uſque veſpertinam ſúſque déque diſceptatum, defatigatos priùs quàm perſuaſos ſuffragatores vix tandem comperiſſet, niſi ſpe à præcipuis *Oligarchicis* factâ, nihil atrocius *Regem* adverſus ſeſe commolituros. Tria poſteriora (cùm diverſum qui ſentirent è *Senaculo* ad reficiendos ſpiritus ſeſe ſubduxiſſent) horæ dimidiæ ſpatio Factioſi, ex compoſitò locis ſuis inſidentes, feſtinatò ſciſcunt.

Cæterùm ægriùs in hanc ſententiam perductus eſt ſuperior *Conſeſſus*; ibi ſiquidem per dies complures protrahebatur diſſertatio, donec adventantes ab Exercitu *Delegati*, gratias agendi prætextu *Senaculo* inferiori propter iſta Decreta, defenſionem ipſius profeſſi, minas intentarent *Proceribus*, ſi diſſentire pergerent, & paulò poſt terrore cunctabundos impellerent, Legionibus duabus in Palatia *Regia Senaculis* finitima (ſub ſpecie cuſtodiæ *Conſeſſûs* inferioris, reverâ in terrorem diſſentientium *Dynaſtarum*) immiſſis. Hiſce deterriti *Proceres* (dilabentibus multis) qui convenerant tres vel quator (qui ſub eadem tempora ſæpe *Senaculi* ſuperioris autoritatem ſuſtinebant) Plebiſcitis ſua adjiciunt ſuffragia. Hiſce porrò tam ſalutaribus univerſo Regno Decretis plaudentes ad *Proceres* quoque miſſi ſunt *Delegati* Militares, qui in ſe porrò totius exercitûs autoritate ſanctiſſimè recipiant, *Omnia ſe jura & Privilegia Curiæ ſuperioris defenſuros.* *per vim & minas in ſuperiore.*

Huic Perfidiæ quod velum prætexerit *Cromwellius* lector animadvertat. Illius quippe inter Preces, quibus *Supremum Numen* interpellavit ut conatibus ſuis aſpiraret *Regem* in Solium & *Majeſtatem* avitam evehendi, vox faucibus hæſit, ut Cromwellius *ſeſe perfidiæ purgat.*

nec potuerit verbum ampliùs proferre: quod Divinæ aversationis indicium interpretatus, *Regem* ceu Deo invisum reputavit. Apud alios verò rotundè prolocutus est, *licere fallacem & improbum fallacijs & Artibus circumvenire.*

Declarationem emittunt,

Post hæc Declaratio promanat in publicum autoritate *Consessûs* inferioris, quâ causas exponunt & *Democratiæ* & (qui simul adversus *Regem* bene conveniunt) *Oligarchiæ* Candidati, quibus permoti decreta sanxerint de *Rege* neutiquam compellando. Huic inferciunt quascunque possunt Calumnias contra *Regem* ex inimicissimorum colloquiis, aut incertis rumoribus (& quos ipsi suscitârant) natas; adjectis aliis & ad ravim usque repetitis, quamvis intra *Comitiorum* parietes jam priùs constaret, res hasce nulla cum veritatis umbra, odii tantummodo majoris creandi causâ, exaggerari.

cui quascunque possunt calumnias contra Regem infarciunt.

Jubent ut in omnibus paræcijs Concionatores publicè legant,

Libellum hunc infamem in omnes *Regni paræcias* transmittendum curant; securi nimirum fore ut nemo respondendi periculum subire aut vellet, aut quidem posset, prelis undique observatis, responsum emittere. *Curionibus Ecclesiarum* imperatum idem *Populo* in Templis obtrudere, verbisque quoad poterint ornare. Quo autem lubentiùs operam illis suam locarent, sub idem tempus *Decimas solvendas esse Reditusque Decanorum in Concionatores derivandos*, non sine simulata Religionis fovendæ solicitudine, (quibus in profanos usus destinatis *Ecclesiasticos* emungere reverâ constituerant) *Consessu* in inferiori decretum est. Quin & *Eirenarchæ* passim jubentur ut in *Decimarum* persolutionem *Laicos* pro tempore adigerent renitentes. Per *Emissarios* simul & *milites* undique dispersos, per *Catabaptistas*, *Schismaticos* & *Hæreticos*, qui rerum suarum diligentissimè sategerunt, *Populum* sperabant excitatum iri, ut gratulatoriis Petitionibus factum illud *Comitiorum* approbarent, & sævius aliquod *Regis* supplicium exposcerent.

eósque promissis lactant ut verbis palmam ament.

Per Emissarios Petitiones gratulatorias extorquere nituntur.

E

E contrario tamen evenit; etenim tres ad minimum *Apologiæ* brevi prodeunt, (una *Regiâ* manu conscripta) quibus luculentissimè purgabatur à Convitiis *Regia Majestas*, Criminationes unà retorquebantur, scélerúmque omnium, quæ falsò *Regi* imputârat, Factio ipsa probaretur conscia; idque tantâ luce, ut nemo vel mutire contrà potuerit. Interim *Curiones* frigidè mandatis obsequuntur: *Petitiones* paucis è *Provinciis* gratulatoriæ,& obscuris(notissimæ verò malitiæ) manibus consignatæ, qualicunque *Sectariorum* solertiâ extorquentur.

Purgatur Regia Majestas multis Apologeticis.

Curiones frigide mandata exequuntur: Pauciſſimi gratulantur.

Fremere verò totus populus, indignari, Prævaricationis & Impostura *Sectarios* omnes, præcipuè *milites*, insimulare, hisce omnia dira imprecari. Postea Petitiones ex plurimis *Comitatibus* (iisdem qui semper steterant à partibus *Parlamentariis*) adornantur, quibus vehementer exposcitur ut Tractatus cum *Rege* Personalis instauretur, Exercitus stipendiis persolutis exauctoretur,in *Hiberniam* interim dimittantur suppetiæ, exoneretur *Anglia* oppressionibus,& à conferendis in alendum militem asymbolum impensis, quibus ultrà sustinendis impar esset.

Totus populus fremit & indignatur.

Plurimi petitum veniunt pro Personali Colloquio cum Rege inſtitu.nde.

Eò tandem deventum est, ut hujusmodi supplices libelli complures, innumeris hominum subscriptionibus comprobati, renitentem *Senatum* penè obruerint: frustrà per singulos *Comitatus* Militum Ductoribus *Delegatisque Parlamentariis* (qui se jam propè omnes in victricis partis clientelam dederant)intentatis Sequestri,Carceris,Exilii, Mortis minis, subinde etiam blanditiis aureisque pollicitationibus, ut os obstruerent pro virili incumbentibus.

frustrà renitentibus Factioſis.

Neque hîc fugere nos inobservati debent sive *Divinæ* vindictæ, sive *popularis* æstûs reciproci motus; dum eadem illa *Comitia* à quibus primi supplicantium tumultus adversus *Regem* emanaverant, ipsa jam spontaneo Petentium tumultu

periclitari conqueruntur Senatoriam dignitatem juxtà & salutem.

Trinobantes *primò*;

Primi supplicantium agmen ducunt *Trinobantes*, quos nostri jam *Essexienses* vocant, inusitato prorsus ante hæc tempora numero, qui quos exoratos velint possent in vota cogere. Sequuntur *Regni*, (qui jam *Surrienses* audiunt) quos inermes levi arreptâ occasione *Milites* malè mulctant prope *Senaculi* fores, fugatos occidunt, longè pluribus vulneratis, omnes deprædantur, idque nutu *Senatorum*, & *Ductorum* jussu; imo Facinoris ergò gratiæ *Confessûs* Inferioris grassantibus aguntur, data insuper munera; unde in posterum petendi licentiam caveret populus, quod olim jure fieri decernebatur.

Regni *deinde, quos malè mulctant milites.*

Sed istâ *Tyrannide*, quâ populi sub onere gementis compressum ibant querimonias, nihil ampliùs proficiunt, nisi ut frequentiores ex irritatis *Provinciis* petitum confluerent. Qui cum nihilo plus remedii querimoniis retulerint, à Precibus ad Arma confugiunt. Vexillis unà denuo inscribunt (quæ pridem malè cohærere credidit elusum vulgus) *Regis* & *Populi Libertatem*, Cantiani, Trinobantes, Iceni, Danmonii, Regni *jus*.

Sed nihilominus frequentiores cæteris è Provinciis confluunti, & arma jumunt repulsi, Cantiani, Trinobantes, Iceni, Danmonii, Regni *jus.*

Trinobantes Essexiæ, Iceni Suffolciæ & Norfolciæ, Danmonii Cornubiæ, Brigantes, & inter *Cambros Silures* & *Ordovices*, etiam *Regni* tandem, acriori vindictæ cupidine; multis Nobilibus (*Hollandiæ* scilicet *Comite*, *Duce Buckinghamiæ*, &c.) detectâ intempestivè conjuratione quam *Londini* clàm inierant, cum iis præmaturè se conjungentibus.

Classis etiam defuit à Parlamento.

Deficiunt eodem erga *Regem* commiserationis æstu delati *Nautæ*, nec non septemdecim plùs minùs Naves in *Principis* CAROLI (expositio in litus *Thalassiarchâ Rainsborio Democratico*) clientelam concedunt.

Scoti arma expediunt ad regem è custodia liberandum.

Scoti etiam *Regi* turpiter captivo in libertatem & dignitatem asserendo arma expediunt, idque sui Decreto *Parlamenti*; irrumpentes in *Boreales* plagas

plagas cum Exercitu numeroſo ſub auſpiciis *Hamiltonii*; (quibus ſeſe cum non contemnenda manu *Anglorum Langdalius* jungit:) ſed ſolito ſive *Regis*, ſeu ipſius *Hamiltonii* infortunio, aliquo certè malo fato, ſeu potiùs Decreto *Divino*, *Angli* primò ſeparatim alii poſt alios & ex intervallo caſi ab hoſtibus peſſum ivere: quippe res erat parvi momenti, Exercitum veteranum, impedimentis bellicis & omni commeatu inſtructum, ſub imperio Præfectorum promptiſſimorum ordinatum, tumultuarios Colonos potiùs quàm milites, armis & bellico apparatu improviſos, & plerumque Ducibus deſtitutos, dum alii poſt alios in aciem deſcendunt, opprimere & in fugam conjicere. *Ab exercitu ſuperantur Angli.*

Colonia tamen *Trinobantum*, vulgo *Colceſtria*, & *Pembrochia*, *Dimetarum* Metropolis, (quamvis Illa obſidioni ferendæ imparata) hoſtibus non parùm negotii faceſſunt. Nec ingloriùm cecidit *Pontefracti* Caſtrum; unde triginta circiter Equites per copias obſidione cingentes irruptione factâ *Rainesborium* (qui nuper *Thalaſſiarchæ* provinciam ſuſtinuit, nunc, *Præfecti* totius Exercitus Borealis titulo, ſecum duxit auxiliarium aliquot millia quibus oppugnationem acriùs urgeret) in hoſpitio apud *Doncaſtriam*, munitum Oppidum, duodecim milliaribus à *Pontefracto* diſtans, è lecto abripiunt, & renuentem duci captivum confodiunt. Quin & *Præſidio* in maximas anguſtias redacto, impunitas omnibus, & ad ædes proprias diſcedendi venia conceſſa eſt, duobus exceptis militibus; quibus (etiam & articulis) glorioſo occumbere letho pugnantibus, vel armis indutis per medios hoſtes perrumpere permittebatur. Quod (obſervatâ facinoris perpetrandi opportunitate) ambo equos conſcenſi vix ſaucii fecere.

Scoti, Ductorum inſcitiâ & ignaviâ, vel (quod ſuſpicari nollem) perfidiâ, qui diviſa agmina Exercitûs in quadraginta lapidum diſtantiam ſeparata duxerint, à *Cromwellio* nullo cum negotio *& Scoti,*

funduntur, qui medium agmen inopinatò aggreſſus, in fugam verit, terrore in omnes procul palantes diſſeminato, multis caſis captíſque cum *Hamiltonio* Duce. Cæterò in *Scotiam* uſque perſequitur; ubi *Argathelius* collectis copiis non minùs *domeſticus* occurrit hoſtis, quàm *Cromwellius extraneus*, in eáſque brevi redigit anguſtias, ut Exercitus qui conſcribebatur *Parlamenti* auſpiciis arma deponeret, Factioníſque *Argathelianæ* ſeſe permitteret arbitrio. Hinc de novo *Parlamentum* indicitur, excluſis omnibus qui arma induerant, vel de Bello liberandi *Regis* gratiâ ineundo ſuffragia tulerant. Ibi noviſſimi *Parlamenti* Placita reſcinduntur, Bellum injuſtè ſuſceptum pronunciatur, *Cromwellio* publicæ gratiæ aguntur, & privatim (ut *Cromwellius* ipſe gloriabatur) pactum iniit *Argathelius* ſeſe *Oligarchicorum Anglorum* commodis velificaturum, nec minùs è *Scotia* (cum rerum ferret opportunitas) quàm ex *Anglia Monarchiam* exterminaturum.

capto Duce Hamiltonio.

Navigia adhæc plura, refluente æſtu, defectionem à *Principe* parant, pro innata Nautis levitate, in *Comitis Warwicenſis* patrocinium ſe conjicientibus, qui eos crebris ſibi largitionibus demeruerat, novæque Claſſi, ad alliciendos iterum in obſequia *Parlamentaria* Nautas, pro tempore præficiebatur: ſed circumſeptus *Oligarchicorum* exploratoribus, & operâ defunctus, conſuetam hiſce dominis mercedem non immeritò retulit, nimirum ut loco cederet atque dimitteretur.

Navigia defectionem à Principe parant, rebus infeliciter terrâ geſtis.

Cum iſta geruntur ab Exercitu bella, *Senatores* in *Comitiis*, jam procul agentis Exercitûs nec non *Cromwellii* jugo parumper emancipati, ſerióque apud ſe reputantes quàm ægrè totius *Regni populus* illatas *Regi* injurias pateretur, quàm lubrico in loco res ſuæ ſtarent, Pacis conciliandæ ſatagunt, & ſerò cum *Phrygibus* ſapientes, contra *Oligarchicorum* ſententiam, *Decreta de Rege nutiquam adeundo*

Senatores interim de Pace conſilium ineunt.

Reſcinduntur de Rege non adeundo Scita.

adeundo reſcindunt, junctis utriuſque *Senaculi* calculis. *Colloquium* cum *Rege* de componendis litibus ſuſcipiendum ſtatuunt; ſed per *Delegatos*, idque in *Inſula Vecti*. Delegantur in hoc munus *Proceres* ex *Conſeſſu* ſuperiori quinque, ex inferiori Populares decem. *Propoſitiones* in Colloquio iſto diſceptandæ præſcribuntur, quas omnes verbatim proferri, quamvis præter operis inſtitutum, fortè Lectori moleſtum non fuerit. *Colloquium cum Rege in inſula Vecti per Delegatos inſtituendum ſtatuunt;*

Quoniam utrique Parlamenti Conſeſſui incubuerit ad juſtam ſui defenſionem Belli capeſſendi neceſſitas, & ad hoc proſequendum ſe ipſi Senatores Sacramento obſtrinxerint, Rege jubente ſanciatur, *ſuper quæ Propoſitiones*

I. *Quòd Declarationes & Proclamationes omnino omnes adverſus Conſeſſus utroſque, vel quotquot iis adhæſerint, omniáque Judicia & Poſtulationes contra eos pro irritis habeantur, & pronuncientur.* Prima.

II. *Statutum fiat, juſſu Regio, de abolendis omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis ex Eccleſiis Angliæ & Hiberniæ, de fundis eorundem & reditibus dividendis; utì etiam comprobetur aſſenſu Regio Theologorum Convocatio & Conſeſſus Synodicus; Reformatio Religionis per Angliam & Hiberniam ad eum modulum quo decreverunt vel decreverint Parlamenti Senatores, habito priùs cum Theologis prædictis conſilio, procuretur. In particulari, Regia Majeſtas conſentiat ut in Statutum ſeu Legem dehinc migret Decretum utriuſque Domûs Parlamenti de Directorio pridem factum, quoad Cultum Divinum publicè per Angliam & Hiberniam celebrandum; de abroganda veteri Liturgia; de Regiminis Eccleſiaſtici formula & Religionis Articulis, cum Catechiſmis minore majoréque; de Die Dominico religioſiùs obſervando; de ſupprimendis Innovationibus in Templis & Fanis; de Concionatorum mercede augenda; de Pluralitate Beneficiorum & Non-reſidentia viris Eccleſiaſticis prohibenda: utì Regia Majeſtas manum ſubſcribat Fœderi Nationali, eodémque Seipſum obſtringi patiatur; ut etiam publico Edicto idem imperet ſubditis* Secunda,

ditis omnibus utriusque Regni, Angliæ & Scotiæ, recusantibus pœnam quam utrique Consessui placuerit irrogare. Lege cautum sit Parlamentum penès fore in posterum Universitates Oxonii & Cantabrigiæ, Collegia quoque Westmonasterienſe, Wintonienſe & Ætonenſe visitare & reformare. Lege factâ cavetur nè Jesuitæ, Sacerdotes, & Pontificii Rempublicam perturbent, Legésve eludant, & ut hujusmodi hominibus criterio internoscendis Sacramentum administretur, quo Pontificis Romani Supremátum, Transsubstantiationem, Purgatorium, Cultum imaginum, Errorésque alios Ecclesiæ Romanæ superstitiosos abjurent. Prospiciatur de educandis Pontificiorum liberis in Fide & Religione Protestantium; de mulctis in Pontificios irrogandis, iisque secundum arbitrium utriusque Consessûs collocandis. Provisum etiam esto de conatibus Pontificiorum adversus Rempublicam reprimendis, Legibúsque in illos absque fraude exequendis, & Missæ administratione & frequentatione, sive in Aula seu quocunque in loco, intra Angliam & Hiberniam districtiùs interdicendâ.

Tertia. III. *Penès Parlamentum solum terrestris simul & navalis Militiæ per Angliam & Hiberniam potestas resideat. Integrum ipsis esto conscribere, exercere quot placet, ducere quo libet, milites, irrogare quas visum fuerit Pecunias pro stipendiis; unde tumultibus intestinis obviam eant, exterorúmque invasionibus: nec Rex aut ejus Successores quicquam in istis sibi juris vendicent per spatium viginti Annorum. Postea Parlamento fas esto, quando sibi videbitur interesse saluti publicæ, Exercitum tum terrestrem tum navalem conscribere, & in ipsius stipendia Pecunias irrogare, & ad hoc suâ autoritate Decretum sciscere, quod Legis habeat vigorem, etsi Rex ipse denegaverit assensum.*

Si homines qualescunque ad numerum trigesimum convenerint armati, neq; ad Procerum & Plebeiorum jussa deposuerint arma, Perduellionis rei habentur,

citra

citra ſpem omnem veniæ ab Rege impetrandæ.

Hiſce Auctuarii loco acceſſerunt Proviſiones nonnullæ de *Londini* privilegiis & poteſtate ordinaria Juſtitiæ in ſententiis latis exequendæ.

IV. *Ceſſatio Hibernica, Tractatúſque ibi omnes & Articuli ſine conſenſu Parlamenti pacti, reſcindantur. Belli Hibernici proſequendi Jus ab utriuſque Domûs arbitrio pendeat. Pro-Rex omnéſq; ſive Militares ſive Civiles Adminiſtri à Parlamento ſurrogentur; Hiberniæ Cancellarius, Magni Sigilli Cuſtos, Theſaurarius, omnes Regni Magiſtratus, Judices omnes; caſſis muneribus, officiis, titulis, fundorúmque donationibus à Rege conceſſis ab tempore quo pacta Caſſatio erat, pronunciatis.* Quarta.

V. *Comitiis fas eſto pecunias irrogare quaſcunque libuerit æri alieno exſolvendo, damniſque reſarciendis, & in alias quaſcunque publicas utilitates, prout ipſis in poſterum opus videbitur.* Quinta.

VI. *Honores omnes & tituli à viceſimo primo Maii Anno Chriſti Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo* (quo nimirum tempore Magni Sigilli Cuſtos Sigillum unà ſecum ſubduxerat ab Ædibus Parlamentariis) *denuncientur irriti. Nemo etiam in Dynaſtarum ordinem deinceps cooptatus, ſedem in Conſeſſu Procerum abſque conſenſu utriuſque Domûs occupabit.* Sexta.

VII. *In prima Delinquentium Claſſe cenſeantur* (*quibus nulla condonationis relicta ſpes ſit, ſed Vitis Fortuniſque omnibus exuendi, Rege adſtipulante, ſunto*) *Principes Palatini, Rupertus & Mauritius, Comites tres, Barones quinque, Epiſcopi duo, totidem & Regni Judices, viginti duo circiter Equites,* (quorum recenſere nomina compendii ratio vix patitur; ii tamen ferè erant qui Regi ſedulam maximè navâſſent operam.) Adjecti & *Pontificii omnes qui Arma ſumpſerant, nominatim Marchio Wintonienſis, cum duobus Comitibus, totidem Baronibus, & ſex Equitibus, ut & omnes qui Rebellionem Hibernicam vel excitâſſent vel foviſſent.* Septima.

In secunda Classe repositi quinquaginta Nobiles & Equites, Senatores omnes Consessûs Inferioris qui, desertis Comitiis, in Regias partes transierant; Judices insuper omnes, Juris-consulti, Ecclesiastici. Exulent illi ab Aula Regia, publicisque ab officiis abstineant, idque pœnâ Perduellionis, Capitum & Fortunarum jacturæ: Judices & Juris-consulti proscribantur Foro & praxi; Ecclesiastici Beneficiis & Concionandi copiâ interdicantur.

Tertiam implent Classem qui quicquam contra Parlamentum admiserant, vel consilium dederant, quorum nullus vel Eirenarchæ, vel Judicis, vel Vicecomitis, vel Administri publici munus in futurum assequatur.

Quartæ annumerantur Milites gregarii, omnésque commatis vilioris homunciones, quibus libris ducentis angustior fortuna esset.

Fundi eorúmque bona omnia qui è prima Classe sunt, ad æs publicum numerandum, sub auctione veneant. Senatorum autem qui convocatis Oxonii Comitiis Westmonasterii sedentes Perduellionis reos pronunciarent, duæ fundorum bonorúmque partes ex tribus; aliorum, dimidia pars; Judicum, Juris-consultorum & Ecclesiasticorum, tertia; sextáque omnium è tertia classe, in prædictas solutiones veneant. Impunè cæteri dimittantur, modò Sacramento sese Nationali obstrinxerint. Omnes in secunda tertiáque Classe post persolutionem mulctarum, veniâ utriusque Domûs impetratâ & concessâ, in integrum restituantur.

Octava. VIII. *Uti omnia Regni munia & præcipui Magistratus per viginti annos proximè sequentes conferantur ex arbitrio Senaculi utriusque.*

Nona. IX. *Uti Sigillum novum, Comitiis jubentibus efformatum, sanctione Regiâ transeat in genuinum Angliæ Sigillum, nec ullum aliud deinceps usui habeatur. Omnes Concessiones & munia Novo hoc signata, rata maneant; cassis omnibus irritisque quæ sub Vetere (quod penès Regem erat) ab eo tempore quo illud ex*

Comitiis

comitiis primùm ſubduxerat Cuſtos Sigilli Baro Littletonius, conceſſa fuiſſent.

X. *Omnia Privilegia, Conceſſiones, Chartæ & Immunitates Civitatis Londinenſis iteratis Inſtitutis corroborentur. Turris Londinenſis & Militia juxta Prætoris urbani, Senatorum & Concilii ibidem communis, arbitrium ordinentur. Nemo Civium extra Civitatis pomœria in militiam adigatur, niſi jubentibus Comitiis.* *Decima.*

XI. Ultima hæc erat, *Exterminetur Pupillorum Curia, cum omnibus officiis & muneribus eò ſpectantibus: Ceſſent etiam omnia Servitia ejus gratiâ debita. Hæreditates omnes (quas priùs in Capite & Equeſtri ſcilicet ſervitio à Rege poſſeſſores occupârant) ab oneribus ſumptibúſque liberentur, quinquaginta tamen millibus librarum monetæ Anglicanæ annuatim in compenſationem perſolutis.* *Undecima.*

Hæ erant Pacis Conditiones à *Comitiis* propoſitæ, in argumentum ſeu materiam redintegrandi Colloquii adeò vehementer & votis omnium & complurium armis expetiti; nihil ab iis immutatæ quæ *Regi* pridem miſſæ dum adhuc in *Hamptonienſi Baſilica* commoraretur, & non ab ipſo *Rege* ſolo, ſed & ab *Exercitu* quoque, utpote paulo iniquiores, repudiatæ ſunt, in hoc uno diſſonæ, quod in hiſce noviſſimis nulla habita ſit *Scotorum* ratio. *Nulla in hâc ratio habita Scotorum.*

Pacificatores autem non aliâ donantur quàm ad *Regia* argumenta reſpondendi autoritate, rationeſque retorquendi ad *Regium Aſſenſum* expugnandum: Nulla illis Propoſitionem ullam emolliendi, vel unam immutandi voculam, imò nè Præfationis quidem omittendæ, poteſtas. Jubentur autem identidem admonere *Comitia* de Conceſſionibus *Regiis*, toriúſque negotii proceſſu, omnia ſcriptis agere; imò & eodem ordine de Propoſitionibus diſceptare, ad aliam Propoſitionem non deſcendendo, priuſquam de præcedente convenerit. *Quibus conditionibus aſtringuntur Delegati pacificatores.*

Nec

Colloquium Neoporti instituendum.

Nec satis erat Conditiones & *Delegatos* tam duris circumscribi Legibus; Locum ipsum Colloquii ad *Neoportum* intra *Insulam Vectim*, atque tempus adhuc arctius definiunt intra quadragesimum diem.

Regi concedunt ministeria Servorum necessaria.

Regi etenim ad Colloquium evocato libertas hactenus indulgetur exeundi è Carcere, in *Custodiam* Insulæ spatiosiorem; Sponsione verò interpositâ, nusquam se ex *Insula* excessurum intra quadraginta dies post Colloquii finem. Hosce scrupulos & restrictiones nectebant qui *Concilio* intermiscebantur *Oligarchici* & *Democratici* cautiores. Servi, sed ii ferè ad *Regis* Ministeria aut Consilia necessarii, accersuntur, idque nominatim, & magnâ cautione à *Comitiis* adhibitâ; *Consiliarii*, *Theologi*, *Secretarius*; non in Scenam tamen aut ad alloquium intromittendi, sed post Aulæum & in Proscenio astituri. Adeò ut unus unicúsque *Rex* Politicum se opponeret & Theologum selectissimis totius Regni Politicis & Theologis *Parlamentariis*.

Mira Regis in Colloquio Prudentia.

In Colloquio peragendo, tam incredibili prudentiâ & dicendi vi Rationum omnium momenta *Rex* solus eventilavit repulitque, tantâ largiendi & condonandi lenitate, etiam quæ ut iniquiora redarguerat, (modò nec Honorem suum labefactarent neque Conscientiam) Postulata concessit, ut omnes in admirationem sui raperet; quódque Divini planè ingenii fuit, vel inimicissimos in sententiam suam invitos *Commissarios* pertraheret: (quamvis ex officio & capitis discrimine tenerentur, refragante Conscientiâ, disputationem producere.) Certè Paternam benignitatem, quò suis unius damnis à Belli cladibus *Populum* redimeret, luculentissimè ostentavit.

In medio tractatu reponunt Parlamentarii ut Marchionis Ormondii Diploma rescindatur.

Diu fervet circa res componendas Colloquium; cùm ecce *Comitia* rescisc unt *Marchionem Ormondiæ* in *Hibernia* appulisse, instructum autoritate *Regiâ*, quâ, *Deputati* titulo insignitus, toti *Hiberniæ* præ-

esset;

eſſet; Pacémque firmaret communem Conditionibus quibus poſſet optimis; Exercitum quoque conſcriberet ad *Regem* è Captivitate liberandum. Mittuntur ſuper hac re literæ ad Delegatos in *Inſula Vecti*, juſſos à *Rege* poſtulare ut Diploma repoſceret *Ormondianum*, ejúſque Autoritatem (pacificantibus nimis moleſtam) abdicaret.

Interea ad *Senatum* tranſacta negotia fruſtulatim referuntur; ubi plures non minùs averſo, quàm *Rex* propenſo, ad pacem animo carpunt & minutatim arrodunt omnia, niſi ſuis voculis & verborum apicibus ad præſcriptam formulam annueretur; veriti nimirum (quod & palàm profeſſi ſunt ex iis nonnulli) nè Propoſitis plenè indultis, nullo ampliùs inimicitiæ vel querelæ loco relicto, ad Pacem redintegrandam, quam *ſpecie* cuperent, *reverâ* ſi non *Vi* à populo illatâ, *Pudore* ſaltem cogerentur. *Rex* enim pluribus præter omnium opinionem aſtipularus, non modò rem ipſam, ſed etiam verborum ſcrupulos admiſerat.

In Senatu carpuntur Regia reſponſa.

Rex inexpectatò plurima concedit.

Præfationi, non tam ad Pacem ſpectanti publicam, quàm ad ignominiam ſibi ſuiſque inurendam, ægrè, & non niſi præmiſſâ cautione, conſenſit, hâc ſcilicet, *Nè quid in iſto Colloquio pro conceſſo haberetur, niſi ubi de Cunctis in univerſum conveniret.*

Annuit Propoſitioni primæ, de Declarationibus revocandis; Tertiæ, de Militia; Quartæ, de *Hiberniæ* Adminiſtratione; Quintæ, de Publicis Debitorum ſolutionibus, *modò intra biennium revocentur ad calculum iſta debita*; Sextæ, de Honorum Titulis abrogandis; Octavæ, de ſupremis *Regni* Magiſtratibus; Nonæ, de Sigillo magno; Decimæ, de *Londini* Privilegiis; Undecimæ, de *Curia Pupillorum*, modò compenſationis nomine centena librarum millia annuatim penderentur.

In iſtis omnibus alienæ Avaritiæ & Ambitioni faciſem ſe prædam exhibuit; & quò *Regnum* aliis pacatius redderet, ſuis manibus eripi permiſit.

Secundæ

Secundæ Propositionis Articulis omnibus Assensum præbuit, excepto unico, de *Episcopis* eorúmque Reditibus. In isto tamen non defuit omnino *Comitiorum* votis: Quicquid enim à *Divino* Instituto non planè promanâsse constaret, penitus abrogari patitur; adeóque *Archiepiscopatum* intercidere, *Episcopalem* etiam *jurisdictionem*, id est, *Disciplinæ* seu *Regiminis Ecclesiastici* exercendi prærogativam; non item Ordines conferendi, jure positam, utpote *Apostolicam* labefactari finit.

Tandem verò, (intorquentibus inter alia (quæ meliùs refutare potuit) Argumenta Necessitatis telum *Synodi Magistellis* & *Pacificatoribus*, & privatim spondentibus, modò istis in præsenti astipularetur, laxiora olim se daturos Vincula, nec non in aliis ipsi cessuros Senatores (modò in hac de rigore Conscientiæ remitteret) spe factâ) Ordinandi munus per triennium haud exercendum ab *Episcopis* absque *Presbyterorum* assensu, imò suspendendum, indulget, donec viginti *Theologis* à seipso delectis, cum *Synodo Comitiorum* jussu convocata consilium habituris, certi aliquid de *Regimine Ecclesiastico* constitueretur; cui cum *Senatu* consentire promisit: interea temporis *Presbyteriatum* experimenti gratiâ ratum esse haud reluctatur.

Fundos & reditus *Episcoporum* (Sacrilegii horrore perterritus) divendi & ab Ecclesia abalienari non passus est; elocari tamen in nonaginta novem annos, parvo censu annuatim in hæreditarii juris testimonium & in *Episcoporum* alimoniam asservato, permisit, modò post finitum hunc terminum ad Jus *Coronæ* reverterentur, in *Ecclesiæ* usum erogandi: certò interim apud se statuens, propriis reditibus redemptos in *Ecclesiasticos* usus refundere.

Septimam de Delinquentibus Propositionem (propriis in periculis haud immemor Amicorum) subscriptione suâ confirmare nequit: Perrùitis autem ut

I. Mo-

I. moderatæ Pecuniarum mulctæ his irrogentur.

II. Prohibeantur ab accessu *Regio* Aulâque: etiam ut horum quidam relegentur in Exilium; non tamen sub nota *Perduellionis*, nec dispendio Capitis & Possessionum plectantur, sed mulctâ pecuniariâ constituendâ, si contrà fecerint.

III. Jure assidendi in *Comitiis Parlamentariis* per triennium ut priventur.

IV. Judicio sistantur, si ità visum sit; & si quid admiserint contra latas Angliæ Leges (quas *Regis* favere pro comperto erat) pro merito luant. Iniquum existimabat plecti quempiam propter Fidem sibi præstitam, etiam & secundum Conscientiæ Jurisque Municipalis dictamina, per Legem ex post facto. Alios tamen ejusdem Propositionis Articulos concedere placuit, eâ lege, si nimirum *Ecclesiastici* probis, doctis & scandalo liberis, tertiâ parte Beneficiorum frui liceret, nec hi concionandi munere penitus abdicarentur.

Autoritatem *Marchioni Ormondio*, eo ipso cùm Custodiæ traditus esset temporis articulo demandatam, abrogare nequit, nisi in cæteris sibi cum *Comitiis* convenerit: hoc si fieret, tum (juxta Concessiones in quarta Propositione) *Comitiorum* pro arbitrio solùm res *Hibernicas* administrari placebit. Interea tamen Literas *Marchioni Ormondio* scribit, quibus jubet nè quid in ea potestate exequenda moliatur, quamdiu Collatio & spes ulla Pacis supereffet.

Durante Colloquio (nè iniquas continuò vices *Majestas Regia* sustineret, insuper ut quo ergà illum animo essent Senatores pertentaret) *Rex* Propositа æqua satis & publico profutura *Comitiis* transmittenda exhibet. *Rex quædam Propositа proponit:*

Primo postulat, *ut Londini, vel alio quocunque in Palatio proprio, versari sibi liceat, propiúsque cum ipsis Comitiis agere, idque liberè, honorificè & securè ut fiat.* Quod Postulatum concessis Propositioni- *quibus magna ex parte Comitia adstipulantur.*

bus indulgendum Ipsi *Comitia* in se recipiunt; *Londinensium* priùs animis pertentatis, penèque omnium (sanè optimorum & longè plurium) subscriptis manibus animata.

Secundò, Rex postulat uti *Reditus omnes recipiat & emolumenta Coronæ.*

Tertiò, ut *Compensationem referat pro legitimis Juribus quæ Parlamento visum fuerit abrogare.* Hisce itidem *Comitia* haud gravatè astipulantur.

Quartò, ut *Amnestiâ, seu Oblivionis lege sancitâ, rerum omnium quæ graffante Bello acciderunt ipsa memoria funditus deleatur.* Huic Postulato non adjiciunt calculos, nisi cum cautelis & limitationibus, quarum beneficio *Comitiorum* affectis liceret ferè quenquam è *Regis* insectari.

Spem Pacis omnibus affulgentem

Rebus propè (si non ex animi sententia, omnino præter expectationem) compositis, *Delegati Pacificatores* Pacem quam animis suis percipiebant, *Regi* quoque, sed vani Augures, pollicebantur; rati nempe (uti par erat) *Comitia* aliquantisper à rigidis Postulatis recessura, cùm *Rex*, ad ipsos leniendos, utriusque planè *Regni*, *Angliæ* & *Hiberniæ*, de imperio cessisset. Imò læta concordiæ spes omnium ferè suspensis animis affulsit; & subsecuta dubio procul fuisset, ni Factiosi homines, qui clandestinis artibus non dudum in bella protruserant, palàm jam & armatâ manu optatum Colloquii fructum & coalituram illico Pacem intercertissent. Quomodo autem id effecerint, & vobis *Exteris* scire, & mihi summâ quâ potero fide enarrare, operæ pretium fuerit.

Factiosi intervertunt:

quo m. &c.

Colloquio fervente, pars illa *Exercitûs* quæ primam felicem Belli aleam experta, victricia signa domum retulerat, Stativa occupabat sub imperio *Fairfaxii* (cui, ceu malus Genius, sese adjunxerat *Iretonius*) tam prope *Londinum*, ut diculæ dimidiatæ spatio liceret illud evertiri, & opprimere imparatos adversarios, modò subitanea occasio id requireret. Interea *Fairfaxius*, *Iretonus*, cæteræque

cæterique *Tribuni* demisse se in publico gerunt, ac *placitis Comitiorum semper se obtemperaturos, Patémque publicam sibiipsis præ omnibus gratam futuram, quâ Militiæ tædiis liberi, res privatas procurent, & post tot exantlatos labores quiete fruantur*, præ se ferunt. Privatim verò (habito cum Factione sua *Comitiis* intermista consilio) permittunt inter Cohortes & Legiones gregarii militis minorúmque ordinum *Ductorum* Conciliabula agi, & (Emissariis procurantibus,) Petitiones cudi quibus irritus fieret cum *Rege* tractatus, & supplicium de omnibus indiscriminatim sumendum (*Regiam* personam jam tum callidè impetentes) *Reipublicæ* inimicis exposcerent: etiam evulgandas curabant, prelísque impressas, ad tentandos vulgi animos propalari. Nec dubium erat quin harum Petitionum Autores exiterint majorum agminum *Ductores Tribuni*que. In eandem sententiam per Emissarios (præsertim *Hugonem Peters* Ministerii desertorem juxtà & opprobrium, effrontem & procacem hominem) passim locorum dispositos, milites per se satìs faciles in spolia & res novas allexerint.

Ductores Exercitûs simulant sibi pacem perpetuam.

Gregarios milites adversùs exstimulant;

& Regem ad tuendum.

Interea, qui se commoverant Plebeiis (quorum suprà meminimus) dissipatis, Præfidiísque ac Præfectis per singulas *Provincias* dispositis, ad *Fairfaxii* stationem omnes totius Regni milites conclamantur; qui Victoriis ovantes (partes Victrices sequentibus quamplurimis) numerosi confluunt. *Iretonus* (simultatis inter ipsum & *Fairfaxium* exortæ famâ in vulgus sparsâ) privatim se intra *Winsoræ* castrum abdens, ascitis è *Senaculo* inferiore Consortibus, *Remonstrantiam* magno verborum apparatu & eloquii ambitione procudit, quâ, sub *Exercitûs* nomine, *contra Pacem cum Rege pactam Regísque Restitutionem argutiis contendit, imò Regis ipsius caput ad supplicium exposcit: Judicio sistendos illos Senatores quos anno superiori Perduellionis postulârat Exercitus, excludíque consessu*

Congregantur milites prope Londinum.

Iretonus contrà Pacem effingit Remonstrantiam;

idque Exercitûs nomine.

alios omnes qui Comitiis olim adhæserant, cùm fugerent ad Exercitum Oratores reliquique Factioni ſuæ mancipati : Stipendia militibus debita perſolvenda è Regio cenſu, & Decanorum Capitulorúmque poſſeſſionibus, in hunc præcipuè uſum ſumptúſque publicos ferendos dividendis : Terminum præſenti Parlamento ponendum, initâ magis æquâ ratione Repræſentativæ populi in poſterum eligendæ, penès quam ſumma rerum poteſtas ſit : aliáque hujus generis complura ſatis pro Imperio poſtulat.

Convocato Exercitu,

Colloquii fine jam appropinquante, (quod protelari & Artibus turbari, quò meliùs interim in unum ſe contraheret Exercitus, procurabant ſedulò *Oligarchicorum* ſimul & *Democraticorum* Factiones, quæ *Parlamentariis* conſiliis intererant) *Ductores* Exercitûs ab *Inſula Vecti* & *Comitiis* de omni rerum proceſſu, & opportunitate ſuis negotiis accommodâ edocti, *Concilium Caſtrenſe* indicunt, quo *Tribuni* omnes minoríſque ſortis militares *Præfecti* conveniunt; ubi Preces & Jejunia celebrantur.

& Jejunio indicto,

(cujus apud ipſos frequens usus)

Sciendum enim eſt, hiſce Terræ filiis magnum cum Cœlo commercium interceſſiſſe, (prout ipſi ſimulabant;) & quando quicquid Naturæ juri, Rationis lumini, Divinis & humanis Legibus contrarium agitarent, *Deum* Precibus compellatum aggredi ſolitos, quarum exordio, dubitantium inſtar, propoſita exponunt, & re *Majeſtatem* inter *Divinam* & ſeipſos priùs diſquiſitâ, deinde inflexâ oratione reſponſum Deſignationibus congruum promunt; quod &, *Divini* inſtar *Oraculi* precantibus redditi, militi gregario credendum obtruditur, etſi pridem animis recoctum fuiſſet: nec auſus obmutire quiſquam qui Catalogo *Sanctorum* iri non cupit expunctum. Hinc Jejunia eorum & preces Portenti inſtar à populo pertimeſcebantur.

perficitur & ejeratur;

Peractis Sacris, prolatam lectámque *Iretoni Remonſtrantiam* quaſi de Cœlo delapſam magno plauſu

plauſu Milites excipiunt; eidem tanquam ab omnibus comprobatæ formidabilem titulum Exercitûs inſcribunt; *Comitiis* denique exhiberi jubent nomine *Exercitûs* & *Populi Anglicani*, cujus ſi conquiſita fuiſſent ſuffragia, vix milleſimus quiſque præbuiſſet aſſenſum; reliqui autem perfidum Sceleris Caput cum integro ſatellitio, ceu humani generis peſtes, malæ Cruci devoviſſent.

Parlamento Exercitûs & Populi titulo exhibetur.

Conſeſſus verò inferior tantos ab ipſa temporis neceſſitate ſibi ſumpſit animos, ut auſus ſit (*iſtâ Remonſtrantiâ* ad tempus ſepoſitâ) *Regiis*, quas præ manibus habebat, *Conceſſionibus* eventilandis inſiſtere. Quod cùm *Præfecti* Exercitûs ſtomacharentur, tam indignè nempe ſe ab iis tractari, qui ſibi omnem quâ gaudebant dignitatem acceptam ferrent, immiſſis in *Vectim Inſulam* auxiliaribus copiis, *Regi* manus injiciunt, & ex Inſula delatum in Caſtello *Hurſt*, quod ex oppoſito Inſulam ſpectat, (qui quidem locus anguſtiſſimus, ſordidus, & Mari circumfluo inſalubris) includunt: ſimul etiam Signa *Londinum* verſus movent; *Palatia Regia* & Nobilium ædes *Comitiorum* atriis finitimas præſidiis occupant, circumfuſo locis vicinis Exercitu.

Fergit nihilominus inferior Conſeſſus in penſitandis Regiis Conceſſionibus: quod Præfecti Exercitûs ſtomachantur, & Regem abripiunt ab Inſula Vecti.

Signa movent Londinum verſus, & occupant Stativa circucira Senatum.

Sperabat miles hujus incepti metu dilapſuros *Senatores* in latibula (prout ſolenne fuerat) qui contrà ſentiebant; & ſuæ Factionis hominibus occupantibus *Comitia*, integrum ipſis fore, ſub Autoritatis *Parlamentariæ* larva, ſuæ patrocinari violentiæ, & quæcunque ſuis propoſitis inſervirent *Decreta* ſancire.

Fefellit verò ſpem horum eventus, nam plerique *Parlamentarii* (quaſi in hoc momento *afflatu divino* ſuſtentarentur) circumſonante Militum fremitu armorúmque ſtrepitu nil territi, (*Senatoriâ* uti ſibi perſuaſerant autoritate ſatis muniti) ſolito frequentiores coeunt conſilium inituri.

Coeunt verò Senatores.

disceptatio de Regiis Concessionibus.

In *Senaculo* inferiori de *Regiis* Concessionibus usque in diem posterum acriter disputatum est; dum interea de *Presbyteratu*, de *Fœdere* Nationali (quorum neutrum sibi cordi fuerit) de *Delinquentibus*, in quibus *Rex* satis non fecerat *Comitiorum* placitis, scrupulos nectunt, disseminant rixas, scindunt in diversum partes, longísque oratiunculis tempus terunt *Oligarchici* & *Democratici*; unus præ cæteris ex *Vanaticis* Eques ferocissimè (qui in *Insula Vecti* persuaserat *Regiæ Majestati*, nil ut ultrà concederet, quippe jam tot & tanta *Parlamento* indulsisse eum privilegia, quanta nec expectare nec admittere fas haberet: quod etiam in se recepit, sese palàm facturum) Iste, inquam, acerrimè adversus Pacis conditiones est invectus, quasi sub larva *Concessionum* & specie Pacis redintegrandæ lateret anguis, & rei *Parlamentariæ* & publicæ subvertendæ *Regia Majestas* insidiaretur: quò totus Exercitus in Civitatem immigrandi spatium lucraretur.

Decernunt eas esse basin sive fundamentum Pacis redintegrandæ,

In istam tandem sententiam descendunt, *concessiones Regias idoneum esse Pacis stabiliendæ fundamentum.* Quæ sententia ducentis suffragiis (dissentientibus vix sexaginta viris) comprobata est, Cui in terminis die sequenti non segniter adstipulatur *Superior Consessus*, prorogato statim in septimanam (donec deferveseeret aliquantulum iste impetus) conventu. Delegati protinus à *Domo Communium* mittuntur, quibus demandatur ut *Fairfaxium* & *Ductores* Exercitûs ea de re certiores faciant.

adstipulante superiore Consessu.

Hoc malè habuit Oligarchicos.

Oligarchicos hoc malè adeò habuit, ut Orator *Consessûs* inferioris (qui toto pectore jam hauserat eorum insaniam, vel saltem hinc & indè utrique Factioni, prout alia supra aliam invalescebat, prævaricando velificabat) statim palàm in *Comitiis* interminaretur, *nunquam in posterum istis* (*si sententiæ mordicus adhæserint*) *copiam fore ad Comitia conveniendi.* Et reverâ, die *Consessûs* indicto, Tribuni quidam,

quidam, unâ vel alterâ Legione peditum cum cohorte Cataphractorum circumstipati, omnibus inferioris *Senaculi* accessibus observatis, ingressuros *Senatores* sibi diffidentes (nempe quadraginta cordatiores & magis rerum consultos) comprehendunt; centum & quinquaginta plùs minùs alios *Comitiis* arcent; nemini indulgent ingressum, nisi quos probè nôrant Factioni suæ velificaturos. Aliquos verò scrutinium præterlapsos, simul ac constaret interesse Conessui, Scripto immisso tanquam ab Amicorum vel Clientum aliquo ad colloquium januam versus pellectos, & frustrà *Senatûs* Autoritatem inclamantes, ex ipsa Curia raptant.

Ductores Exercitûs obsident Senacula; Senatores incarcerant plures, aliis prohibent introitum;

nonnullos vi rapiunt ex Senaculo.

Multis malè modis exagitati, ludibrio exponuntur captivi *Senatores*, Carceris squalore diu macerati; atque hos inter, complures qui *Parlamentariam* causam præcipuo loco, ceu *Archistratigi*, *Præfecti*, *Tribuni*que propugnaverant, ob fortissimam fidelemque navatam operam, hanc demum gratiam reportant. Imò *Gulielmus Prynn*, (*Custos veri* quod semel admisit *rigidúsque satelles*) ille fusissimorum pro *Parlamento* scriptorum indefessus Autor, eodem cum cæteris in luto hæret; passim obstupescentibus spectatoribus ad inscrutabilia *Dei* Judicia, qui suorum *Servitiorum* manibus indignè adeo tractari permisit eos qui priores Signa adversus *Regem* suum subditi tulerint, quin & ipsi manus audaces injecerint. Et hoc ipsum repurgandi *Senatûs* fuco, & *Reformationis* titulo cohonestant.

Captivos male tractant.

Sic ad paucos viros *Consessus* inferior redactus est, octavam scilicet justi *Senatûs* partem, eósque omnino Exercitui mancipatos, cujus cum *Ductoribus*, Castris in *Senatum* ultro citróque commeantibus, jam quotidianæ sententiarum collationes sunt; & *Castrensi* priùs *Concilio* decernitur, quod *Comitiis* (jam sub milite merentibus) statuendum proponitur; quorum Autoritatis larvam suis machinationibus obducunt.

Arripit autoritatem Oligarchica Factio, quadraginta circiter viri:

quos tamen Milites moderatur.

E tot *Senatorum* centenariis, Capitum denuo ad hanc Cameram coeuntium numerus vix par inferioris *Senaculi* nomini sustinendo, ad quadrangenarium scilicet ægre attingit; eorum etiam non tantùm minima portio, sed & pessima, quámque in imo & quasi de *Comitiorum* fæce supereſſe constabat: quin & horum magna pars *Ductores* sunt *Exercitûs*. Adeò nihil planè de Senatu reſtabat præter nomen, cæteris tam grande nefas horreſcentibus, & ab ipſorum conſortio aufugientibus: etiam nonnullis qui Conſcientiæ fuco deluſi, *Oligarchicorum* & *Democraticorum* partibus nomina dediſſent.

Statuunt de Summis Regni negotiis: ac Rege plectendo etiam.

Ita pauci homunciones (etiam viginti circiter plerumque diſſentientibus) de ſumma rerum *Anglicanarum*, de *Rege* plectendo, *Legibus* patriis figendis & refigendis, *Regiminis* aviti fundamentis penitus ſubvertendis, *Hi*, inquam, de rebus hiſce determinandi poteſtatem ſibi ſolis arrogare non erubeſcunt. Decreta olim de *Rege* non ampliùs compellando, (ſurreptitia illa, vi & dolo malo extorta, plenis verò utriuſque Senaculi *Comitiis* reſciſſa) de novo rata eſſe jubent. Altera verò illa de *Colloquio cum Rege ineundo*, illud potiſſimùm quo *Regiæ Conceſſiones pro idonea Pacis futuræ baſi habendæ* ſtatuebantur, explodunt, & cum ludibrio expungunt; utpôte indignum, & minimè *Parlamentarium* Scitum. Nova prioribus ſubſtituuntur à *Communium* horum cœtu Plebiſcita, unde *Suffragiis* invadunt quod priùs *Armis* arripuerant Imperium.

Decreta de Rege non ineundo rata eſſe jubent: De Colloquio inſtituendo irrito.

Scita præmittuntur in Regis Caput.

Sciſcunt primò, *Penes Populum poteſtatem omnem primitus reſidere.*

Secundò, *Ad Populi Delegatos, ſeu Repræſentativos* (ſeipſos volunt intelligi) *Domûs popularium viros, id poteſtatis pertinere.*

Tertiò, proinde *Vim Legis obtinere Plebis ſeu Communium* (quod verbum nobis in uſu) *Placita, citra Regis aut Procerum ſuffragia*, Horatianâ planè lege, *Quod plebs ſciverit, id populum teneat.*

Quartò,

Quartò, *Contra Populi Repræſentativum ſive Parlamentum arma ciere, & bellum eidem infere, crimen eſſe Perduellionis.*

Quintò, *Regem i ſum contra Parlamentum Arma ſumpſiſſe, eóque nomine cunctis ſanguinis Civili hoc bello ſoſi reum eſſe,* (quò ſuis capitibus ſcelus amoliri viderentur) *ſanguinéque proprio crimen illud expiaturum.*

Hiſce ſic præludebatur grandi, quod ſenſim oportuit tranſigi, & (horreſco referens) atrociſſimo Sceleri. Hâc tantâ, quantam ſibiipſis viſum eſt ſumere, poteſtate freti, non verentur *Tribunal novum* ſubditorum abjectiſſimorum in Regem erigere, cui *Supremæ Juſtitiæ Curiæ* nomen imponunt, à nomine Reverentiam mutuaturi. Huic *Judices* Centum & quinquaginta præficiuntur, (ut numero ſaltem *Populum* repræſentarent) *Factionis* univerſæ Factioſiſſimi vindices: quibus poteſtatem faciunt ſiſtendi, audiendi, Judicandi, & morte plectendi *Carolum Stuartum Regem Angliæ.*

Tribunal ſubditorum erigunt adverſus Regem.

E ſuaFactione 150 Judices in hoc facinus conſtituunt:

Horum in numerum adſcribunt Comites è *Senaculo* ſuperiori ſex, *Judices* etiam Regni nuper ab ipſis electos. Pars verò maxima conflata eſt è *Ductoribus Militum* (qui priùs *Regis* in Excidium conjurârant) & *Curiæ* inferioris *Collegis Regio* nomini infenſiſſimis. Reliqui homines è *Londino* aut viciniæ propudiis. Hos inter unus aut alter Sutor Calcearius erat, Cereviſiarii, Aurifabri aliique Mechanici; plures, qui foro ceſſerant, Abliguritores, Decoctores, Scortatores, qui tamen *Sancti* audiebant à ſuæ Sectæ diſcipulis. Imò verò nullus erat qui peculatui ſuo, Sacrilegio, repetundis, aliiſque facinoribus impunitatem; aut Avaritiæ *Regios* reditus, Palatia, ſupellectilem ceſſuram, vel munia quæſtuoſa in ſe ob tam audax facinus conferenda, non ſperaret: inſuper *Cromwellii*, *Iretoni* aliorúmque *Præfectorum* prenſationibus, minis & promiſſis ad ſcelus horrendum

è Proceribus aliquot, Judicibus etiam,

Ductoribus militum, Senatoribus inferioris Conſeſſûs, Mechanicis, Decoctoribus,

Obnoxiis hominibus.

rendum allectus & animatus non conſurgeret.

Superior Senatus flocci penditur.

Dynaſtarum interim vix ulla ratio habebatur, atque vulgò credebatur eoſdem ſponte ſuâ à ſuperiore *Senaculo* abſuturos, utpote tantis periculis perterrefactos, præter quatuor aut quinque *Oligarchicæ* ſectæ Servitia. Horum Autoritatem ſibi fore ſatis validam autumabant Factioſi cuivis facinori corroborando, quod hactenus non ſemel experti ſunt. Neque ſanè omni ex parte illuſum eſt eorum ſpei. Veruntamen in ſummo negotio ceſſit eis paulo infeliciùs: pauci enim *Dynaſtæ* quotidie *Comitiis* intereſſe conſueverant; eo autem die quo approbandum à *Proceribus* Plebiſcitum de *Rege* ſiſtendo ad eorum conſeſſum deferebatur, inopinatò *Proceres* ſeptemdecim adſunt, qui omnes (nè iis quidem exceptis qui *Oligarchicis* favebant) non modò aſſenſum cohibent, ſed & ipſum rejiciunt Scitum ut *damnoſum nulliſque Legibus innixum.*

Placita verò ſua mittunt Oligarchici ab eodem corroboranda.

Sed rejiciuntur ut noxia & illegitima.

Unde Proceres expurgantur albo Judicum Regiorum,

Hinc excandeſcebant *Oligarchici*, ac vindictam ſpirabant, publicam adeo ſibi inuſtam infamiam ſtomachantes. Cæterùm inpræſentiarum ſatis ipſis viſum eſt, ut è numero Judicum *Regiorum Proceres* omnes expungerentur.

& Judices Regni, ceu placiti ſiſtis coërarii.

Mox verò ex eodem Nigro eximebantur *Regni Judices*, quòd in hoc negotio privatim ſententias rogati, (quamvis ipſi nuperrimè, mediante hâc *Novatorum* Factione, in officia ſua *Comitiorum* Autoritate evecti fuerant) reſpondiſſent, *Eſſe contra receptas Leges & Conſuetudines Angliæ Regem Judicio ſiſti.*

Præſidem Curiæ qualem eligunt,

Præſidem huic *Curiæ* præponunt, qui ad hoc munus parem allaturus erat famam, obſcuro ſcilicet loco natum, decoctorem & rabulam, *Johannem Bradhaw*, frontis effrictæ, linguæ petulantis hominem, nuperrimè vel inter ſuæ diſciplinæ viros nullius pretii.

& Procuratorem.

Procuratorem verò quendam *Cooke*, ejuſdem farinæ homuncionem, egenum, (polygamum ferunt) mille defunctum artibus & facinoribus

bus ad panem emerendum, & jam aucupandi lucelli ſpe promptum in quodlibet ſcelus.

Privatim conſulitur per dies aliquot de materia formâque ſive modo perpetrandi facinoris; ubi ad Accuſationem *Regis* concinnandam maximam elocavit operam *Doriſlaus* quidam, Legum Doctor, *Germanus*, quem Exulem vel Transfugam an appellem neſcio.

Reclamant interea *Miniſtri Presbyteriani*, *Londinenſes* ferè omnes, & ex plurimis *Provinciis* plures, imò ex *Independentium* partibus nonnulli, Concionibus è Suggeſtis, Colloquiis, Literis monitoriis, Libellis ſupplicibus, Proteſtationibus, & Remonſtrantiis publicè divulgatis. Obteſtantur, *nè contra tot Juramentorum horrendas Obligationes, contra Fidem publicam, privatam, declarationibus, pollicitationibus communitam, contra Leges Gentium, contra Sacræ Scripturæ & Religionis ſanctiora Dictamina, imò contra Reipublicæ utilitatem, manus ſuas & Regnum cruore Regio commaculent. Scoti* per *Delegatos* factâ proteſtatione contrà nituntur. *Ordines Belgii Fœderati* per Oratores (ſi modò fide integrâ Dominorum mandata præſtiterint) intercedunt. *Nobiles Angliæ*, *Comes* ſcilicet *Southamptoniæ*, *Dux Richmondiæ*, *Marchio Hertfordiæ*, & *Comes Lyndiſiæ*, &c. operam omnem adhibent, prece, pretio rem agunt; ſeſe obſidum loco, aut (ſi poſcerent *Oligarchici*) ſuccedaneorum vice objiciunt, unicos (ſi quid *Rex* peccâſſet) flagitii Miniſtros. Fremit muſitátque Populus, ægrè vanas ſine viribus iras compeſcens. Princeps CAROLUS (jam *Rex* ejuſdem nominis *Secundus*) omnibus nervis contendit ut *Patri* periclitanti ſuccurreret. Præter *Ordinum Confœderatorum* Oratores (quos in Legationem Ipſe ſuſcitaverat) ab *Auriaco Principe* & ſeipſo plures quotidie ſubmittit Emiſſarios, Affines, Cognatos & Neceſſarios *Cromwellii*, *Iretoni*, cæterorúmque Conjuratorum, plenipotentiâ inſtructos, quâ Precibus propoſitis, Pollicitationibus,

Interea Miniſtri Presbyteriani contrà declamant.

Scoti quoque contrà proteſtantur. Ordines Belgii intercedunt.

Proceres Angliæ ſeſe Obſides pro Rege offerunt.

Totus populus fremit.

nibus, Minis, Argumentis quibuſcunque uti liberet, vel ab inaudita barbarie animos inflecterent, vel ſaltem aliquantiſper facinus remorarentur.

Bradſhawo inſidiatur Burghilius,

Nec ſuffectus defuit *Bradſhawo* Percuſſor alter, nomine *Burghilius*, qui ſerâ nocte domum adventurum, pugione ac ſclopeto armatus, pone *Hoſpitii Grayenſis* portulam præſtolabatur. Caſſo autem eâ nocte (quia domum non redierat *Bradſhawus*,) labore, poſterâ luce abripitur *Burghilius* coram *Parricidis* ſiſtendus, prodente, quem conſilii ſui participârat, quodam *Cookio*. Verùm, dum à ſatellitibus vino corruptis negligentiùs invigilaretur, dilabendi nactus occaſionem, capiti ſuo conſulit, qui ſtruxerat inſidias alieno.

A' irrito conatu, ſummoque capitis ſui cum diſcrimine.

A' fruſtrà ſunt omnes conatus,

At fruſtrà hæc omnia; nam his ex facili contemptis, tuentur ſe *Novatores* obtentu *Providentiæ Divinæ Sanctique Spiritûs* impulſu. Mactos eſſe jubet è ſuggeſto *Peters*, (ſaxeæ frontis hiſtrio, qui flagris ignominioſè cæſus *Cantabrigiæ* ceſſit, & ab eo tempore *Schiſmaticis* navavit operam;) adeſſe tempus docet quo *Sancti mundanos Reges eorúmque Nobiles ferreis vincirent catenis* (Sic profanus Nebulo Sacram Paginam interpretatur;) monétque, *nè dubitent ad ſe Prophetiam ſpectare:* præ Concione *Sanctos Judices* identidem compellat: *Eſſe quinque millia hominum in Exercitu non minùs Sanctorum quàm ii qui in Cœlo apud Deum ipſum verſantur*, proteſtatur *ſe compertum habere.* Flexis in Suggeſtu genibus, Lacrymis extuſis, elevatis manibus, *Populi Anglicani nomine* obnixè petit, *ut Juſtitiam exequantur in* CAROLUM, *& nè Benhadad inimicum dimittant incolumem.* Imò in *Monarchiam* ipſam inſolentiſſimè debacchatur, & gliſcente livido ingenio Hiſtoriam illuſtrat, quâ *Arbores in eligendo Rege, Vite atque Oleâ recuſantibus id officii, aſperioris ſe ſubmiſere Rubi imperio; ac Regium regimen Rubeti inſtar eſſe* docet. Hujuſmodi argumentis incitat firmátque novos

quo tam Peters è ſuggeſto Judices exſtimulaverit.

hoſce

hoſce *Judices* ſatis ſuperque contra *Regem* propriâ indole ferocientes.

Alius item præter *Petrum* iſtum *Præco* deſignatur è Fecialibus, qui circumſtanti (nè Lapidibus obrueretur) Equitum turmâ, præcinentibus Buccinatoribus, citabat adverſus *Regem* quoſlibet Actores, ſiquis illum cujuſpiam Criminis reum cognoſceret; quod in Aula priùs *Weſtmonaſterienſi* evulgatum, deinde aliis in locis Civitatis *Londini* frequentiſſimis. *Per Præconem citantur Teſtes & Actores adverſus Regem*

Hiſce coram *Judicibus* novo inſidentibus Tribunali auguſtiſſimus *Carolus*, tribus *Regnis* (ſi per Perduelles hoſce licuiſſet) florentiſſimis exutus, jam etiam (quæ ſola ſupererat) vitâ ſpoliandus, nullis incompoſiti animi aut vultûs indiciis deducitur. Accuſatio perlegitur, quâ poſtulatur *Anglicani Populi nomine Perduellionis, Tyrannidis, Cædium & Rapinarum omnium quæ per bella acciderant*; multis in exaggerationem adjectis. At in eo totius Criminationis pondus reponunt, quòd *Bellum contra Parlamentum moviſſet*; quod quidem ipſi *Parlamentariis* merentes ſtipendiis dudum protriverant, vix ejus umbrâ relictâ. Immenſâ interim ſpectante Coronâ, gemitibus, ſuſpiriis ac lacrymis Optimi *Principis* ſortem deplorante. *Rex ſiſtitur.* *Accuſatur nomine Populi Anglis:*

Nec ſine injuria prætereundum, Heroicam Baronis *Fairfaxii* Uxorem (Baronis *Verii* filiam) publicè ex podio unde in *Curiam* ſpectabatur inclamâſſe, *Mendacium illud eſſe; non decimam partem Populi Facinoris iſtius reum, ſed machinatione Cromwellii Perduellis iſta patrari.* At hoc cum ingenti Capitis periculo. *publicè Baronis Fairfaxii obloquente Uxore.*

Rex auditâ Criminatione, vultu verbiſque Majeſtatem teſtantibus (ſuprà quàm ſtylo aſſequi quis poſſit) novos iſtos Judices interrogat, *Quâ autoritate Regem, Regem ſummo jure ſuum, contra fidem publicam* (quæ nuperrimè data fuerat cum utriuſque Ordinis *Senatoribus* Colloquium inſtituenti) *pro Tribunali ſiſterent. Quâ*, inquit emphaticè, *Legitimâ* *Autoritatem Fori in dubium vocat.*

Auto-

Autoritate? Nec enim se latere dixit, *plurima passim graſſari Imperia nullis Legibus innixa, ſicuti Latronum, Prædonúmq; in compitis. Declararent modò quo Jure hanc (qualiſcunque fuerit) poteſtatem ſibi arrogâſſent, ſéque libenter reſponſurum objectis. Quod ſi minùs poſſent, Piaculum hoc à ſuis capitibus & à Regno ut avertant* monet. *Quicquid illi fecerint, ſibi fixum, non prodere Provinciam à Deo traditam, & longævo ſtemmate confirmatam.*

Quàm affirmat Præſes à populo Regem eligendæ derivari. Rex inficiatur.

Præſidi oggerenti, *Eum Populi Anglicani jure, cujus Electione in Regem adſcitus erat, in examen vocari*; reponit *Rex, Neutiquam Electivum, ſed Hæreditarium annos ſupra mille, ad ſe Regnum devolutum. Populi Anglicani Jura ſe manifeſtiùs aſſerere, Autoritatem illegitimam & arbitrariam recuſando, quàm Judices vel alios quoſcunque aſtruendo. Populi Parlamentariis in Comitiis jus & poteſtatem oſtentari: Neminem verò hîc cerni Nobilium, quos Parlamento utique conſtituendo adeſſe oportuit; quin & Rex aliquis intereſſe debuit. Verùm nec alterutrum, nec utrumque Parlamenti Conſeſſum, nec aliud ullum in terrarum Orbe Tribunal, quicquam Juris habere Regem Angliæ in ordinem cogendi: multò minùs edititios aliquot Judices Inferioris Senaculi, ejuſdémque proculcati, Autoritate larvatos. Quin proferant ſaltem Autoritatem hanc ſuam* denuo monet, *nec ſe Defenſioni ſuæ defuturum. Sibi quippe idem eſſe flagitii, Tyrannicæ poteſtati cedere, ac Legitimæ obviti.* Sæpe Orationis filum interrumpente *Præſide*, & tandem ad Cuſtodiam abripi Captivum imperante.

Secundò tertióque Rex ſiſtitur.

Jam ſecundò tertióque ſiſtitur ad *Vulgi* Tribunal *Regum* Optimus, ubi *Præſes* Eum de Crimine poſtulat, mandátque *ut Articulis objectis reſpondeat, niſi Capitalem audire mallet ſententiam. Rex* autem conſtanter *de Autoritate Fori iſtius* percontatur: *Minoris æſtimari à ſe Vitam* ait *quàm Honorem, Conſcientiam, Legis, Populi Libertatem; quæ ſimul omnia nè pereant, graves ſubeſſe Rationes*

quare

*quare Defensionem suam apud istos Judices prosequi, novámque Judicii formam agnoscere, non liceret. Tribunal siquidem in Regem erigendi, quæ unquam potestas Subditis aut quibus Legibus concessa? Non utique Divinus; quippe quæ obsequium è contrario Principibus præcipiunt: non Humanis, nec Gentilitiis nostris; cùm Leges Angliæ Postulationes omnes Regis nomine fieri jubeant, nec ullam Judicandi potestatem vel in Subditorum abjectissimum Senaculo Inferiori seu Communium indulgeant. Nec denique profluxisse id potestatis ab autoritate quæ fingi potest extraordinaria à Populo delegata; cùm nè decimum quidem quemque (*millesimum potuisset dicere*) hac in causa rogaveritis.*

Rationes adversus Curiæ autoritatem allaturum.

Præses indentidem, ut priùs, interrumpens orationem, nunc porrò insolentiùs increpat, *sortisque suæ memorem esse* jubet: *Curiæ jus suum abunde constare* asserit; *nec audiendas à Curia Rationes ullas quæ suæ Autoritati detractum irent. At quænam,* inquit *Rex, aut ubi gentium est illa Curia in qua nullus est Rationi locus? Imo* (subjicit *Præses*) *ipsam hanc esse istiusmodi sentiet.* At instat *Rex, ut saltem in scriptis permittant Rationes exhiberi, quibus satis si fecerint, se jurisdictioni cessurum.* Hic pernegare non contentus, insuper excandescens *Præses, abripi Captivum* jubet, nihil aliud ad ista regerentem quàm, *Memineritis Regem esse vestrum cui aures avertitis: frustrà sanè Subditi mei Jus à vobis expectaverint, qui Regi vestro causam acturo aures obturatis.*

Præses intercipit, increpatque.

Rex jam quartò ad *Justitiæ* (dicam, an *Injustitiæ?*) Forum accersitur; ubi *Præses* ostro refulgens, *Regis* contumaciam acerrimè perstringit, longanimitate Fori ubertim collaudatâ. Jubet *ut jam tandem Curiæ se submittat, aliàs Capitis sententiam auditurum. Rex* verò coram iis causam dicere constanter recusat; *habere autem se nonnulla ad Rem Populi Pacémque Regni spectantia, qua coram utriusque Ordinis Senatoribus expromendi libertatem desiderat.*

Rex quarta vice sistitur. Recusat iterum se Autoritati Tribunalis istius submittere. Copiam poscit Senatores utriusque Confessûs conveniendi.

deſiderat. Illi verò nè hanc quidem ipſi gratiam, haud infimæ quidem ſortis hominibus negari ſolitam, concedere dignantur; *nè ſcilicet id cedat in moram & ſufflamen Juſtitiæ.* Ibi tum *Rex, ſubeundam potiùs unius aut alterius dieculæ moram, quàm præcipitandam ſententiam, perennes Regno Tragœdias infantibúſque nondum natis miſerias creaturam. Cunctandi occaſiones,* inquit, *ſi captarem, anxius conteſtatâ lite cauſam dicerem, quod tempori protrahendo & deformi ſententiæ pauliſper ſaltem remorandæ ſufficeret: Sed ità Legum Patriique Juris me Defenſorem geram, ut malim pro hiſce mori populi mei MARTYR, quàm iſtis ſub jure Gladii relictis libertatem qualemcunque meam aucupari. Loquendi autem breviſſimam hanc libertatem ideo poſtulo ante latam fœdam atrocémque ſententiam, quòd probè nôrim difficilius eam retractari poſſe quàm anteverti.*

Unus è Judicibus conſcientiâ tactus.

Unde aſſurgens ex *Judicibus* unus (*Tribunus* ſcilicet *Downius*) Conſcientiæ flagellis excitatus, (contra quod inter *Judices* privatim convenerat) petit *ut de hoc Propoſito privatim diſceptent.* Quod etſi *Præſidem, Cromwellium* & cæteros pleroſque vehementer ureret, tamen nè publicè inter ſe digladiari viderentur, ſecedunt omnes in *Cameram* propinquam; ubi *Downio* dicteriis & ſcommatibus probè mulctato, minis etiam non levibus intentatis, mirè conſentientes in *Curiam* revertuntur.

Præſes concepta oratione præludit Sententiæ.

Eâ quâ cœperat immanitate pergit ad Sententiam *Præſes*; præmiſſa oratione contumaciam *Regis* & criminis atrocitatem exaggerat; *Parlamentariam* aſtruit Autoritatem, prolatis in medium exemplis, tum domeſticis tum exteris, (præſertim è *Scotia*, quàm ritè ipſi viderint) quibus *Populus* in *Reges* animadverterat; *Nor minorem eſſe Populi Anglicani in ſuum Regem potentiam* aſſerit; *majorem quàm aliorum omnium eſſe Regis reatum, utpote qui* (*juxta Caligulæ votum*) *totius*

totius Regni jugulum præcidere tentâsset, Bello adversus Parlamentum intentato: jubet proinde legi Sententiam sub hac formula, *Quoniam CAROLUS STUARTUS à Populo postulatus fuerit Tyrannidis, Perduellionis, Homicidii & Administrationis malè gestæ, nec pro se quicquam responderit, Contumaciæ denuò juxtà ac objectorum Criminum reus, prædictus CAROLUS STUARTUS neci adjudicator, Caput à Corpore sejungendo.* *Capitalem sententiam legi jubet.*

Quâ pronunciatâ, qui aderant *Judices* sexaginta septem, (cæteris (inter quos *Fairfaxius*) ob horrorem sceleris interesse non sustinentibus) invitante *Præside*, (prout privatim decretum erat) assurgunt in Sententiæ comprobationem, quasi audacissimi Facinoris conscientiâ elati. *Judices quotcunque aderant assurgunt in comprobationem Sententiæ.*

Abripitur indè *Sacra Majestas* à militibus illudenda in atrocissimi Parricidii proœmium, (ut plurima *Christo* suo simillima pateretur;) qui positâ omni *Regii* nominis Reverentiâ, quasi Triumphos de Captivo agerent, immani Barbarie (ut initio *Justitiam, Justitiam*, ità jam) *Executionem, Executionem* (instigante *Petro* isto prædicto) sicut olim *Judæi Crucem, Crucem*, vociferantur; prætereuntis vestimenta conspuunt; unus aut alter (quod pluribus præsentibus *Tribunus* è numero *Judicum* referebat, ludatâ militum fortitudine, & plures cum horore intuebantur) venerandos vultus salivâ conspurcat; *Nicotianæ* nidorem (quem *Regi* gravem esse nôrant) in os sacrum eructant, tubulorum frustis præ pedibus obambulanti projectis; aliis etiam inhumanitatem imperant, nutu vel pileo prætereuntem salutantes pugnis fustibúsque mulctant; imò quendam paulò humaniorem, & illud, *Misereatur Deus*, ingemiscentem, ictu prosternunt exanimem: ingerentes sese conclavi, nec interdiu noctúve solitudine, aut privato suo vel *Sacellani* consortio frui permittunt; ac cùm unius, (Episcopi scilicet *Londinensis*) idque ægrè, indulserant accessum, cachinnis Sacra Ritu *Anglicano* *Regem abripiunt milite: ludunt, & immaniter tractant.*

peragentem prosequuntur, mordacibus dicteriis frivolisque distinentes quæstiunculis perturbant ad extrema se parantem.

Magnanimiter & prudenter se gerit Regia Majestas.

Ille verò magnâ animi præsentiâ ad propè astantes conversus dum *Justitiam* & *Executionem* reboarent milites, *Miserias animas!* inquit, *idem adversum Duces suos exigui æris pretio conducti agerent.* Dum sputa exciperet abstergens, *Christus*, inquiebat, *mei gratiâ plura passus est.* Ductores Exercitûs, milites, aliósque importunos Catabaptistas, qui suis argutiolis & disputationibus tentatum venerant, tam validis in causam suam allatis argumentis repressit, ut ora plerisque obturaverit. Scommata & ludibria facili contemptu dissimulans, Petulantiam negligendo elusit. Imò in his temporis angustiis, & inter hanc militum obstrepentium barbariem, (animo semper ad Religionem composito) Confessioni peccatorum, Condonationi hostium, *Eucharistiæ Sacramento* suscipiendo, Lectioni sacræ, Piis Colloquiis incumbendo, omnibûsque Pietatis Officiis fungendo, inter hominum odia Divino velificatur favori, Mortísque terrores antequam ingruerent propulsat superátque.

Ad extrema obeunda se parat.

Consulitur inter Judices privatim ante publicatam Sententiam, de genere, modo & tempore ejus infligendæ.

Dum ista publicè & populi sub aspectu geruntur, *Judices* interea editicii, privatis habitis conciliabulis, quas quisque partes sustineret, quibus verbis & gestibus uti deberent, statuunt; de tempore, loco, genere, totâque necis infligendæ solennitate consilium ineunt: ubi (ut & ante sententiam) quæ fœda mortis genera, ex ludibrio, pro odio & sævitia cujusque ingenii, damnato *Cæsari* irroganda proposita fuerint, pudet referre, utcunque à fide dignissimis recepta. Quidam palo Caput & Membra transfigenda (quod Perduellibus fit, duraturâ post mortem ignominiâ) rogant; nonnulli laqueo suffocandum, Homicidarum & Latronum ritu, mussitant; Diademate redimitum & Insignibus indutum, pro monumento

Populi

Populi ſupra *Reges* potentis alii plectendum volunt. Tandem ſatis eſſe cenſent, ut Securi percutiatur ſuper contabulationem hunc in finem compaginandam præ *Baſilicæ Albæ* foribus, juxta *Regium Cœnaculum*, ut indidem ubi Solium aſcendere conſueverat, & Sacræ *Majeſtatis* oſtentare pompam tranſiret ad Funebre ſuggeſtum, & exuvias *Majeſtatis* poneret ubi induerat *Inſignia*. Hic Triumphus, hæc tropliæa ovantis vindictæ. Et quoniam inaudiverant nolle *Regem* cervicem ſubmittere Securi ſubditorum, uncis ferreiſque retinaculis amari pegma jubent, ad Caput manúſque, modò reniteretur, revinciendas.

Non tamen prætereundum eſt, inter iſta mortis præludia, Milites quoſdam die ſupremum antecedente Propoſitiones obtuliſſe; quibus ſi tandem ſubſcriberet, vitæ nominiſque *Regii* gratiam ſe præſtituros pollicebantur. Quas (unâ vel alterâ auditâ) rejicit, inquiens, *Mille mortes mihi ſubire patius erit, quàm ſic meum Honorem, ſic Populi Libertatem proſtituere.* *Propoſitiones quibus conceſſis vitæ gratia promittitur, exhibentur.*

Et (nè vel minimum hujus integritatis intactum prætermittatur) *Liberis* extremum Vale dicendi copia conceditur; *Filiæ* nempe *Elizabethæ*, undecim annorum, & *Duci Gloceſtriæ* novenni. Illi *Rex* dedit in mandatis, ut *Reginæ* ſe commendaret, & Amorem Conjugalem ab ea nunquam evagatum ediceret; juberet ſuo nomine *Principem* (ſi Deo placuerit in Solium evehere) hoſtibus ignoſcere, nec eos acriter pro merito inſectari. Fratrem natu ſecundum (*Ducem Eboracenſem*, qui ſubduxerat ſe pridem *Parlamentariâ* cuſtodiâ) *Principi* morem gerere jubet; & obedire utrumque *Matri*, omnia illi obſequii & pietatis officia deferre. *Ipſam* hortatur ut in *Religione* quam ſuſceperat conſtanter perſeveraret; lectioni incumberet *Hookeri Eccleſiaſticæ Politiæ*, *Concionum*que Epiſcopi *Wintonienſis*, & *Controverſiarum Laudi* adverſus *Fiſherum*. *Valedicere Soboli permiſſum eſt.* *Quid illis Rex dedit in mandatis.*

Ducem Gloceſtriæ monet, *Milites velle ſibi præcidere caput, & fortè*, inquit, *in Regium faſtigium te promovebunt; noli verò tu in facinus conſentire, viventibus Fratribus ñatu majoribus.* Cui reſpondet *Filius* (*Patrem* intuitus fixis oculis) *Minimè, priùs patiar me infeſtis Equis divulſum iri.*

Rex ad Supplicii locum deducitur.

Dies fatalis illuxerat, cùm *Rex* (obfirmato adverſus Mortem per Innocentiam & Pietatem Pectore) exceſſit è *Divi Jacobi* Baſilica (jam Carcere Regio) per Vivarium iter pedeſtre quingentorum paſſuum faciens, alacri, tanquam ad Venationem, vultu: ubi cunctabundos milites & bipenniferos hortatus eſt ſæpius, ut gradu pergerent citatiori, admonens *ſe jam illis præcedere, luctam de Cœleſti Corona ſubiturum minori ſolicitudine quàm ſæpe ſuos duxerat milites pro Terreno præliaturus Diademate.*

In Cœnaculum inductus, horæ ſpacio precibus vacat, ut cum *Deo* jam Animæ negotio perfunctus, vacuum aliquod relinqueret moriendi ſpatium cum milite tranſigendum. Indè prodeunti in pegma pullis horridum ſtratis, larvati Carnifices occurſant, truncus & ſecuris objiciuntur; nec tamen ità territant, quin majorem præ ſe ferret *Viventium* curam quàm *Moriendi* ſolicitudinem: circumſpiciens enim *populum* (quem ſepta denſatæque Equitum turmæ procul arcebant) vidénſque ſe ab eo exaudiri non poſſe, prætermiſſâ (uti probabile eſt) quâ turbam compellare decreverat Oratione, ad *Tribunos* reliquoſque *Regicidii* miniſtros converſus, eos hiſce verbis affatus eſt.

Tribunos reliquoſque Regicidii miniſtros alloquitur.

Nihil vobis coram jam dicerem, niſi Silentium meum in reatûs argumentum traherent nonnulli, Méque exiſtimarent eâ Conſcientiâ crimina exprobrata in me admittere, quâ Patientiâ pœnæ ſuccumbo.

Tuetur innocentiam.

Innocentiæ meæ teſtem Deum invoco, præ cujus Tribunali brevi ſiſtendus ſum, mihi nunquam in mentem veniſſe juſta Parlamenti Privilegia imminuere, nequ

priùs

priùs Exercitum conscripsisse quàm Isti hostiles in me copias parâssent; quod è Cœptorum utrinque ordine, & Diplomatum Programmatumque fastis inquirenti liquidò constabit.

Interim agnosco & demississimè amplector Justitiam Divinam, quæ per iniquam hodie sententiam justum mihi inflixit supplicium, quòd olim innocentem virum (Hiberniæ Pro-Regem intelligebat*) liberare noluerim, cum iniquissimo Decreto opprimeretur.* *Dei tamen Justitiam agnoscit.*

Quâ charitate sævientes in Me Hostes amplector, testem habeo virum hunc probum, (digito in Episcopum *Londinensem* intento:) *veniam hisce omnibus intimis ex præcordiis indulgeo, Deúmque misericordiarum obnixe veneror, ut seriam iis respipiscentiam largiri dignetur, & remittat hoc Facinus.* *Hostibus dat veniam.*

Neque tamen dum spiritum hunc evanidum traho, non de Regni mei Pace solicitus esse, cui penès Me non est impræsentiarum rectiùs ut consulam, quàm designando semitam & à qua latè deviatum est, & quâ vobis Militibus ad bonam frugem Pacémque redeundum sit. *Regnimine non feretur.*

In eo vos conspicor miserrimè devios, quòd Gladii titulo, absque omni vel umbra Juris, Imperium arripiendum censeatis, Regnúmque non autoritate Legum, sed Victoriæ nomine stabilire annitamini, cui nihil Juris accrescere unquam poterit, nisi Causa & Tuba Belli justa præcinuerit, nempe vel ob injurias propulsandas, vel ob jus recuperandum. Quòd si Successus lætiores ultra castos æqui bonique limites provexerint victores, nihil obstat quò minùs Regna quæ instituuntur magna Latrocinia & sint & audiant; quod olim Alexandro Piratum objecisse legitur. *Errores Factiosorum redarguit.*

Cæterùm non aliâ ratione deviantibus licet in rectum Pacis tramitem reverti, non alio (mihi credite) consilio Divinam Iram averti posse spes est, quàm Deo, Regi, Populo, quæ sua cujusque sunt restituendo. Deo quæ sua sunt, purum nempe ejus Cultum, & Ecclesiam ritè ordinatam ad Verbi Divini præscriptum redintegrando; quæ diu convulsa & labefactata miserè *Ad Pacem quomodo reverti possint docet.*

jacuit. Hoc autem commodiſſimè præſtabit Synodus Nationalis ritè convocata, liberéque definiens. Regi (Succeſſori ſcilicet meo) Jus in integrum ſiet, ſi ea reponatis quæ Legum ipſarum clarâ voce indicuntur. Populo denique ſua Jura & veram Libertatem aſſeretis, non illum in Solii Conſeſſum & Sceptri Regimen evehendo, ſed Legibus ſuam conciliando Autoritatem & Populi obſequia; quibus per enorme Gladii imperium abrogandis ut aſſentirer cùm nullâ ratione adduci potuerim, huc perductus ſum pro Populo meo Martyrium ſubiturus.

Sic extremo ſpiritu mitiſſimam in orationem leniter effuſo, ſuggerit *Epiſcopus Londinenſis*, ut, ſi ità viſum Sereniſſimæ *Majeſtati* fuerit, de Religione quid ſentiret palàm profiteretur; non quòd ulli mortalium ſuſpecta eſſet, cujus ipſe ſemper toto vitæ ſpatio clara indicia dederat, ſed ut Populo & Conſuetudini ſatisfieret.

Chriſtianum ſe mori profitetur juxta Reformationem Anglicanam.

Ad hæc *Rex*, ſe *Fidei ſuæ teſtimonium penès illum bonum virum* (Epiſcopum volebat) *depoſuiſſe*; *aut etiam hac ex parte ab omnibus defenſionem expectare quibus Vita & Profeſſio ſua perſpecta fuiſſet, utpote qui morior*, inquit, *in Fide Chriſtiana juxta Eccleſiæ Anglicanæ Profeſſionem, ſicuti mihi eandem tradidit Beatiſſimæ memoriæ Pater.*

Denique *Tribunos* circumſpiciens, *Deo*, inquit, *Clementiſſimo Cauſâque juſtiſſimâ fretus, Coronam hanc corruptibilem alterâ immarceſſibili Me protinus commutaturum & confido & geſtio, Méque in Regnum aliud emigraturum ab omni motu penitus privum liberúmque.*

Capite plectitur:

Indè versâ in precatiunculam oratione, ad truncum tanquam ad orandi pluteum ſe devolvens, generoſas Cervices Deo humillimè demiſit à larvato Carnifice amputandas. Quod repentè factum eſt, unico ictu, ſed fortiori, impreſſo. Sic cecidit CAROLUS; ſic ſimul *Britannia* decus & animam exhalavit.

Neque

Neque ſatis ducunt in vivum fæviiſſe: ſondant Securi percuſſum *Corpus*; Cruore manus abluunt, & baculos incingunt; Truncum in Segmenta diſciſſum & arenam ſubjacentem Sanguine imbutam licitantur; Capillos etiam venum exponunt. Quæ omnia in diſpares uſus coemebant *Spectatores*: Hi, quaſi chara Pignora, & Reliquias *Principis* quem deperibant; illi, nè Scrophularum curæ (quo *Reges* noſtri privilegio gaudere creduntur) remedium deficeret; multi autem, ut manubias haberent & exuvias hoſtis quas ovantes oſtentarent. *Cromwellium* (quò ad extremum uſque hoc ſpectaculo ſatiaret oculos) Cadaver, aperto loculo quo intra Baſilicam è pegmate delatum eſt, curiosè inſpectâſſe, digitis Caput à Cervice revellendo, audivimus à præſentibus. *Immanis in demortuum barbaries. In Corpus.*

Corpus poſtea exenterandum tradunt *Medicaſtro* cuidam nebuloni, & *Chirurgis* Caſtrenſibus (abactis propriis adminiſtris) *Regio* nomini infenſiſſimis; quibus in mandatis erat *inquirere ſedulò* (hoc ipſis perinde erat ac ſi pronunciare juberentur) *an non morbo Aphrodiſio laboraret, vel Frigiditatis indicijs*; indè captaturi Infamiæ vel Sibi vel Poſteris inurendæ occaſionem. Verùm id Sceleris in ovo (quod aiunt) oppreſſit honeſti pectoris *Medicus*, qui Corporis diſſectioni ſeſe ingerens, præſentiæ ſuæ reverentiâ & autoritate diſtinuit. Quin idem quoque, Fata Illum ad porrectius ævum quàm cæteros mortalium genuiſſe, retulit; ut utrumque aſpicientibus, Corporis juxtà ac Animi, mirandum fere ad pondus temperamentum, pro comperto jam habitum ſit.

Imò ut ad ſummum livoris apicem ſævitiam intenderent, non minùs dubitant *Regis* quoque *Animam* eâdem cæde obruere, Infernique flammis devovere tam ex facili, quàm ſuos omnes *Sanctorum* Albo ſolent inſcribere. *In Animam.*

Memoriam etiam apud homines denigrare ſatagunt. Statuam ipſius quæ ſteterat ſupra *D. Pauli* *In Famam & memoriam apud poſteros.*

Templi Porticum, & etiam quæ in *Mercatorum Periſtylio Londini* collocabatur inter Prædeceſſorum Imagines, deturbari jubent, loco vacuo inſcriptis hiſce verbis, *Exit Tyrannus Regum ultimus*, falſiſſimo non minus augurio quàm Crimine. Conductitio calamo *Scribæ* cujuſdam filii, è vappo Pædagogo in novitium *Secretarium* recocti, utuntur, qui natus ad Satyras & Scommata, cœno ſpurciſſimo oblitâ linguâ, Εἰκονοκλασίαν adornaret, & gliſcente livido ingenio, fallaciis & offuciis *Regicidium* approbaret contra *Salmaſium*.

Omnia Regis Scripta abripiunt, nè quid prodeat in publicum.

Ab *Epiſcopo Londinenſi* diu Cuſtodiâ detento Chartas quas tradiderat *Regia Majeſtas* abripiunt, capſuliſque & veſtimentis excuſſis, omnes angulos rimantur nè quid Chartæ *Regiâ* manu exaratæ in vulgus emanaret; multíſque profectò eximiis Pietatis & Prudentiæ monumentis mulctârunt humanum genus.

Liber verò Meditationum Regiarum Aurem in lucem prodit.

Summâ tamen *Dei Optimi Maximi* Providentiâ, ad horum invidiam exacerbandam, & in immenſæ Virtutis *Regiæ* teſtimonium, MEDITATIONUM ſive SOLILOQUIORUM Volumen è tenebris emerſit, Opus poſthumum; cujus ſiquis Materiæ pondus, Styli nitorem, Rationis nervos, ardorémque Pietatis, æquâ lance penſitet, *Regnum* inter Scriptores illum promeruiſſe vel cum ipſa fatebitur invidia, & quæ mens Dominium Civile auſu nefando extorſit, reddet Literarium.

Ingens Populi mœſtitia.

Nemo *Regum*, non *Britannicorum* modò, ſed & omnium quotquot uſquam Solio inſederant, majore cum luctu & deſiderio terras reliquit. Mortis etenim rumore per *Angliam* ſparſo, *Mulieres* abortum pati, in Spaſmum, Leipothymiam & Melancholiam *Viri Mulieréſque* incidere, imò quidam repentinâ conſternatione expirare; Suggeſtum *Concionatorium* paſſim gemitibus perſonare, iiſdem vano luctu ſublatum proſequentibus,

bus, quibus dum vixit, propter opinionis dissensum in *Regimine Ecclesiastico*, parùm gratus erat. Etiam *Pueruli* (quibus ista non solent esse curæ) in lacrymas effusi solatium ægrè admiserunt. Omnis sortis, & ferè *Sectarum* omnium homines, laudibus extulerunt, *Jobo*, *Davidi*, *Solomoni*, *Patientiâ*, *Pietate*, *Prudentiâ* comparârunt. Nec sanè facile mihi est non hîc immittere rudentes, non vela pandere, totóque ingenio vehi per *Virtutum* ipsius Oceanum; quanquam hâc mihi licentiâ compendii, cui jam incumbitur, ratio interdicat. Paucis itaq; iisdémque perobscuris radiis hunc Solem ostendam.

Princeps sanè erat inter Optimos omnis retrò ævi *Principes* numerandus; magnâ Ingenii vi, majoribus Morum dotibus; omnium suffragiis (vel inimicissimorum) *dignus Imperio*, *si non imperâsset*: Qui omnium confessione illud magnum præstitit, quòd Idem ubique fuerit, quòd eundem Virtutis & Morum tenorem, eundem vultum tenere in diversissimis (quas expertus est) fortunis nôsset; quasi è Torrida in Frigidam transmigraret Zonam, nil ad quicquam mutato Pectoris temperamento. Qui vel invitis placuit, & quasi incantamento quodam multorum odia lenivit, Hostes in amicitiam conciliavit, Convitia in laudes convertit. Qui tantâ Prudentiâ, tot heroicis planè Virtutibus præpolluit, ut clariùs per opprobria & Calumnias emicuerit. *Character idem or ni* Regis.

Quem mentis inopem finxerant hostes, experti sunt non Politicis modò sed & Theologis selectissimis parem, si non & superiorem: Quem timidum & ad omnia facilem, fluxæ fidei & mulicbris inconstantiæ infamârant, eundem in Præliis milite promptiorem, minis, probris, periculis interitum, Carcere & Morte senserunt inconcussum: Quem *Pontificium* affirmârant, *Reformatam Apostolicam Religionem* Scriptis viderunt nervosè confirmantem, nec fuso tantùm Atramento, sed

ſed & Sanguine vindicantem. Qui eum ut ſanguinarium & ſævum proſciderant, ad eam calumniandi licentiam ſolâ Regis Clementiâ perducti proceſſerunt, ad quam facilem nimis receptum ſibi promiſerant Rebelles, donec ultra veniæ metas aſpirante fortunâ evecti, mallent tantæ Clementiæ *Principi* veniam negare, quam eandem ab eo jam exarmato petere.

Cui ſi reverâ quid objici poteſt, næ illud fuerit non eximii *Principis* vitium aliquod, ſed corruptiſſimi ſeculi, & alieni temporis, intempeſtiva quædam & noxia virtus, nimia ſcilicet apud ſævos *Lenitas*, apud prava ingenia *Candor*, rigidúmque *Honeſtum* vix *Regibus* conceſſum, ac *Verecundia* ſuis diffiſa viribus, animúſque tantopere à Faſtu alienus, ut minus ſibi tribuerit in optimis conſultis quàm aliis in minùs bonis, quaſi inimicorum de ſe convitiis crederet.

Magnum vivendi, majus moriendi exemplum; quem, eâdem quâ Virtus ipſa ſorte, indignis modis habitum,

——— *Incolumem odimus,*
Sublatum ex oculis quærimus invidi.

Impunè grassantur Novatores in aliorum Capita & Poſſeſſiones.

Magno jam *Legum* vindice ſublato, ſolutâq; *Regiminis* compage, omnia Gubernationis fundamenta ſubbertere *Novatores*, jura pro libitu proculcare. *CAROLUM SECUNDUM Regem, CAROLI STUARTI* titulo, & *Ducem Eboracenſem*, Capite plectendos ubicunque deprehendi contigit ſtatuunt. Confeſtim ſub *læſæ Majeſtatis* periculo edicitur, *nè quis CAROLUM Secundum, Principem Walliæ, Regem pronunciet*: & quaſi parùm hoc eſſet, *nè quis Deum comprecetur pro ſalute CAROLI Secundi ſub nomine Principis, aut Scotiæ Regis, aut primogeniti Regii*; *vel pro ſalute Ducis Eboracenſis, vel è Regia Sobole cujuſpiam, idque periculo Sequeſtri.*

Prohibent nè quis CAROLUM Secundum *Regem appellet, vel pro ejuſdem vel fratris ſalute Deum comprecetur.*

Monar-

Monarchiâ abrogatâ, nec non *Dynaſtarum* ſive Superioris *Senatûs Conſeſſu: Illâ* prætextu *Sumptuum, Inutilitatis* & *Periculi, Hoc* verò *Inutilitatis* cum *Periculo* conjunctæ; *Angliæ* Imperium vetuſtiſſimum in *Popularem Statum* jubent immutari: Decretúmque hoc *Prætorem Londini* promulgare renuentem, officio privatum, mulctâ bis mille Librarum irrogatâ, in Turrim conjiciunt; quòd id Facinoris *non ad Prætoris, ſed Vicecomitis munus pertinere* cauſaretur, diceretque *ſibi id per Conſcientiam, tot Juramentorum nexubus obſtrictam, non licere.* In hujus locum ſurrogatur è veſtigio bardus homo è *Regius Judicibus*; abrogato (nè hujuſmodi ſcrupuli conſcientia alios in poſterum à capeſſendis juſſis deterreret) Juramento, quod quicunque publicis muniis initiantur *Regiæ Majeſtati* per Leges præſtare tenentur. *Concilium Commune*, (ut vocamus) quod ex opulentioribus gravioribúſque Civibus conſtare ſolebat, ut & *Senatores* complures, ſedibus exturbant; prætextu à ſubſcripta ſuperiori anno Petitione, quâ *Perſonale cum Rege Colloquium petebatur*, (invitante *Parlamenti* majore parte) ſumpto: ſuffectis horum in locum abjectis, proletariis, & viliſſimi furſuris homuncionibus, multis ætate admodum juvenili, pleriſque autem fortunâ decrepitâ. Alios, qui novo *Prætori* operam navare, & Decretum de *Monarchia* abolenda promulganti aſtare renuerant, *Procuratorem, Scribam, Civitatis Adminiſtros*, exigunt Officiis, novis & Factioni ſuæ addictis hominibus ſuperinductis; quibus cæteros Municipes ducentibus, in poſterum *Londini* Civitas ſine mora *Pſeudo-Parlamenti* juſſa capeſſeret. Leges priſcas omnes adverſus *Sectas* & *Schiſmata* latas unâ rogatione reſcindunt. *Concionatores* & *Eccleſiæ Miniſtros* Reditibus promiſſis (*Decanorum* ſcilicet Fundis) exuunt. *Decimarum* etiam onere ſe tenellas Conſcientias exempturos profitentur; nonnullis millibus annuatim à *Regio* Cenſu in *Concionatorum* mercedem attributis,

Sublato Monarchâ, ſtatim & Monarchiam jugulant; Senatoriam quoque Procerum auctoritatem abrogant. Prætorem Londini à faſtigio detrudunt.

Senatum quoque Civitatis immutant.

Leges adverſus Hæreſes & Sectas à reſcindunt.

Concionatores Regis reli.ibus ſibi devinciunt. Recalcitrantes multant.

tributis, unde ex arbitrio *Oligarchicorum* penderent, & in *Monarchiam* conſpirare conductis mutuo operis *ex officio* tandem cogerentur. Imò de *Templorum* januis ad tempus occludendis, & *Presbyterorum* licentia coercenda, deliberatum: Sed mitioribus Conſiliis vincentibus, ſqualore carceris quibuſdam maceratis, & Capitis ſententiâ perterrefactis; jubentur omnes ſub pœna Sequeſtri ab Invectivis abſtinère, in diebus Feſtis & Jejuniis celebrandis, ut & aliis quibuſcunque *Oligarchicorum* Placitis circa *Res Eccleſiaſticas* operam commodare. Demoliuntur Inſignia Statuáſque *Regias* locis eminentioribus locata, ſuis ſubſtitutis. Monetam de novo cudunt imagine inſigniorum *Crucis* & *Citharæ Angliæ* & *Hiberniæ*. Uno verbo, *Regalia* omnia quæ quaſi ſequeſtro priùs arrogata uſurpârunt, jam jure tanquam ſuo & pleno dominio invadunt.

Nulli parcendi.

Dehinc nullâ habitâ Honeſti aut Iniqui ratione, nulli Sexui, nulli hominum Ordini parcitur. *Regia Soboles* quæ in *Anglia* commorabatur, (*Elizabetha* filia & *Henricus Gloceſtriæ Dux*, raræ Indolis & Ingenii *Principes*) modis pluribus malè mulctatur. Inter *Parricidas* haud ſemel deliberatum eſt, annon præſtaret *Eam* Artificii alicujus ediſcendi gratiâ elocare, quò ſuo labore viveret, quàm Reipublicæ diſpendio deſidem educare. A miti tutela *Comitis N.* ſeveriori diſciplinæ alterius addicitur, mandato adjecto (ubi non opus erat) nè *Regiæ* inſtar *Prolis* exciperetur: poſtea in *Vectim* inſulam relegata, Caſtello *Cæſaris-burgi*, ſub cuſtodia *Mildmaii* cujuſdam, inſulſi morionis, & Regiæ Familiæ hoſtis infenſiſſimi, compingitur; ut Illa, *Paternæ* Incarcerationis & Cædis refricatâ memoriâ, pridem Phthiſica, fato citiùs concederet. Cui Carcere, Mœrore & Morbo contabeſcenti medicam operam admovere inhumani Perduelles dedignantur, imò Medicum (cujus Ipſa obnixè rogaverat præſentiam) nè intereſſet officio perterrent.

rent. Eâ mortuâ *Gloceſtriæ Ducem* mittunt in Exilium, viatico (nè minimum humanitatis eorum memoriâ excidat) attributo quo mare in *Flandriam* tranſmitteret.

Comitiſſam *Carleolenſem*, indigniùs quàm pro Sexu & ſplendore nominis habitam, (quippe quæ ex benevola nimiùm, tandem adverſam ſe geſſerat) in *Turrim* conjiciunt. *Hamiltonium Ducem* ac *Hollandiæ Comitem*, (qui, cùm, ut propriæ conſulerent incolumitati, primi *Procerum* & præcipui *Novatorum* infeſtis conatibus contra *Regem* velificâſſent, jam ſerò reſipuerant) & inter *Regios* planè *Heroicum Baronem Capel*, (Primarium *Patriæ* juxtà ac *Regis* Vindicem) ejuſdem Præſidis *Bradſhawi* operâ, qui *Regio* Sanguine purpuratus cruori aliorum parcere dedicerat, conſimilis *Fori Judicio*, capite plectunt; proſcriptis quibuſcunque viſum iis eſt, exutiſque quantiſcunque libuit latifundiis & hæreditatibus. De Lege roganda diſceptatum eſt, quâ militibus, quemcunque aut malè conſulentem *Reipublicæ*, vel *Exercitui* inimicum ſemel crederent, eundem ſiſtere pro *Militari Conſilio*, & parem ſententiam irrogare liceret,

Quin & *Palatia Regia* & *Baſilicas*, ſtupendi Artificii monumenta, ſolo exæquari jubent; nè *Reges* in poſterum haberent quibus capita reconderent *Ædes*, vel Deus magnifica quibus coleretur *Templa*, aut Reſpublica quibus magnificentiam oſtentaret *Ædificia*. Vaſtatrices manus vix aut nè vix Templum *Paulinum Londini*, vel inter *Belgas Sarisburienſe* Templum, aut *Regia Hamptoniæ* Baſilica (quibuſcum vix habet *Europa* ſtructuras quæ certare, certè non ſuperare, poſſunt) evaſerunt.

Concilium quadraginta hominum conſtituitur, (quos, blando apud vulgus Elogio, *Pacis & Libertatis Cuſtodes & Conſervatores* appellant) penès quos omnes, vel eorum ad minimum ſaltem novem, *Concilio 40. hominum habenæ traduntur.*

novem, Administratio Reipublicæ constaret; quorum in Catalogum tres vel quatuor ex abjectissimis & Factioni *Democraticæ* mancipatis *Proceribus* ascribunt: quibus præficiunt, cum titulo *Domini Præsidentis*, eundem *Bradshawum*, duabus Librarum millibus in *Regicidii* mercedem annuatim attributis.

Subscriptio imperatur. Cæterùm omnibus imperatur subscriptio quæcunque contra *Regem Regnúmque Oligarchiti* conscíverant, comprobare tenerentur. Cui tamen cùm non pauci refragarentur, admittuntur nihilominus eâ lege, *ut de futuro quovis cum vitæ fortunarúmque periculo Novitium hunc Statum, & Pseudo-Parlamentum quo jam in loco esset, pro virili tuerentur.* Deinceps neminem Excluforum *Senatorum* vel dilapsorum in *Senaculum* admitti placuit, nisi subscripto nomine Facinora novissima comprobâsset. Omnibus tamen imperant ut *ad præscriptum diem compareant, ni aliis in ipsorum loca cooptatis, in perpetuum eliminari mallent.* Unde *nonnulli* metu Sequestri, & nescio cujus damni quod sibi imminere meticulosi vaticinabantur, *alii* spe lucri quod è Rebus novis captare possent, fœdo prævaricationis monumento, *Novatoribus* & *Oligarchicis* se adjungunt, & in consortium Periculi & Laboris, non autem *Imperii* admittuntur.

S. in Parmedis ædes invectus, Circa idem tempus unà conveniunt expulsi *Senatores* in Hospitio *Lincolnienſi*, quid porrò agendum in hoc rerum statu *S.* Jurisperitum consulturi. At ille promptè, *Legum* contra tenorem & justa, *Patriæ* mores & commoda, *Rationi*sque rectæ dictamina, nuperas factas esse conversiones philosophatur; nec sine *Perduellionis* reatu & horrendo crimine, commercii quicquam cum iis haberi posse rotundè pronunciat: & sanè multos *Senatorum* à consessu absterruit, qui nunquam postea cum *Regicidis* miscere consilia adduci potuerunt. Veruntamen, intra paucos dies, idem

mox transit in eorundem castra.

ille

ille *Parricidarum* Comitiis & conſiliis intimioribus primarium ſeſe immiſcet, utì & *Pacis cuſtodibus*, nec juſſa recuſat: neque *Communium Placitorum* ſupremum *Judicem* in Aula *Weſtmonaſterienſi* ab hiſce Viris ſe ſtatui detrectat, quem *Rex* honorifico *Advocati* ſui officio ante turbas exortas condecorârat.

Moliuntur iſta *Reipublicæ* quamprimùm inſtituendæ prætextu; ſed reverâ ſibiipſis *Imperii* muniendi animo: cui dum alii ferè Omnes fracti ſuccumbunt, *Democratici* ſoli reluctantur. Hi poſtulant ut toties repetita & toties promiſſa *Repræſentativa*, æqualibus *Populi* ſuffragiis eligenda, inſtituatur, ablegatis *Pſeudo-Parlamenti* jam proculcati reliquiis. Invehuntur Scriptis & Colloquiis in Arbitrariam *Oligarchicorum* Dominationem, *ſupremam Juſtitiæ Curiam*, *Concilium Statûs*, ſive *Cuſtodes Libertatis*, utpote *gravioris Tyrannidis mitiora* ſolùm *nomina*; imò *Regicidium* ceu *injuſtum & nullis Legibus vel juſtâ Autoritate ſuffultum* vociferantur; *Populum mutâſſe Jugum, non excuſſiſſe*; *malle ſe peſſimi Regis ſub Imperio decennium vivere, quàm ſub horum Dominio vel annum agere*; *Regis Caroli lumbos longè leviores fuiſſe quàm minimum iſtorum digitum.* (Ecce veritatis vim, quæ tales etiam ab invitis voces exprimit.) Tandem ad Arma convolant, & militibus gregariis, equitibus præſertim, qui pridem illis maximam partem conſenſerant, hinc indè excitatis, Exercitûs tandem in ſpeciem conglobari incipiunt.

Oligarchici verò non ſegnes occaſionum inceptis occurrunt, & *pactorum inter Honeſtos* (ſcilicet) *tadémque meditantes viros, ſed ſequiùs de ſe invicem opinantes, ineundorum* prætextu, corruptis & in ſuas partes pertractis horum aliquibus, ſubitâ impreſſione factâ cæteros fundunt, armis Captivos exuunt, & præcipuis turbarum Autoribus glandium imbre transfixis, aliiſque mitiùs punitis, cæteros terrent omnes, ne in poſterum mordaci veritate

Oligarchiæ ſtabiliendæ ſatagunt.

Democratici repugnant;

invehuntur.

Armis obnituntur.

Funduntur ab Oligarchicis.

veritate vel Armis audeant lacessere rerum potitos.

Edicto cautum nè quis Tyrannidis incuset. Solennes Ferias indicunt.

Jam securi Dominationis *Novatores* Edicto cavent, nè *quis se Tyrannidis insimulare, verbo vel scripto obmutire, vel quidvis moliri contrà audeat, sub pœna Perduellionis:* solennes Ferias indicunt, quibus *Deo* ob res contra *Democraticos* feliciter gestas publicæ gratiæ agantur, ut hoc pacto *Deo* illudentes, faciliùs obesæ naris *Plebi* de malis suis gaudia imponant. Eodémque die à *Prætore* Urbis & *Senatoribus* lauto Convivio, non sine Conviciis & Imprecationibus ferè omnium spectantium, excipiuntur; ubi inter miserias lacrymásque complurium Fame (quæ tum temporis grassabatur) pereuntium, opiparè tubuccinantur. *Fairfaxius* autem & *Cromwellius* splendida munera Aurea atque Argentea referunt. Et nè miselli *Cives* operam omnem & oleum in saginandis his Corvis perdidisse videantur, *Theriotrophium Regium, Novum* vulgò dictum, iis largiuntur, remunerandæ quidem nuperæ Magnificentiæ obtentu; sed reverâ, ut infruniti homines offæ hujus dulcedine deliniti, in partes suas pertraherentur, novóque bene vellent Imperio.

Ad Convivia à Civitate invitantur.

Quæ compensant.

Regiam Supellectilem, Palatia, &c. vendunt.

Abhinc nihil illis sacrum sanctúmve: *Regiæ* Supellectilem, Fundos, Palatia, Ecclesiæ reditus, qui scilicet ad *Decanos Præbendásque* spectabant, (adhuc intactos, & utriusque *Senaculi* suffragiis in usus *Cleri* novitii, sive Ministrorum *Presbyterianorum*, distribuendos) aut mutuò inter se dividunt, aut aliis levi pretio venundant: ut his Artibus & *Avaritiæ* propriæ consulerent, & alii complures eodem involuti reatu, Factioni suæ firmiùs adhærerent.

Nec satiati Reditibus *Regiis, Regineis, Ecclesiasticis*, Latifundiis *Dynastarum* & *Generosorum*, eorum scilicet qui seorsim ab iis sentientes potiorem longè *Regni* partem constituebant, (quæ omnia Sequestri nomine dudum invaserant) uti nec peculio bonisque

que omnium prædictorum, quæ diripuerant, infinitisque penè gazis, quas pro Reditibus redimendis & gratia redintegranda quotidie solvebant qui *Regi* nuper addicti erant; incredibilem Pecuniarum vim indies ex *Portoriis vectigalibus*, *Excisæ* (nomen olim *Angliæ* haud ferendum) titulo, corradunt: ut nihil dicam de subterraneis opum rivulis (*Dona* volo, & *Largitionis* quas propitiandis hisce lucrionibus officiorum *Candidati*, *Actores*, *Rei*, clàm marsupiis immittunt.) Quin & *Impositionum gravissimam* (nonaginta scilicet Librarum millia) in stipendia Militis otiosi singulis mensibus exigendo, toties detonsum populum deglubere non erubescunt.

Populum gravissimis Taxationibus onerant.

Imò nec jam unius *Regni* spoliis & *Imperio* contenti, *Hibernos*, *Regi* obtemperaturos, (quos, *Rebelles* dum essent, horum plurimi laudârunt, pauci certè hostiliter aggressi sunt) armis invadunt; certam sibi de iis Victoriam pollicentes; & *Hiberniâ* devictâ, *Scotiam*, & *Galliam*, utpote Factionibus laborantem, se facilè redacturos in ordinem sperant; jugúmque quo *Reges* terrarum *Plebem* opprimunt excussuros se, palàm gloriari horum plurimi non verentur. Nec sanè cuiquam constare potest ubi terminatura sit hujus Flagelli sævitia, ubi se fluctus iste franget, nisi *Divina Majestas* (quæ Mari fossam excavavit, & ei oppositi vectem & valvas, dicítque, *Hucusque venies, & nè procedito,*) opposuerit se tantorum fluctuum superbiæ, *Angelúmque* suum aliquando jusserit canere receptui.

Hiberniam invadunt;

totique terrarum Orbi minitantur.

Epilogus.

Historiolæ hujus primum autographum, dum sub manu crescceret, non semel inspexerunt *Georgius* Reverendissimus Episcopus *Wintonienſis*; *Nicolaus Oudartus*, dignissimus *Principi Auriacæ* nuper ab Epistolis & Secretis; Clarissimus *Johannes Wederburnius* Eques auratus, & *Richardus Owenus*; Hic *Theologiæ Professor*, & Ecclesiæ *Sancti Swithini* in civitate *Londino* Rector, Ille *Medicinæ*, olim *Caroli* Primi *Regis*, nunc *Jacobi Dacis Eboracenſis* Medicus; Clarissimus Doctor *Georgius Ent*, Londinensis Collegii Socius; & *Fabianus Philips* Leguleius, qui Rotulis, Archivis, & Legum monumentis evolvendis mecum operam navavit; (ut præteream *Dugdalum* qui typis impressit) Viri Exceptione majores. Blateret quantumlibet Surreptitium opus Thrasonicus obtrectator, cujus Calumnias non is sum qui metuere vel morari debeam.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS

In PART. I.

Styl. Vet.

MDCXXV. 1625.

Mortuo JACORO *succedit* CAROLUS *Primus* Britanniarum *Rex.* pag. 61 Mart. 27.

Henricæam Mariam *Ludovici* XIII. *Franci Sororem ducit.* Jun. 14.

MDCXXV, VI, VII, VIII. 1625. 26, 27, 28.

Rex Comitia ter indicit, totiésque, replerumque infectâ, dirimit. 16

MDCXXX. 1630.

CAROLUS *Princeps natus est.* Mai. 29.

MDCXXXIII. 1633.

Jacobus *Dux* Eboracensis *natus est.* Octob. 14.

1637. MDCXXXVII.

Jun. Pr. Burtonus, Baſtwicus, *auribus mutilati, carcere coercentur.* pag. 17
Jul. 23. Scoti *res novas moliuntur.* 18, 19

1639. MDCXXXIX.

Scotis *Angliam invadentibus, Rex occurrit: ſed pactis Articulis exercitum exauctorat.* 19

1640. MDCXL.

Apr. 13. Scotis *denuò tumultuantibus, Rex Parliamentum weſtmonaſterii indicit: ſed re infectâ dirimit.* ibid.
Mai. 5.
Aug. *Scoti itaque Angliam invadentes, Novum Caſtrum occupant: Rex contrà movet: ſed pactis Induciis,* Parlamentum *weſtmonaſterii indicit.* 19, 20
Nov. 3. *Conveniunt Ordines, qui Reformandi prætextu omnia miſcent.* 20
Nov. Dec. Thomas *Wentworthius* Straffordiæ *Comes, Hiberniæ Prorex, &* Guilhelmus Laud *Archiepiſcopus* Cantuarienſis *accuſantur.* ibid.

1641. MDCXLI.

Mai. 12. *Hiberniæ Prorex Lege latâ damnatus,* 22, 24. *capite plectitur.*
Mai. 10. *Rex etiam Lege latâ concedit,* Comitia ſine utriuſque Domûs conſenſu non abroganda. 27
Mai. 2. *Wilhelmus Naſſavius Henrici Friderici Principis* Arauſionenſis *filius Mariam Caroli Regis filiam ducit.* 31
Aug. *Scoti pecuniis onuſti in patriam recedunt: Rex in Scotiam ſequitur.* 28
Octo. 23. *Hiberni conjurati in Anglos arma diſtringunt, & crudeliter graſſantur.* 40, 41
Nov. 25. *Rex è Scotia Londinum redit.* 28

Re-

Remonstrantia *Inferioris Conſeſſus Regi oblata.* 29. Dec. 1.

MDCXLI, MDCXLII. 1642.

Rex quinque Plebeios, & è Proceribus unum læſæ Majeſtatis poſtulat. 30 Jan. 3.
Rex ipſe Senaculum Inferius ingreditur. ibid. Jan. 4.
Rex Londino ſe ſubducit. 31 Jan. 10.
Literas Pacificatorias ad Comitia mittit. ibid. Jan. 20.
Reginam in Belgium cum filia amandat. ibid. Febr. 23.
Ipſe verſus Eboracum tendit. ibid. Febr. 28.
Regi Hullam *venienti* Hothamus *portas præcludit.* 34 Apr. 23.
Leges Pacis iniquæ à Comitiis Regi proponuntur. 35 Jun. 2.
Comitiis Exercitum conſcribentibus, Rex tandem Vexillum *Regium Nottinghamiæ erigit.* 37,38,39 Jul. Aug. 22.
Signis collatis pugnatum eſt inter Keintoniam & Edge-hil, *victoriâ utrinque vendicatâ.* Oct. 23.

MDCXLIII. 1643.

Tractatus *Pacis* Oxonii *inſtitutus in nihilum cedit.* 36 Feb. Mar.
Comes Novo-caſtrenſis Fairfaxium Borealium *Rebellium Ductorem copiis exuit.* Apr. Jul. 13.
In Occidente *Wallerus Rebellium Ductor à Regiis* Jun. 30.
profligatur.
Rupertus *Comes Palatinus Rheni Briſtolium capit.* Jul. 27.
Mauritius *frater Exoniam.* Sept. 4.
Interea Rex ipſe Gloceſtriam *obſidione cingit.* Aug. 10.
Eſſexius *Comes Rebellium Dux Generalis Gloceſtriæ* Sept.
ſuppetias fert.
Redeunti Eſſexio *occurrit Rex; &* Newburiæ *ſignis* Sept. 20.
collatis pugnatum eſt.
Rebelles Angli in anguſtias redacti, Scotos in ſocietatem belli, inito Fœdere, *invitant.* 48,52 Jun. Sept. 25.
Rex itaque cum Hibernis Inducias *in annum paciſcitur.* 46 Sept. 15.

MDCXLIII, IV. 1644.

Jacobus Marchio Hamiltonius *in cuſtodiam datur.* 56 Jan. 3.

Jan. 16. *Scoti Angliam denuo ingrediuntur.* 53
Jan. 22. *Rex Parlamentum* Oxonii *habet.* ibid.
Comes Montisrosanus *Prorex in Scotiam mittitur.* 56
Mai. *Eſſ. & Wal. R. Ductores Oxonium verſus movent.*
Jun. 29. *Rex Wallerum ad Pontem* Cropredianum *fundit.*
Deinde Eſſexium verſus Occidentem longius progreſſum inſequitur.
Jul. *Scoti interea cum Anglis conjuncti Regios ad* Marſton-moram *fundunt.*
Eboracum deinde deditione capiunt.
Sept. 1, 2. *In* Occidente *Rex Eſſexium copiis omnibus exuit.*
Octo. 27. *Redeunti victori opponitur C. M. Reb. Ductor, & ad* Newburiam *iterum pugnatum eſt.*
Dec. 23. *Alexander Caræus capite plectitur.*

1645. MDCXLIV, V.

Jan. 1, 2. Hothami, *Pater & Filius, capite plectuntur.* 34, 49
Jan. 10. Guilhelmus Laud *Archiepiſcopus* Cantuarienſis *capite plectitur.* 49
Febr. 20. Macguirius *Baro Hibernus ſuſpendio perit.* 43
Feb. Tractatus *Pacis* Uxbrigiæ *inſtitutus in nihilum cedit.* 40
Jun. 14. *Tho. Fa. Senat. copiarum D. Generalis Regem in Agro* Naſebienſi *fundit fugátque.*
Exinde paulatim omnia in Rebellium poteſtatem redacta ſunt.

1646. MDCXLVI.

Apr. 27. *Rex, cùm Anglos fruſtra tentârat, Oxonio clàm recedens, in* Scotorum *manus ſe tradit.* 57
Mai. 5.
Jun. 24. *Fairfaxius Oxonium deditione capit.*
Sept. *Robertus Comes* Eſſexius *moritur.*

1647. MDCXLVI, VII.

Jan. 30. Scoti *Regem Anglis vendunt, & pecuniis onuſti recedunt.* 58
Febr. 16. *Rex in Palatio* Holdenby *arctæ coſtodiæ datur.* 59

Marchio

Marchio Ormondiæ, *Hiberniæ Prorex, Dubliniam Anglis tradit.* 47 Mart.
Exercitus Regem è custodia abripiunt. 72 Jun. 4.
Adversus Comitia signa movent. 74
utriusque Consessûs Oratores cum quinquaginta aliis Senatoribus ad Castra diffugiunt. ibid. Jul. 29.
Milites fugitivos Senatores Westmonasterium deducunt. ibid. Aug. 6.
Iniquæ Leges Pacis Regi Hamtoniæ proponuntur. 77 Sept. 7.
Rex in Vectim *Insulam se subducit.* 78 Nov. 11.
Inde Literas Pacificas mittenti, opponuntur quatuor Postulata Colloquio præludoria. 79 Dec. 24.
Rex in arctam custodiam detruditur. 81

MDCXLVII, VIII. 1648.

Comitia decernunt, Nullum cum Rege in posterum fore Commercium. 82,83 Jan. 17.
Premunt ubique Provinciales; Cantiani, *Essexienses,* *aliique arma movent.* 85,86 Mai. Jun.
Buckinghamiæ Dux cum Francisco fratre & Comite Hollandiæ incassum arma movent. 86 Jul. 5.
Classis in Caroli *Principis clientelam concedit.* ibid. Jul.
Scoti Hamiltonio Duce in Angliam irrumpunt. ibid. Jul.
A Cromwellio cæduntur, capto Hamiltonio Duce. 87,88 Aug. 17.
Colcestriam *Fairfaxius deditione capit.* 87 Aug. 28.
Rainsborius Senat. copiarum Ductor Doncastriæ cæsus. ibid. Octo. 29.
Colloquium cum Rege in Insula Vecti *instituitur.* 89,94 Sept. Oct.
Marchio Ormondiæ Prorex in Hiberniam redit. 47,94 Nov.
Remonstrantia *Iretoni in Concilio Castrensi approbatur.* 100 Nov. 16.
Et Comitiis nomine Exercitûs & Populi Anglicani exhibetur. 101 Nov. 20.
Rex ab Insula Vecti in Hurst Castellum abripitur. ibid. Dec. 1.
Comitia nihilominus decernunt, Regias Concessiones ideoneum esse Pacis stabiliendæ fundamentum. 102 Dec. 5.
Multi Senatores à Militibus Captivi abripiuntur. 103 Dec. 6, 7.

1649. MDCXLVIII, IX.

Jan. 4. *Reliqui ſciſcunt, inter alia inaudita,* Penès Populum poteſtatem omnem primitus reſidere. 104
Jan. 6. *Deinde,* Regem ipſum capite plectendum. 105
Jan. 20. *Rex itaque pro Tribunali ter ſiſtitur.* 109, 110
22, 23. *Rex quarto ſiſtitur,* 111. *& capitis damnatur.* 113
Jan. 27. CAROLUS *Regum Optimus immani ſcelere capite plectitur.* 118
Jan. 30.
Mar. 9. *Jacobus Dux* Hamiltonius, *Henricus* Hollandiæ *Comes, & generoſus Arthurus Baro* Capel *capite plectuntur.* 125
Mar. 17. Monarchia *denique ipſa à Regicidis abrogatur.* 123
Mai. 30. *Decretum à Pſeudo-Prætore Londinenſi promulgatur.* ibid.
Mai. *Democratici arma moventes fundunt.* 127
Jun. 7. *Solennes ob victoriam Feriæ indictæ, & Victoris Convivio à Londinenſibus excipiuntur.* 128

1650. MDCL.

Sept. 8. Elizabetha *Caroli Martyris filia in Carcere paterno moritur.* 124.

FINIS

ELENCHI

MOTUUM Nuperorum In *ANGLIA*

PARS SECUNDA:

Simul ac

REGIS Effugii Mirabilis è

Prælio *Wigorniæ* Enarratio.

AUTHORE

GEORCIO BATEO, M.D.

Regiæ Majestatis Protomedico,
& Collegii *Londinensis* Socio.

Æræ Christianæ Anno 1662.

Editio nova emendata.

LONDINI,

Typis *R. W.* pro *R. Royston*; & prostat venalis apud *J. Martyn*, *R. Chiswell*, & *B. Took*, 1676.

AUGUSTISSIMO

CAROLO SECUNDO,

MAGNÆ BRITANNIÆ,

FRANCIÆ & HIBERNIÆ

REGI,

DICAT DEDICATQUE

HOC OPUSCULUM

SERVORUM HUMILLIMUS,

GEORGIUS BATEUS.

EDWARDO

Comiti *CLARENDONII*

Vicecomiti *CORNBURII*,

Baroni de *HINDONO*,

ET

Magno *Angliæ* Cancellario, necon Florentissimæ *Oxonienſis* Academiæ.

PAtiare precor, Musarum decus, & Reipublicæ columen, *etiam nomini tuo hoc munuſculum inſcribere. Nec enim mihi circumſpicienti occurrit inſignior poſt* Regiam *ſtirpem Patronus, qui operi obſcuro & periculoſæ aleæ pleno tutelam ac lucem fœneraret Alius: Nempe qui tum harum felicium* Mutationum *fuiſti Inſtrumentum; tum rebus* mutatis, *Sereniſſimi* Regis *juſſu, velut* Hercules Atlanti *ſuccedaneus, ſuppoſuiſti humeros. Condat igitur ſub umbraculo tuo libellus, cujus Tu Argumenti magna ex parte conſcius es: Tanquam non alienus merito ad Te redit fructus operis; cui Egomet ſcribendo fuiſſem impar, niſi tuis auſpiciis fretum tua Schedæ aliqua ex parte inſtruxiſſent.*

Com-

Compendio fortè magìs Tibi placebit, qui rerum capita moneri contentus, ægrè feres longo sermone à Reipublicæ negotiis distrahi. Macte Regis *in decus* Populíque *salutem;* Illius *solium firmiùs stabilire, &* Hujus *munire libertatem: ut tandem vel Hostes leniti agnoscant se ultra vota beatos, ac inter ferreas Parricidarum lancinationes & aquas mitésque* Regis *Manus immane quantum interesse sentiant. Ità nuperæ rabiei pœnitebit* Anglos, *& Tibi congratulabuntur* Regiam Prærogativam *in tuto collocatam. Faxit Deus longè felicitérque vivas, & seræ posteritati mittas* Regis *Honorem,* Patriæ *commodum,* Ecclesiæ *pacem,* Tuíque *gloriam.*

Illustrissime Domine,

Honoris tui studiosissimus cultor,

G. B. M. D.

Ingenuo

Ingenuo Lectori.

PRodit in Scenam *Secunda pars Elenchi Motuum nuperorum in Anglia*, si non cujusmodi debuit, saltem ut potuit. Anni ferè duo effluxerunt, à quibus ab *Apoplexia* levi, *Paralysi* detineor, (in quibus *Divinæ* manûs est cur agnoscam misericordiam, & amplectar justitiam;) & dum expectarem ut peritior aliquis me operâ levaret, datâ exactâ præcedentium historiâ nullus comparuit. Mihi incumbit igitur stare promissis, & obtorpentia membra provinciæ admovere semel susceptæ. Habeas ergò *Libellum* subsicivis horis scriptum, qui *Motuum nostrorum progressus*, & *apices consiliorum*, quasi in brevi tabella perstringit; nec non *Regis* Serenissimi è ferro, medióque Parricidarum elapsi narrationem exhibet: quo Effugio, nec *Orbis* terrarum luculentius *Divini* favoris testimonium, vel quòd *Regum* astris supernè invigiletur, edere potuit. Res *bello* (quibus in præcedente Tractatu consultò temperavi, ob rationis in *Epistola* allatas) *togâ*que gestas *Hiberniæ*, *Scotiæ*, & *Angliæ*, seperatim disposui, prout ordine deflagrârunt, quò pariter, atque in semet conspectas certiùs colligas, æstimes, & retineas; ut propemodum affirmare ausim nil admodum deesse ad justam Historiæ seriem: certè levabitur aliquantisper *Exterorum* de rebus nostris cognoscendi sitis, donec largiorem hausturn porrigi contingat. Scio in hoc partium studio difficile esse placere omnibus: Si tamen nullas offucias veritati fecerim, (quod à me procul abfuturum sanctè promitto) non metuo censorem. Si *Deus* mihi ulteriùs vitæ filum protrahere dignetur, Tertio Tractatu coronidem adjiciam. Valere te interim jubet

G. B.

Tacit.

Tacit. Annal. xvj.

ut imperium evertant, Libertatem præ se ferant; si everterint, ipsi aggredientur.

Saluſt. ad Cæſarem.

Ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur; interdum alia, deinde alia decernunt: uti eorum qui dominantur ſimultas atque arrogantia ſert, ità bonum malúmve publicum exiſtimant.

ibid.

Trahunt, rapiunt, & tanquam in capta urbe libidine ac licentiâ ſuâ pro Legibus utuntur.

Horat. Od 2. l. 3.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

ACT. 5. 36, 37.

Ante hæc tempora exortus eſt Theudas, *dicens ſe aliquem eſſe: cui adhæſit numerus virorum circiter quadringentorum: qui interemptus eſt; & omnes qui aſſenſi ſunt ei diſſolutì ſunt, & ad nihilum redactì.*

Poſt hunc exortus eſt Judas *ille* Galilæus *temporibus deſcriptionis, & avertit populum poſt ſe: periit & ille, ac qui aſſenſi fuerant ei diſperſi ſunt.*

HABAK. 2. 9, 10, 11, 12.

Væ dedito quæſtui malo pro domo ſua; ut diſponat in excelſo nidum ſuum, ut eripiatur è poteſtate mali.

Conſilium iniviſti pudendum domui tuæ, ſcindendi populos multos, & peccâſti contra teipſum.

Nam lapis è pariete exclamat, & nodus è ligno teſtificatur iſtud.

Væ ædificanti civitatem cædibus, & ſtabilienti urbem iniquitate.

ELENCHI

ELENCHI
Motuum Nuperorum
In *ANGLIA*,

PARS SECUNDA.

ANGLIA jam potiuntur immanes *Regicidæ*, sed *Angliâ* solâ. *Scoti* in medio pendebant, etiamnum incerti, an *Regem Carolum Secundum* firmarent in imperio paterno, an ipsi *Autonomi* suam administrarent *Rempublicam*. *Hibernia* ferè omnis *Regiarum* partium studiosa, intolerandum *Pseudo-senatûs* jugum erat penitus excussura. *Insulæ Anglicanæ* ditionis, tum illæ in propinquo, *Jarseia*, (olim *Cæsarea*) *Mannia*, & *Sillinæ* (à veteribus dictæ *Sigdeles* & *Cassiterides*) tum in Novo terrarum Orbe *Bermuda*, *Camercanæ*, (sive *Antillas* sive *Caribes* appellare placuerit) uti & *Virginia*, *Novaque Anglia* (quas inductis olim coloniis *Anglia* locupletârat) omnino detrectant obsequium.

Status rerum à Regicidio, in Anglia, Scotia,

Hibernia,

Insulisque Anglicanæ ditionis.

Hibernia primam belli feralis molem susceptura est, eique subjugandæ brevi vacabit, *Scotus* tantisper sibi relictis. Insularum satis habent in præsentiâ commercia inhibere; nè videlicet Saccari, Indici, Nicotianæ & Gossipii proventus in *Anglia* prostaret; aut ex *Anglia* vestes illuc aliaque vitæ necessaria vicissim immitterentur; futurum utique hoc artificio sperantes, ut vel immodica

Regicidæ in Hibernos pessimè animati,

Insularum commercia prohibent, & quorsum.

immodica mercium ſuarum redundantia, vel ſaltem indigentia noſtrarum, neceſſitatem imponeret protinus obtemperandi: nec omnino addubitatum, quin arreptâ occaſione tandem aliquando ſui juris facerent.

Intervenit autem opus futuris admolitionibus apprime commodum, ſed levi negotio (ſic ſibi blandiebantur) impetrandum. Nullius gentis amicitia magis opportuna & neceſſaria videbatur quàm *Batavorum*, ſive viciniam ſpectes & locorum ſitum, ſive voluntates & ſtudia; nec deerat horum compellandi prætextus. Nimirum *Strieklandius*, ab initio Turbarum uſque *Oratoris* aut *Internuncii* vice apud *Ordines Fœderatos* defunctus, perhumaniter exceptus. Itaque & *Doriſlaum* (qui Parricidali contra *Regiam Majeſtatem* dicæ concinnandæ nuperrimam navârat operam) *Legati* titulo ornatum ad hoſce amandare viſum eſt, ut ſalutaret, gratias ageret, mutua polliceretur officia, rationémque adverſus *Regem* proceſſûs exponeret; ſimul & legum authoritatibus undique conquiſitis, eundem ſpecioſis coloribus adumbraret. Præterea in mandatis datum, de *Coalitione* (ſi opportunum viderit) injicere mentionem, offerre, ad illam hortari; quippe quæ utriuſque gentis conſenſu ſi fieret, ridere poterunt omnes molitiones externas & inſultus, imò & univerſi quaquà patet Orbis inter ſe partiri mercimonia.

Demulcent Belgas,

miſſo in Legatum Doriſlao;

& quorſum.

Atqui haud ſatis feliciter ceſſit iſta negotiatio; nimirum *Orangiæ Principe Belgis* præſidente, *populóque Regium* ſanguinem fuſum ægrè ferente. E *Scotis* autem nonnulli, (quibus tametſi procul agentibus confeſtim innotuit ejus adventus per citatos nuncios) anteaquam ſolenniter audiretur, hoſpitium ingreſſi, multis confoſſum vulneribus *Doriſlaum* trucidârunt, in tutum ſe priùs recipientes quàm deprehendi poterant. Sic *Regii* cruoris effuſio cruentis punitur manibus; juſtò-

at inauſpicato:

Legatum enim à Scotis nonnullis conſoditur,

que

que Dei judicio, per hominum licèt injustitiam, redit in autorem scelus. Hujus facinoris expiationem reposcunt multoties ab Ordinibus *Regicidæ*, conatu tamen prorsus infructuoso. *idque impune.*

Verùm in *Anglia* nondum posuerant æstum *Democratici*, paulo cautiùs jam se gerentes. *Walwinus*, *Princius*, *Lilburnius*, *Overtonus*, & ejusdem furfuris alii, *Petitionem* exhibent *Pseudo-senatui*, in qua complura justa, reique publicæ proficua futura, convitiis, haudquaquam tamen falsis, interspersa, proponunt. Quapropter carcere plectuntur, paulùm macerandi, quoad ipsorum ferocientes animi frangerentur. *Petitio Democraticorum Regicidis exhibita,* *carcere mulctatur.*

Nihilominus milites gregarii, qui sub *Ingolsbii* signis merebantur, *Oxoniæ* seditiosè se gerunt, Petitionis obtentu; *Pseudo-senatum abrogatum iri, suffectâ æquali Repræsentativâ*, contendunt; *Leges in linguam vernaculam transferendas, superfluis abolitis; tum ut Registrum fiat, in quo Bona omnia fundósque, tum Allodialia tum Feudalia, in commentaria redigat Actuarius; ut unicuique constet, quid juris habeat quisque in rebus ab ipso occupatis; Intercidat Exciſa, cum omni exactione illegitima.* Quibus superpondii loco adjiciebatur (ad Sectatores conciliandos, non quòd pœniteret *Regicidii*) ut *Carolus Secundus supremus fiat Regni arbiter.* Verùm Tribunus illuc involans, paucis plumbo trajectis, nascentem tumultum tempestivo adhibito remedio extinxit. *Altera militum gregariorum* *in ovo suppressitur.*

Novum tamen ex hisce scintillis malè extinctis erupit incendium; *Præfecti* siquidem *Exercitûs* sub *Fairfaxii* imperio acriorem adornant in ejusmodi scopum, tametsi verbis discrepantibus, *Petitionem.* *Tertia & acrior Præfectorum Exercitûs:*

Adjiciunt priori, ut *abolitis aut aliò conversis Decimis, certiora stipendia Sacrorum Ministris erogentur; ut parcius in er Senatores publicæ distrahantur pecuniæ; militibúsque numerentur sua stipendia.* Non ausus est hanc aspernari *Pseudo-senatus*; sed

quam eludunt Parricidæ,

verba dat, ac (tot Programmatum quibus iſte promiſerat, tot criminationum quibus exprobrata eſt ſubleſta fides, ſibi conſcius) diem ex omni ſeptimana unum hiſce propoſitis penſitandis indulget primò de *Gubernio* & *Repræſentativa*; ubi ad examen vocati *Status* omnes & *Reſpublicæ*, à *Romana* ad *Raguſianam* uſque, præſtantiſſimam inveniendi ſub prætextu, *Angliæque* accommodatiſſimum, eventilantur. Nulla verò ſatis exquiſita deprehenſa eſt, nulla quæ populi hujus ingenio congruere videbatur. Ita, Penelopes inſtar, telam texendo retexendóque diem fallunt, quoad irrepſerit oblivio, vel majoris momenti quidpiam intervenerit.

magno conatu nihil agentes.

Commercia quædam noſtratibus à Gallis interdicta: Gallis à noſtratibus.

Neſcio an operæ pretium ſit hîc referre, *Panificiorum* ac *Lini* cum noſtratibus commercium à *Gallo* tunc temporis interdictum; ſed & reciprocâ indè apud *Regicidas* enatâ prohibitione, nè ſcilicet Vinum *Gallicum* aut Holoſericum proſtaret in hiſce terris venale. In *Flandriâ* quoque vetitum eſt (noſtratium commodo) nè piraticâ ereptæ naves, vel bona, in portubus publicentur.

Sævitur in Miniſtros Eccleſiæ Anglicanæ,

Sed notatu dignum, ſeveriorem in *Sacrorum Miniſtros* inſtitutam eſſe per *Angliam* de novo Inquiſitionem, Eccleſiæ reformandæ obtentu, & Orthodoxæ Religionis introducendæ: at ſævitum eſt in omnes, non modò qui mordicùs eandem tuerentur ad normam *Anglicanæ Reformationis*; verùm & qui bene vellent, aut cum ejuſmodi viris conſortii quid haberent: hominibus interim indoctis, (de pleriſque loquor) Secularibus, Opilionibus, reíque literariæ rudibus, ſubſtitutis, iiſdémque ad duo vel tria ſimul Sacerdotia (quod nefandum priùs clamitârant) evectis.

præſertim Cambro-Britannos.

Una *Cambro-Britannia* borealis eſto Reformationis iſtius exemplar; utpote cujus centeni aliquot, & ex iis nonnulli viri graves, probi & egregiè docti, è ſedibus ſuis ejiciuntur; *Powello*, *Cradoco*, *Floido*,

Floido, paucíſque aliis ineruditis, vagis, & nullius certæ manſionis, itinerantibus Evangeliſtis, qui ſapiuſcule concionantes (dicam? an è ſuggeſto blaterantes?) opimos perciperent reditus: Decimarum autem reliquias vili elocabant *Commiſſarii* corvis iſtiuſmodi ſaginandis, qui *Pſeudo-ſenatui* ad Græcas (quod aiunt) Calendas reddituri erant ratiocinium.

Cæterum *Augmentationes* (hæ ſunt rejectanei è decimis *Epiſcoporum* ac *Decanorum* fructus, qui neminem compererant Emptorem) diſtribuerunt ſuos inter Clericos *Regicidæ*; præſertim eos qui centum libras annuatim non numerabant. Sed & hoc non niſi durante placito, & ad tempus, ut eoſdem obnoxios haberent, atque tot hominum voces, ſtudia, & conatus mercarentur; útque ſuſpectis hi viciſſim attentiùs invigilantes, delicta eorum, liberiora effata, & conſilia expiſcati deferant. *Reliqui Jovenitur.*

Atque jam fervet *Anglia* apparatu militari in *Hiberniam* emittendo; quò adnavigaturus *Archiſtrategi* ſive *Generalis* titulo decernitur *Cromwellius*. Ille delectu facto, properat ad oram maritimam; *Briſtoliámque*, *Ceſtriam*, & portum *Milfordii* militibus complendo, profectionem adornat. Igitur & in *Hiberniam* transfretandum eſt mecum Lectori, ut de *Incolis* judicium ferat; útque diverſa eorum ſtudia, & ad quos collimabant ſcopos, inſpicere poſſit eóſque in ſuas claſſes dirimere. *Expeditio in Hiberniam imperante Cromwellio.*

Hiberniam qui incolunt, vel *Primigenii* ſunt, vel *Inſititii*: hi rurſus vel *ab Antiquo*, vel *Nuperi*. *Primigenios* appello, qui primi mortalium Inſulam habitârunt, vel ab iis proſapiam traxêre: ſúntque vel *Nobiles* & *Generoſi*; vel *Glebæ aſtrictitii*, *Clerus Pontificius* & *Epiſcopi Romani*; *Municipes* licet adjicere. Primigenii *Nobiles* ſive de integro gaudent avitis latifundiis; ſive devicti ab *Angliæ* Regibus, & in Rebellionis pœnam potiſſimâ *Hiberno-um in claſſes ſuas diſtribuit.* *Hiberni Primigenii.*

fundorum parte mulctati, fruuntur relictis, cæterósque vili conducunt à *Proprietariis* annuo pretio. Hi autem saltibus insident ac solitudinibus, ubi Glebæ astrictis dominantur satis pro imperio; jugerúmque omnium & fundorum limites callent ad amussim; hâc spe freti, quòd futuris temporum mutationibus, quoducunque pro suo vendicant, ad se tanquam veros dominos postliminiò revertetur.

Titularis *Clerus* & *Episcopi* (nam nôsse convenit *Romanæ* Superstitioni mancipatis suum esse *Clerum*, suos *Sacerdotes*, suos *Episcopos* à *Pontifice* clàm suffectos, qui tamen bonis victitant solummodo erogatis) sacra sua clanculùm administrant ritu Romano, perinde acsi jure liceret, nostríque mores non repugnarent; sed reprimente semet *Regiâ Majestate*, Gentísque duræ cervicis inolitis erroribus connivente. Nihilo seciùs intelligendum est, ubivis per *Hiberniam* sparsum esse *Clerum Orthodoxum*, tam ex *Angligenis* quàm *Inquilinis Hibernis* conflatum; eósque passim ac promiscuè Decimis gaudere. Verùm à prima *Rebellionis* flamma utrique tum *Angli* tum *Indigenæ* profligati recesserunt.

Municipum pars maxima est, qui licèt *Anglicano* stemmate oriundi, partim tamen connubio sociante, partim in jus civitatis recepti, præ longa consuetudine commercióque primævæ originis obliti, in gentilitios mores vestitu, animo, & corpore transierunt.

Legatus Papalis Rebellium Coryphæus.

Horum omnium *Coryphæus* erat & caput (quamvis exterus) *Joh. Baptista Renuncino, Princeps & Episcopus Firmæ, Nuncius Papalis*, qui cùm ad *Hibernos* proficiscens pertransiret *Galliam*, *Reginam Angliæ* præteriit ibidem insalutatam; & apertè interminatus est, nolle se in *Hibernia* quenquam pati qui *Regi* bene volebat, vel *Anglicani* nominis aut rei studiosus inveniretur.

Hi *Rebellionis* faces subdere, suffiare, circumferre,

ferre, &, nè semel ulcera coalescerent, modis omnibus procurare, rapinis, cædibus, sceleribus omnia miscere, regimen evertere, *Regi* abrenunciare, alium ex veteri stirpe adscire, vel aliunde, sive *Papam*, sive *Hispanum*, eligere, vel *Rempublicam* novam ex *Clero* & *Nobilium Delegatis* componere. *Clanricardum*, *Taffum*, aliósque paucos excipio; qui etiamsi *Pontificiæ Religionis* obstricti zelo, fidem tamen *Regi* suo illibatámque servârunt obedientiam.

Nobiles aliquot è Pontificiis fideles in Regem.

Insititios omnes appello, qui *R. Pontifici* faventes, ab *Henrici* II. temporibus ex *Anglia* in *Hiberniam* migravere, ac perpetuà successione ad *Reginæ Elizabethæ* seculum usque sedes avitas occupavere. Hi etiam cœptorum conscii, sive ut *Religionem Romanam* sartam tectam conservarent, civilésque Jurisdictiones simul & Immunitates adaugerent, sive æstu Rebellionis abrepti, sive suæ incolumitatis & suorum in communi rapina tuendorum gratiâ, cæteris *Pontificiis* se jam comites adjunxere; qui tamen adduci nunquam antè poterant ut se tam immani barbarie, tot cædibus inauditis polluerent, aut regimini subducerent *Anglicano*.

Hiberni insititii, cur jam desciverint. antè fidissimi.

Qui nuper adventârant ab *Reginæ Elizabethæ* temporibus novissimis, sive militiæ gratiâ, sive incolendi (exceptis iis quorum oculos perstrinxit autoritas *Parlamentaria*, vel quibus contermina *Scotia Presbyterismum* affricuit) *Regi* fideles perstitêre maximâ parte.

Scotorum (auspice *Jacobo* Primo *Rege*) Colonia in *Ultoniam* introducta, ad quadraginta millia familiarum excreverat. Hi sub initium turbarum, ceremonias contribulium secuti, *Parlamento* sese addixerant. Verùm *Rege Carolo* decollato, *Angliæque Monarchiâ* funditùs eversâ, mentes alias induere, vindicias meditari, eásque sub *Ardesii* Comite, Tribuno *Monroo*, *Audlæo Mervino*, *Roberto Stewardo* Equite, strenuè moliri.

Scoto-Hiberni jam Regi militant.

Cootius, Monckeus & Foneſius ſtant pro Pſeudo-Senatu; Inchiquinius pro Rege.

Cootius Derriæ, Monckeus Dundalkiæ, & inter primos *Foneſius Dubliniæ* Præfectus, *Pſeudo-Senatûs* cauſam tutabantur. At *O-Brian Inchiquinius, Momoniæ* Præpoſitus, cum toto eo diſtrictu copiiſque ſuis omnibus, qui *Regi* conjunctim & *Parlamento* fidem obſignârant, *Pſeudo-Senatui* poſt patratum *Regicidium* abrenunciantes, non niſi à Regia parte ſola ſe jam ſtare profitentur. Hactenus in diſcrepantibus *Hibernorum* ſtudiis, variiſque deſignationibus & propoſitis enucleandis, inſudatum. Nunc utique diſpiciamus, quali Orphei lyrâ, quo delinimento in unum convenerint.

Quo modo Regii conglutinati.

In primo *Tractatu* narravimus, quomodo *Ormondiæ Marchio*, ob *Hibernorum* perfidiam, coactus eſt *Dubliniam* cum Præſidiis omnibus, & quicquid infide permanſerat, *Foneſio* conſignare. Ab eo tempore *Nuncius Papalis* adminiſtrabat omnia, præterquam iis in locis qui ſub *Foneſio, Cootio, Monckeo*que *Pſeudo-Senatum* defenſabant. Ille univerſalem arripere autoritatem, ille leges ſcribere, jura dare, inſtruere acies, bellum ordinare, pecuniam irrogare, omnia pro imperio abſoluto & merè deſpotico. Sed odium ſimul & contemptum ſibi conflavit; nec non unâ ſuper aliam clade illatâ (præſertim profligatis à *Foneſio Preſtoni* copiis) vires ejus imminuebantur, potentia labefactata eſt. Quâ arreptâ occaſione, *Clanricardus*, qui uni præfuit exercitui in *Ultonia*, *Taffûſque*, qui alteri in *Momonia*, collatis cum *Inchiquinio* ſententiis, conſultiſſimum omnino cenſent, *Regium* denuò implorare auxilium, unionem ſancire, protinúſque mittere ad *Reginam* & *Walliæ Principem* monituros quid fecerint; inducias malâ fide obſervatas haudquaquam diſſimulantes; falſi etiam, quorum ſuaſu & crimine fractæ fuerint; rogant inſuper quàm humillimè, ut *Ormondiæ Marchio* cum ſuppetiis & autoritate tranſmittatur, ſpondéntque ſemet conditionibus *Regi* non ingratis ſub ejus vexillis militaturos, quoad *Pſeudo-*

Legati Papalis arrogantia ſibi exitio fuit,

& Preſtono clades illata.

Unio Hibernorum in Regis gratiam:

qui Reginam & Principem Walliæ ſupplices rogant Ormondii præſentiam cum ſuppetiis & autoritate.

Senatus

Senatûs devictæ copiæ penitus exterminentur, ipsique de integro juxtà ac *Regia Majestas* pace pristinâ perfruantur.

Hæc ita fieri, & in suum caput, suam dominationem cudi fabam hanc subolens *Nuncius Papalis*, ulteriorem tractatum interdixit, dira contrasatagentibus interminatus: tandémque propositi tenacioribus tritum istud intentat *Excommunicationis* telum. At brutum fulmen non nisi ludibrio fuit; nam movent adversùs, & in *Galviam* compulsum obsidione cingunt: dum interim *Baro O-Brian Inchiquinius Owenum Row Onealium* cum suis succurrere parantem distinens, auxiliares manus omnino prohibet. Tum *Papæ Nuncius*, de salute tandem desperans, discessum pepigit inglorium. Hæc dum fierent, *Parricidarum* manibus Glorioſus *Rex Carolus Primus* occisus *Martyrio* vitæ finem imposuit.

Frendet Nuncius,

& obsidione cinctum

abscessum pacisciter.

Nil minùs istâ jam difficultate extricatus, ad *Corcagiam Ormondiæ Marchio* documentis & auctoritate novi *Regis* CAROLI *Secundi* suffultus, brevíque post *Kilkenniam*, sive *Fanum Canici*, concedit, ubi generalis *Hiberniæ* celebrabatur Consessus; atque post longiusculam utrinque disceptationem, ad *Articulos* Concordiæ sat multos deventum; quorum hæc summa erat.

Ormondio Kilkenniam advenienti, ubi generalis Hibernorum Consessum, in Articulos devenitum Concordiæ.

Præmissâ ipsorum Recognitione, quâ *Majestatem Regiam* supremum *Hiberniæ* Moderatorem venerantur, *Ejúsque* defendendi gratiâ velle se quælibet extrema lubentes experiri, usque ad bonorum pariter ac vitæ dispendium, profitentur; *Religionem suam Hibernis Rex sartam tectam præstabit. Intra duos menses, si Delegatis aut Commissariis* (qui numero quindecim assignabantur) *visum fuerit, Parlamentum indicitor, in quo Pontificiis integrum erit haud minùs quàm cæteris liberè suffragari; ejusdémque Scita tenebitur ipse Rex ratihabere, modò non sint oneri Protestantibus. Singula obliterabuntur & in cassum cedent Decreta & Sancita, quæ dedecori & opprobrio*

opprobrio verti possint Hibernicæ genti, ab Augusti primo 1641. *Omnes processus, dicæ & condemnationes ab eo tempore deleantur funditùs; & in suorum quæ ablata fuerant bonorum possessionem redeant Hiberni. Omniá amoveantur impedimenta quæcunque à Consessu Parlamentario arcere consueverant Pontificios. Omnia Debita in eodem sunto & reputantor statu quo fuerint Anno* 1641. *nec eorum obtentu quispiam obnoxius sit vel Judiciis vel Sententiis. Fundi Baronum & Nobilium in Comitatu Thomondiæ, Clarâ, Tipperariâ, Limiricensi, Kilkenniâ, & Wicklouiâ, possessoribus adjudicantor avitis, & siquid labis inerit, novis stabiliuntor Scitis. Hospitia recipiendis Juri Municipali studentibus erigantur ubicunque Proregi videbitur opportunum; necnon Gradus ibidem in Legibus, sicut apud Anglos, capessuntor. Loca honorifica, tituli, muniáque quæstuosa pateant æquali jure tum Pontificiis tum Protestantibus. Armorum usus juxtà ac exercitium, imperium & præfecturæ, penes eosdem sunto; atque durantibus bellis, præsto sint Hibernorum ad militiam pedestrem quindecim millia, equitum autem duo millia. Pupillorum abrogator Curia, duodecim librarum millibus, compensationis vice, fisco Regio immittendis. Nemo Nobilium capax esto jure Delegato suffragari; teneantúrque Nobiles intra quinque annos proximè sequentes latifundia sibi comparare, Baro ad ducentas libras annuatim, Vice-comes ad quadringentas, Comes ad sexcentas, Marchio ad octingentas, Dux ad mille. Liberum esto tractare de independentia Senatûs Hibernici cum Parlamento Anglicano. A sacris Regni consiliis qui fuerint, nullis immisceant sese negotiis forinsecis, præter publicis. Titulorum lites regni Judicibus, ad quos attinet de iisdem cognoscere, permittendæ. Cassa pronuncientur Statuta de Lana extra Hiberniam exportanda, item de Sevo, aliisque bonis. Qui prætextu quocunque in Ultonia plectebantur à Jacobi Primi tempore, illis secundùm æquum & bonum compensator. Municipes & Cives*

Corcagiæ,

Corcagiæ, Youghaliæ, & Dungarvaniæ in poſſeſſiones ſuas, quibus ineunte bello exuebantur, modò de fidelitate ſua promittant vadimonia, nec incommodo ſint Præſidiis, omnino reſtituuntor. Anteactorum fiat amneſtia vel oblivio, exceptis quæ barbariem atque inhumanitatem redolent criminibus. Magnatum nulli vectigalia locare liceat. Ferantur adverſus Monopolia leges. Curiæ, quam Cameram caſtrenſem appellant, juriſdictionis modus imponatur. Scitum abrogetur, quo nè Equorum caudis alligatos traherent ligones cautum eſt, ſtraménve comburatur ad avenam ſeparandam. Lites maritimæ in Cancellaria Hiberniæ determinantor. Conticeſcant in poſterum omnes moleſtiæ ortæ ob defectum tituli, ſi fundos quocunque jure ab antiquo domini poſſederint. Remittatur etiam & fœnus omne à primo Turbarum anno ad hoc uſque tempus, & per annos proximè ſequentes non excedat viceſimas per annos ſingulos. Pecunias, quantæ fuſſecerint, in bellum expendendas, tam maritimum quàm terreſtre, irrogabunt Commiſſarii ſive Delegati; ſive per modum Exciſæ, ſive alium quemcunque, prout ſibi reique publicæ commodum cenſuerint. Eirenarchis jus & fas eſto, lites infra decem ſolidorum valorem dirimere. Pontificiæ profeſſionis Præfecti præfecturis quas jam in Stativis obtinent porrò gaudeant. Navium captarum decimæ Merciúmque Impoſitiones penes illos permaneant quibus conceſſæ ſunt, quoad ulteriùs de hiſce omnibus decernatur. Commiſſio Audiendi & determinandi, Aſſizarum, & Carceris laxandi (parcant Juriſperitorum manes ſi vocabulis ipſorum vim tulerim; in foro Anglicano Normannicè ſic ſonant, Oyer and Terminer, Grand Aſſizes, and Gaol-delivery) *poteſtatem habeant ſecundùm latas leges Homicidia, Furta, Rapináſque puniendi, uſque ad inſequentis Maii vigeſimum. Tribunalia ſtabiliantur ſecundùm placita Commiſſariorum vel Delegatorum, in rebus ſibi ipſis propriis. Sacerdotibus Romanis modeſtè ſe gerentibus nulla prorſus moleſtia inferenda; ſed penſionibus, quibus eoſdem ſuſtentant Seculares,*

Seculares, & ſeptis gaudeant, quibus vetuſta Cœnobia & Abbatiæ dirutæ includuntur. De cætero, Regis arbitratui (prout Parlamento viſum fuerit) obtemperabitur. Hiſce conditionibus exequendis quindecim circiter *Commiſſarios* aut *Delegatos* præfecere *Pontificii*, ut *Regem* inter & populum quaſi totidem intercederent *Mediatores*, & rata propoſita reportarent.

Tanti conſtitit *Regi* cum *Rebellibus* pacem componere, ſatis quidem fragilem & fugacem. Atqui durum Neceſſitatis telum ad quidvis perſuadet, etiam ad indecora cogit, multoties & ad inhoneſta. Nihilominus articulis iſtis *Prorex* aſtipulatur, ceu nolens volens: Pax quoque à præconibus confeſtim promulgatur.

Reclamant Owenus Row Onealius, Joneſius, aliique pauci.

Verùm noluit hiſce pactis *Owenus Row Onealius*, &, qui ab ejus partibus præſertim ſteterant, *Hiberni primigenii*, adeò placidè acquieſcere, obtento, quòd *non ſatis cautum eſſet ſuæ Religioni.* Reclamant conſimiliter *Joneſius* aliíque tum ob conceſſiones prælargas, & (uti ferebant) planè nimias; tum quia cum *Rege* inirentur ſine *Comitiorum* permiſſu.

Comes autem *Ardeſius*, cum cæteris *Scotis*, qui *Pſeudo-Senatum* deteſtati, primò *Regiis* indulgentes partibus, demum adhærentes, *Præſidiis* & *Caſtris* quæ in *ultonia* è contrario ſtabant expugnandis gnaviter incumbunt.

Prorex, idémq; Generalis Dux belli, Ormondius opus arduum aggrediꝛur,

Proregi deinceps *Generali* cura ingens. Arma, Viri, Stipendia, Commeatus, & bellicus apparatus deficiunt; quæ tamen ſingula inter diſcrepantes ſtudiis, & ſentientes diverſa, odiíſque gliſcentes mutuis, eveſtígio comparanda. *Angli* quidem ex ſe prompti ad omnia pericula ſubeunda; ſed pauci ii, & quibus malè cum *Hibernis* conveniret; nimirum ob veteres atque jam longævas inimicitias: nec minùs virtutem eorum ſuſpectantes quàm fidem, ſub iiſdem ſignis militare detrectant. *Hiberni* magna ex parte fallaces, ſanguinarii, fœdifragi,

fœdifragi, diversis micantes inter se factionibus, alter in alterius viscera ferrum immittere, quàm cum hoste communi congredi, paratiores. Verùntamen suâ præsentiâ, sumptu, prudentiâ, solertiâque, septem vel octo fidis *Ductoribus* adjutus, difficultates feliciter superavit. *Hiberniæ* comperit exhausta armamentaria, vacuatos loculos, *Municipes* (penes quos gazæ totius *Regni*) non nisi malignè parcéque elargiri, *Clerum Romanum* obstare ac occultis cuniculis officere.

Igitur exilem initio conscripsit exercitum, dein majorem nactus, accurrente ad suppetias *Inchiquinio*, cæterísque *Anglis* commilitonibus. *Stipendiis* autem ipse *Prorex* in primis mensibus de proprio vel de mutuo prospexit. Sic militibus & commeatu satis instructus, progreditur per *Comitatum Reginensem*, ad *Jonesium* rectâ contendens, castráque aliquot obiter expugnat ad *Owenum Row Onealium* spectantia, è quibus nominatissima erant *Kildaria* & *Talboium*. *& exercitum tandem conscribit, ducitque contra Jonesium Dubliniæ Præfectum;*

Certus jam hujusce profectionis *Jonesius*, ad *Naum* Oppidulum obviàm ibat *Proregi*: verùm per Exploratores edoctus numerosiore stipatum exercitu adventare quàm cui par esset ipse profligando, suorúmque militum dubius, *Dubliniam* protinus revertitur. Pertransit interim *Liffium* flumen *Prorex*, ubi celebrato inter *Legatum*, *Inchiquinium*, *Taffum*, *Dillonem*, *Prestonum*, omnésque castrorum Præfectos, concilio, quidnam porrò agendum consulitur; An *Dubliniam* obsidione premerent; an aliò conversi circumjacentia caperent oppida; an Civitati è propinquo potiùs imminerent, aliis locis unà prospectantes. Dubii adhuc mentis, *Dubliniam* pergunt spectatum, in arena (quod aiunt) consilium inituri. Quos *Jonesius* extra muros cum exercitu, sed sub muralium tormentorum tutelâ, opperiebatur. Utrinque acies instructa est; verùm absque omni velitatione. Apud *Finglassiam*, tribus indè lapidibus dissitam, *quem locum post habitam consultationem visitat primò,*

Joneſio defenſionem omnimodam apparante, miſſis Droghedam ſuperfluis equitibus;

diſſitam, à *Prorege* pernoctatum. Sequenti manè, bello inidonei quotquot aderant è *Pontificiis Dubliniæ*, tam maſculi quàm fœminæ, ex urbe extruduntur; defenſionique ſuperfluus equitatus *Droghedam* (quam & *Pontanam* vocant) ad *Boinæ* fluvii fauces amandatur, qui & hoſtem à tergo poſſit infeſtare, & commeatui immittendo proſpicere.

quos inſequitur illicò Inchiquinius,

Hoc ſimulac *Proregi* innotuit, mittitur *Legatus Baro Inchiquinius* ad equeſtres *Joneſii* turmas confeſtim perſequendas, oppidáque (ſi anſa contigerit) quaquaverſùs expugnanda. Interim ſuæ caſtra dirimere non videtur ità conſentaneum, ſed prope *Dubliniam* integra ſervare vallo aggeribúſque munita, commeatum intercipere, cives militéſque ad transfugium ſolicitare: cui ſanè milites facilem aurem præbituros, rebus in creperis, opportunitate viciniæ datâ, premente inſuper annonariæ intra civitatem rei penuriâ, nullus dubitabat; præſertim cùm & ſibi pleroſque gregarios milites, qui Urbem tenebant, ſacramentum antè dixiſſe noverat. Quam ſententiam & facto comperit non inutilem; quippe duo circiter millia furtim, & ut cuique fugæ copia affulſit, arreptâ occaſione, dilapſi, ipſius in caſtra tranſierunt. Imò *Joneſio* non defuit tentando, pollicitationibus aliis ſuper alias adductis. Ille verò, artem arte ut eluderet, graviſſimas interminatus transfugis pœnas, velle ſe conditionibus haudquaquam inhoneſtis concedere ſimulans, nunc hanc, nunc illam tergiverſationi moram prætexit, nonnunquam in ancipiti poſitus videtur; clanculùm interea monens *Pſeudo-ſenatum* & *Archi-ſtrategum* quantis circumcludatur diſcriminibus, & ut maturent auxilia obnixè rogans. Interim circuit ille mœnia, opera luſtrat, ſi quid uſpiam labefactatum eſt reſtituit, ſepimentis tranſverſis, loricis, aggeribus, ſudibúſque humo infixis omnia corroborat. Impetu etiam in hoſtium

hoſtium ſtativa prope *Finglaſſiam* facto, corripuit inter alios transfugas affinem proprium; quem, ad terrorem cæteris omnibus, nè partes deſererent, incutiendum, ſuſpendio necari juſſit.

Cæterùm *Inchiquinius* unam *Joneſiani* equitatûs cohortem nocturnis in ſtativis opprimit; proximo autem manè reliquas à *Cootio* juniore ductatas aſſequutus, levi negotio fundit; magnâque parte vel cæſâ vel captâ, ad *Droghedam* uſque cæteros inſequitur. Ibi tanta milites invaſit Oppidanóſque confuſio ac terror, ut Septimanæ ſpatio in ſuam redigeret poteſtatem.

partimque opprimit, partim fugat ad Droghedam uſque, quam brevi ſpatio capit.

Per id tempus *Legato* ſubolet inter *Owenum Row Onealium Monckeúm*que *Dundalkiæ* pactum, de commeatu, pulvere tormentario, glandibus & pecuniâ tradendis, quibus *Derriæ*, à *Barone Ardeſio* cum *Scotis* clauſæ, ſubveniretur; & exinde in *Lageniam Momoniám*que *Oweno* irrumpendum eſſe; ut iſtiuſmodi machinamento ab obſidione *Dubliniæ Proregem* divelleret. Huic negotio cum quingentis pedeſtris militiæ atque trecentis equitibus præficitur *Farellus*. At reducem in via præſtolatus adoritur *Inchiquinius*, & ordinatâ acie ſubigit, potitúrque prædâ. Exhinc virium acceſſione fortior, *Dundalkiam* obſidet; quam, fruſtrà renitente *Monckeo*, milites intra biduum cum bellico apparatu tradunt: mox etiam adblandientem ſequens fortunam, & Victoriis uti malens quàm frui, *Viride-Caſtrum*, *Neurium*, *Trimmiúm*que redigit in poteſtatem. Quibus perfunctus negotiis, ad *Proregem* revertitur, milite, pecuniis, & commeatu multò auctior, relictis ubicunque triumphârat præſidiis.

Farellum quoque obſeſſæ Derriæ opem parantem in via ſubigit: Dundalkiam expugnat, aliáque oppida, victóríque revertitur ad Proregem.

Enimvero, quoniam *Oweni Row Onealii* facta hîc mentio eſt, illius pertexere priùs oportet inſigne facinus quàm *Dublinienſis* hiſtoriæ filum protrahamus ulterius. *Baro Ardeſius* cum *Præfectis* militem *Anglicanum* è tota exterminârat *ultonia*; ſolâ reſtante, quæ negotium faceſſeret,

ſeret, ſub *Carolo Cootio* ſeniore, *Derriâ*. Civitas eſt ſuper *Logiam* ſita, ubi coit in arctum ac breviores inter cancellos reſorbetur lacus, terram circumjacentem commendantibus paſcuis, & undam piſcaturâ. Olim *Tribuni Docwraii Angli* ſub auſpiciis Colonia illuc introducta eſt; atque à *Londinenſibus* immiſſa poſtmodum numeroſior altera, *Londino-Derriæ* nomen impoſuit: quæ præ loci amœnitate tantam allexit incolarum frequentiam, ut inter *ultonienſes* meritò audiat nobiliſſima. Huc ultimo in loco ſubigendæ gnaviter incumbit *Ardeſius*; non tamen per impetum ſubitarium, non per appropinquationes & cuniculos, verùm extructis aut captis circumcirca propugnaculis, ut intercepto terrâ commeatu, marique ſubvectionibus, tandem aliquando ad deditionem propelleretur. Et ſanè, rei annonariæ penu exhauſto, cæteriſque deficientibus neceſſariis, ſummas propemodum ad anguſtias deventum eſſet, niſi *Owenus Row Onealius* extremum jam trahenti ſpiritum in ipſo temporis articulo ſubveniſſet. Ille, quanquam ab *Inchiquinio* nuperâ acceptâ clade probè mulctatus, properat nihilominus cum quinque peditum millibus, & equitibus quadringentis, ad eripiendam ex hoſtium faucibus civitatem; & eripuit quidem ſatis feliciter ac opportunè. Nam cùm adventantem ſubindicâſſet fama properantior, *Ardeſio* conſultius videbatur exercitum ſuum confeſtim ſubducere, quàm auſu temerario contra hunc hoſtem certaminis aleam ſubire obſeſſis *Anglis* conſociatum; relictis tamen, ubicunque par erat, præſidiis, quæ Oppido injicerent habenas & repagula, quoad *Owneo* recedente poſtliminio renovare poſſent obſidionem. At *Owenus*, obſeſſis unà moventibus lacertos, omnia quaquaverſus expugnat munimenta, & plenariæ libertati palpitantem reſtituit *Londino-Derriam*.

Londino-Derria in anguſtias redacta ab Ardeſio.

Liberatur ab Owens Row Onealio.

Nunc

Nunc autem, cujuſmodi præmium à *Pſeudo-ſenatu* reportavit adeò grandi facinore dignum, admonendi ſunt lectores. Fœdus icerat ipſe cum *Cootio Monckeóque* de ope *Derriæ* ferenda *Pſeudo-ſenatûs* nomine; ídque pactis, utrinque ſubſignato diplomate, quæ miſſa ſunt in *Angliam*, ut Senatoriis comprobarentur calculis. Literæ inſuper in *Oweni* gratiam exaratæ, *quàm juſtus audiat ille hoſtis, verique ſatelles rigidus; quàm conſtans animi, promiſſique tenax; quantum denique cauſæ ipſorum, ſi adlubeſceret, profuturus*, abunde teſtabantur. Hominem quoque vanâ ſpe ſaginent ambo, quaſi de *Pſeudo-ſenatûs* conſenſu non eſſet omnino dubitandum.

qui fœdus icerat cum Cootio Monckeóque à Pſeudo-ſenatu confirmandum.

Incubuit hiſce Conditionibus penſitandis *Pſeudo-ſenatus*, donec *Ormondianæ* cladis fieret certior, & de *Cromwellii* ſucceſſibus admoneretur. Atque tum demum ſuas ſibi res habere jubet *Owenum Row Onealium*; *Cootio Monckeóque* gratias agens, qui *Parlamento* fidem præſtiterant illibatam.

Ignominiosè tamen rejicitur.

Sed inhibitâ longiori evagatione, ad *Dubliniam* ſe revocat ſtylus, & *Inchiquinium*; qui negotiis ultra ſpem confectis, laureâ redimitus caput revertitur ad *Finglaſſiam*, ubi *Prorex* caſtra firmaverat. Ibidem, communicato cum *Primoribus* conſilio, *Dubliniam* obſidione cingere decretum eſt; ultima tamen primùm experiri, ut *fame* ſui juris facerent, potiùs quàm *vi* & *impetu*; nè Civitas illa *Regia*, totiúſque *Hiberniæ* caput, à furibundo Marte diſcerperetur, aut in cineres abiret; amicis pariter ac inimicis eâdem deletis internecione. Itaque viſum eſt ex utraque parte urgere; atque in hunc finem, *Barone Dillone* boreali & ulteriori *Civitatis* plagæ, cum quingentis equis duobúſque peditatûs millibus, excubiis relicto, ipſe *Prorex* cum cætero exercitu, flumine ſuperato, ad alteram partem Auſtralem caſtrametatur.

Obſidioni Dubliniæ ſeriò incumbitur.

Sed ecce, dum in tranſitu ſunt *Rathmines* pe-
tituri, (ubi trajectus fluminis brevior,&, extructo
propugaculo, ſubvectionibus impediendis op-
portunior) naves ex *Anglia* in conſpectum
veniunt, ſuppetias obſeſſis allaturæ; in quibus
advectabantur *Tribuni* militum, *Reinoldus* E-
quitatûs *Ductor*, *Venerabiliſque*, qui non ſuo tantum-
modo præerat Peditatui, ſed & conſcriptæ nuper
ſub *Monckeo* Legioni, aliiſque. *Ceſtriæ* portu ſol-
verant ſani omnes; & ſecundo uſi vento, cum
impedimentis & commeatu *Dubliniæ* applicant.
Unà delati *Prævaricatores* haud pauci, qui protinus
ad caſtra *Proregis* aufugientes, haud plures militum
tutandæ *Dubliniæ* causâ illuc adnavigaturos pro
comperto narrant; integrum verò Exercitum
Anglicanum ad *Momoniam* vela facturum; ubi
multos liquebat amicos, & ex *Inchiquinii* miliți-
bus, qui novis rebus ſtudebant, haud paucos inter-
miſceri.

Suppetias ex Anglia ferunt Reinoldus Venerabiliſque.

Prorex certior factus à transfugis Cromwellium ad Momoniam vela facturum,

Iſta ſimulac inaudierat *Prorex*, mittit illicò ad
Momoniam Inchiquinium, cum Peditatûs parte ſe-
lectiori & Equitatu penè integro, ut obviàm iret,
firmaret *Provinciam*, à dubiis & ſuſpectæ fidei
præcaveret. Ipſi interea conſtitutum erat, col-
lectis vaſis, ad duas vel tres finitimas ſtationes
militem recipere. validiſque circundare muni-
mentis, unde ſibi invicem auxiliari pro re natâ
liceret, hoſti invigilare, nec non cibaria urbi a-
lendæ deſtinata bonis avibus intercipere.

mittere illuc ſtatuit Inchiquinium cum parte maximâ copiarum;

cum reliquis invigilare Dublinia, ac cibamenta intercipere.

Aſt eo momento, *Ductores*, bolum ſibi è fauci-
bus ereptum iri ægrè ferentes, inſuſurrant, ob-
ſervâſſe ſe hoſtium equos extra urbem depaſcen-
tes; atque ſi *Caſtellum* quoddam demolitum (quod
Bagotts-Wreath appellabatur, intra plumbeæ glan-
dis jactum à mœnibus diſtum) novâ munitione
(quod unâ nocte facile factu) firmaretur, interdici
poſſe hoſtem tum paſcuis tum commeatu; qui-
bus deficientibus, tradendam neceſſariò intra
Septimanæ ſpatium *Dubliniam*. Hoc igitur,
antequam

Ductores, ſpe prædæ allecti, veniam prius impetrant obſeſſos coarctandi, caſtellum quoddam prope mœnia firmando.

antequam diſcederent, ut liceat tentare enixè obteſtantur.

Arridet obſervantibus conſilium; nec diu fuit quin *exercitus* educeretur in aciem, delectúſque fieret foſſorum ad opus: reparare caſtrum, altiùs erigere, aggere vallóque communire jubentur, ponè in procinctu attendere peditatus equitatúſque. Intempeſtâ nocte ſupervenit *Prorex*, opus penè conſummatum ratus: at nondum cœptum animadvertens ob errorem & deviationem, acerrimè objurgatis operariis, novóque *Inſpectore* præpoſito, accendit ad negotium; tum recedens ad ſtativa, permanſit in excubiis totâ nocte, primóque manè mandavit ut in armis invigilaret exercitus, & ſtaret in procinctu, dum ipſe laſſum corpus lectulo reclinet. Horulâ vixdum elapsâ, dormientem exuſcitat bombardarum fragor; exiliitque protinus quid rei foret inſpecturus. Eheu! ſerò animadvertit, negligentiùs cuſtodiis incubuiſſe milites; & interea temporis irrupiſſe *Joneſium* in *Caſtrum* illud ſemi-reparatum; atque *Capitaneo* qui præfuit cuſtodiæ primo inſultu proſtrato, ſuos omnes in fugam ignominioſam converſos. Quibus inter hoſtes tam bellè ſuccedentibus, audaciâ (uti aſſolet) cum rebus proſperis creſcente, turmatim irruunt ex urbe non milites duntaxat univerſi, nimirum equitum mille ducenti peditúmque quatuor millia, ſed & magna pars civium immiſta; palantéſque *Regis* copias ferociùs inſequuntur, dum horrore, fragore, fugâ, ſtrage cæſorum, confunderentur omnia. *Prorex* inter haſce deplorandas rerum ſuarum inclinationes, quum extenſâ manu, exerto gladio, vocéque adhortatoriâ, ſiſtere fugientes, ordinéſque reſtituere fruſtrà pertentâſſet, per confertos hoſtes dilabitur trans *Liffium* flumen, *Dillonémque* incitat, laboranti Exercitui opem ferat præſentaneam, hoſtéſque jam cædendo feſſos & prædabundos opprimat. Verùm & illos qui

Placet conſilium.

Sed opere nondum peracto, irrumpit ex improviſo Joneſius,

fuſíſque copiis omnibus obſidentium, aut fugatis, ingenti potitur victoriâ.

nondum conſpexerant hoſtem, panico terrore conſternatos, abjectis armis, in pedes ſe conjeciſſe deprehendit.

In hac tragica conflictatione opulentiſſima diripiuntur caſtra, & quæ per anni ferè ſpatium ſudore multo curáque intenſiſſimâ coacervata fuerant, ictu oculi diſperguntur. Tria hominum millia ferrum abſumpſit; bis mille & centeni milites gregarii, centum & quinquaginta *Ductores*, ſive majores ſive minores, capti; Armorum plus octo millibus; tentoria, machinæ belli, impedimenta omnia, commeatus, & bellici virium apparatus rapaces hoſtium in manus incidêre.

Pars militum Regicorum fugit in Droghedam.

Clades immenſa quidem, & quæ *Regiæ* apud *Hibernos cauſæ vulnus* intulit planè *immedicabile*. *Regius* miles, qui monitis in fuga datis auſcultârat, ad *Droghedam* ſe confert. *Prorex*, ut laceras redintegraret copias, ad *Kilkenniam* (ſeu *Fanum Canici*) proficiſcitur (valido *Belliſani* caſtro, ſub obtentu expugnatæ *Dubliniæ*, in via dedi juſſo, deditóque.) Ibidem *Conventui Generali* (qui ſeſſionem etiamnum continuabat) oſtenſo qualem jacturam fecerat, poſtquam de ſupplementis egerat & re pecuniariâ, iter ad *Droghedam* arripit cum trecentis equitibus: atque hoc perquam opportunè; *Joneſius* etenim citatis equis illuc advenerat, ut civitatem nuperrimæ cladis famâ perculſam, & confuſione militis titubantem, ſola triumphatoris præſentia debellaret. Sed *Joneſium* abigente *Proregis* adventu, confeſtim evanuerunt & metus & periculum.

Prorex Kilkenniam;

mox Droghedam viſitat,

eámque liberat à metu Joneſii:

Trimmium, Neurium, Dundalkiam, & loca finitima communit, locatis (ubi opus erat) præſidiis validiſſimis; luſtrat omnia, ordinat, ac defenſionem pro virili parat; certus obviandi, modò iſthàc procederet, *Cromwellio*; dum equitatu ſuo locis periclitantibus auxiliaretur, atque ſub exitum brumæ pedeſtrem exercitum de novo conſcriberet.

alia quoque loca communit.

Verùm

Verùm & illa de ſpe decidit. *Cromwellius* etenim, læto victoriæ nuncio accepto, *Milfordiæ* portu ſolvens, ut hoſtem urgeret jam perterrefactum, ipſique cordis penetrali vulnus infligeret, rectà *Dubliniam* petit, navibus ferme centum circumſtipatus, quà celocibus, quà onerariis; eámque, miſſâ prorſus *Momoniâ*, menſe *Auguſti* tenuit, anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono. Ubi milite, cum omni bellico apparatu & impedimentis, expoſito, *Armiluſtrium* primò inſtituit, neque pauciores enumerat quindecim millibus, maxima ex parte veteranorum; quippe qui ſatius arbitrabatur virtute quàm numero præpollere, atque validas manus, non multa capita circumducere. *Joneſium* pro *Legato* denunciat, pro *Inſtructore exercitûs Iretonum*, & *Reinoldum* denique pro *Magiſtro Equorum*, ſuis unicuique muniis aſſignatis. Ad *Cootium* ſeniorem in *Derriam* tranſire *Venablium* jubet, cum una Equitatûs Legione duabúſque Peditatûs. Ipſe decem millia rectà *Droghedam* ducit, poſteaquam *Aiſcovio* Claſſis præfecto maritimorum curam demandârat.

Interea Cromwellius, miſſâ prorſus Momoniâ, Dubliniæ appellit,

cum quindecim millibus Veteranorum,

è quibus decem millia Droghedam ipſe ducit; quam tenebat Arthurus Aſtonus cum flore militia Regiæ.

In hoc *Oppido* militiæ ſuæ veteranæ florem, *Anglos* pleroſque, repoſuerat *Prorex*, iiſque præfecerat *Arthurum Aſtonum* Equitem Auratum, domi foriſque militiæ clarum, ſed cui fortuna ferè novercaretur. Atque hîc loci ſtatuit *Cromwellius* primam belli aleam pertentare. *Aſtonus* è contrà *Anglos* diſtinere, & continuâ Victoriarum ſerie ovantes aëris inclementiâ, vigiliis & inediâ frangere; dein equitatui *Proregis* & (brevi reparando) peditatui laceſſendos exponere, donec *Regii*, metum dediſcentes, auctis copiis, *Cromwellianos* provocare auderent, collatiſque ſignis de rerum ſumma concertare.

Sed fruſtrà ſibi pollicetur hoſce montes; nec enim foſſis & vallis, aut per lentas appropinquationis & cuniculorum moras aggreditur *Cromwellius:*

Cromwellius extemplò intonat in mœnia;

wellius: verùm à parte boreali, suggesto tormentario protinus extructo munitóque, librantur machinæ, quibus flammas & fulmina evomentibus, duobus in locis muri dehiscunt. Insultum ille continuò postulat, ut sibi aditum patefaciant pugnaci dextrâ. Sed cùm primâ & secundâ vice res improsperè cessisset, ille ipse cum *Iretono* ducens aggressores, iras animósque repulsâ duplicante, viam in oppidum, quam non inveniunt, faciunt, omnésq; obviàm factos absque mora vel commiseratione contrucidant. Pars militum cum *Præfecto* aufugere illico ad castrum, arte sitúque validissimum, sed quibus immiscuerant sese *Cromwelliani*; quorum aliquibus muros scandentibus (non sine *Præsidiariorum* ope) ad unum omnes internecione delentur. Quidam *Templum* ingressi, ceu victimæ pro Divini Numinis aris immolantur; haud pauci è sublimi, quò se miselli receperant, fœni pulverísque pyrii accensorum fumo deturbantur. Uni soli desperatio saluti fuit, utpote qui è summitate Templi, metu flammæ, se præcipitem conjiciens, in medios hostes illæsus, nisi quòd ipsi crus fractum decidit: atque hunc ob rei infrequentiam vitâ donârunt. Cæteri murorum propugnaculis inhærentes, hostilém Clementiam frustrà invocârunt. Omnes ubique locorum prosternuntur; nihil *stola* proderat, nihil *penates*; imò nec sexûs habito multo discrimine. Triduum furori Mavortio indultum est, militibus, oppidanísque qui arma gestaverant, è latibulis extrahendis, nec non diripiendæ civitati: imò quinto ab impressione prima die ex angulis furtim proreptantes, exutâ omni humanitate, *Libitinæ* pariter consecrantur.

ipse ducens Aggressores viam aperit in urbem; omnésque obvios vitâ exuit.

Miseranda facies captæ Urbis,

Cæsorum numerus.

Virorum circiter quatuor millia eâ (non dicam pugnâ, sed) Lanienâ periêre. Sic actum est intra exiguum Septimanæ spatium illa ipsa de Civitate, quæ *Rebellium Hibernorum* fremitus,

ſremitus, iras & inſultus, integro ſuſtinuerat triennio.

Iſtâ Civitate hunc in modum captâ & expiatâ, de *Regia cauſa* planè *conclamatum eſt* apud *Hibernos:* cætera ſiquidem præſidia tantâ exinde conſternatione territabantur, ut & in ipſo *Cromnellii* nomine impalleſcerent. Oppida locáque defenſioni abunde parata, vel non omnino, vel ſaltem frigidè defenduntur. *Dundalkiæ* in fugam tremebundi ſeſe propripiunt præſidiarii, relictis ponè præ feſtinatione machinis æneis. *Neurius, Caſtrum-Viride, Trimmium*, ut & alia nonnulla, leviori cum dehoneſtamento ſe tradunt, ultróque cedunt hoſtium arbitrio. *Circumjacentia Præſidia vel deſerta, vel facilè dedita.*

Lentè progrediuntur interea *Proregis* delectus, *Anglis* ad contrarias partes ſparſim deficientibus, quippe quibus indeſinenter adblandiretur fortuna, & apud quas popularium ſuorum maximam aſpectabant frequentiam. At ſive diſciplinæ ſeveritate, ſive *Ductorum* exemplo & imperio, diſcors aliquandiu concordia ſervata eſt; complures tandem tergiverſantur & valedicunt: pauci tamen extitere, quos pudor & reverentia *Ductorum* & ſenſus honeſti animo infixus intra fidelitatis cancellos continebant. *Proregis* deſeritur à plurimis *Anglorum* militum: at non omnibus tamen.

Simul *Hiberni* in diverſa diſſiliere: quibuſdam *Proregem* averſantibus, ut *Calviniſtam*, cujus auſpiciis Divina nunquam affluêret indulgentia; nonnullis haud diſſimulanter gratulantibus improſperam *Dubliniæ* pugnam *Droghedæq;* multò magis, in qua è *Regiis Angliſq;* plures interempti; unde ſperabant, vel à *Romano-Catholicis* pendendi, vel potiùs regimen immutandi, neceſſitatem omnino ſubſecuturam. Pecunias Ærario (prout in ſe receperant) inferendas vel prorſus denegant, vel cunctanter immittunt *Municipia.* Ipſi etiam *Romano-Catholici Conſeſſûs* & *Delegatorum* operam ſúſque déque habent. *Titularis Clerus* & (qui jurabant in verba) *Cathari Pontificii* nullis obnoxii *Hiberni male in unum animati.*

eſſe volunt perſolutionibus. Cùm autem pro temporis, locorum vel perſonarum ratione paulò forſan ſeveriùs exigerentur, conclamant illicò ruptam fidem, violatos Pacis articulos, & ſub æqualis dominii prætextu puram putam invaſiſſe Tyrannidem. Simul gliſcebant in militibus ſtudia partium & ſimultates; nonullis *Romano-Catholicos*, aliis *Regio-Catholicos* conſectantibus; quibuſdam inſuper, militiam pertæſis, pronum erat cum *Pſeudo-ſenatu* litem componere. Nihilominus exercitum comſcripſit *Prorex* qualemcunque; non ejuſmodi ut aufit cum *Cromwellio* ſigna conferre; qui tamen è longinquo conſpiciendum ſe præbeat, carpátque paulatim vires ipſius, & cibatum ſæpiuſculè intercipiat.

Exercitum tamen conſcribit.

Gnarus harum rerum *Cromwellius* noluit otiari, commodiſve ſuis indormire; verùm occaſionem capillitio proripiens, *Dubliniæ Huſonum* præficit, unáque jubet, cum auxiliaribus quas adjunxit copiis, viciniam totam infeſtare, nemini quiete datâ. Ipſe autem à latere *Dubliniam* prætergreſſus, verſus *Wexfordiam* caſtra movet.

Huſono Dubliniæ præpoſito,

Cromwellius Wexfordiam ducit,

Modica ea Civitas, quam ab antiquo *Menapii* (*Modenæ* ſub nomine) occupârunt. *Glana* fluvius ripas præterfluens, portum reddit navium ſtationibus peridoneum; imò & commeatui rebúſque bellicis in *Hiberniæ* viſcera immittendis, ipſo *Dublinienſi* commodiorem. Hujus deditione poſtulatâ, non immorigerum ſe primò ſimulat Gubernator *Synottus*; terendo tantummodo tempori, quoad auxiliares quingentos ſub Tribuno *Butlero* recepiſſet. Tum ſpe traditionis abjectâ, *Cromwellius* extemplò adoritur; Caſtrúmque quod mœnibus imminebat (non ſine proditionis aliqua ſuſpicione) primùm occupat; exinde in Civitatem & muros atrociùs intonans, (tam ſubito infortunio perculſis *Præſidiariis*, & ſtationes derelinquentibus) Civitatem corripit. Conglobatis tamen ad forum *Wexfordianis*, ceu ſanguine ex corde

deditionémque imperat.

mox impetu facto, Caſtrum primò,

dein & oppidum expugnat.

corde pòſt leve deliquium impetuoſiùs effuſo, tanquam pro aris & focis ardentiſſimè pugnatum eſt: ſed impari congreſſu; nam univerſos Victoris gladius abſumpſit: atque adeò ſerum luunt in Oppidi defenſionem adventum Præſidiarii; quod, factâ direptione, Tribuni *Shelburnii* curæ demandatur.

Devictâ hunc in modum *Wexfordiâ*, circumjacentia ultrò ſe tradunt, *Wicklovia*, *Arklovia*, & nominatu vix dignum *Eniſcorven*, *Fuernéſque*. Jámque medius aderat *November*, quum cœli inclementia tempeſtáſque jugi pluviâ irrigua ſuadebant, milites, fluxu alvi aliiſque caſtra inſequentibus malis laborantes, hybernis ſtativis refocillare. Attamen *Cromwellius* novas meditatur victorias, & *Roſſium* continuò ducit. Oppidum præterlabitur *Briga* flumen (vulgò *Barrow* appellatum) tuta navibus 800 metretarum (*Tonnas* dicunt) ſtatio, quibus & ipſa mœnia pertingere licet, quatuor ſupra *Waterfordiam* lapidibus *Suiro* in *Brigam* influxuro ſitum. Huic præerat Baro *Taffus*; & ex adverſa ripa ſtabant cum exercitu *Prorex*, *Clanricardi*, *Ardeſii*, & *Caſtriportûs* Comites; qui, adſpectante *Cromwellio*, mille quingenta capita immittunt ad ſuppetias. Ille verò nihilo ſeciùs aggreditur, & ſex aut ſeptem tormentorum fragore Gubernatoris emollit animum; qui tradito cum tormentis Oppido, diſceſſum ad *Kilkenniam* pactus, *Anglis* circiter ſexcentis in contraria caſtra tranſeuntibus, cum mille & quingentis eò migrat. Nefandum planè ſcelus, nullâ excuſatione diluendum; niſi inter milites *Anglos* & *Hibernos* malè conveniret, & ſuos *Hibernos* integros ſervaret prælio, *Cromwelliúm*que ſaltem multitudine præſidiorum diſtraheret; copiis ipſius jam imminutis, & ægrè ducentibus ilia, præ laſſitudine, dyſenteriâ, ſub dio habitatione, & ob defectum hybernorum detritis.

Hinc Roſſium ducit, (ægro licet ac imminuto exercitu)

cui præerat Taffus, receptis jam modò mille quingentis auxiliaribus.

poſt primam tamen aggreſſionem tradit Oppidum; migratque Kilkenniam cum mille quingentis.

Sub id tempus, interventu *Danielis Onealii*, firmata pax erat *Proregem* inter & *Owenum Row Onealium*,

Pax Proregem inter & Owenum.

Onealium, cæteróſque *Hibernos Pontificios*, iiſdem ferè conditionibus quas *Pſeudo-ſenatui* ſuprà retulimus oblatas, & rejectas; junctæque utrinque copiæ in unum coaluerant. At *Owenus* fato propediem conceſſit.

qui mox fato conceſſit.

Principes Rupertus & Mauritius cum ſex navibus oris invigilant Hibernicis, & inſequente Blakio fugiunt in portum Kingſaliæ.

Nec ſilentio prætereundum eſt, auſos iſtâ tempeſtate Principes *Rupertum* & *Mauritium*, non niſi ſenis navibus (è claſſe illa quæ duobus retrò annis à *Pſeudo-Parlamento* defecerat reſiduis) infeſtare maria, oris *Hibernicis* invigilare, milites hinc indè & commeatum immittere, hoſtiúmque quoquo modo ſuppetias interturbare. Verùm inſequentibus eos cum inſtructiore claſſe *Blakio Popbamióque*, ad portum *Kingſaliæ* refugiunt; & exinde (nautis feriantibus, & ad contraria ſigna indies allectis) ut ſuæ ipſorum quodammodo conſulerent incolumitati, à ſuperventura, quam præſagire poterant, *Momoniæ* defectione præcaventes, útque liberi maris uterentur opportunitate, favente vento æſtúque, per mediam hoſtium claſſem erumpunt; duorúmque ſolummodo navigiorum jacturâ, è naſſa illa ſe extricantes, verſus *Portugalliam* vela dirigunt.

obſeſſi per melios hoſtes elabuntur, ad Portugalliam navigaturi.

Sed hæc extra callem. Redeo ad *Cromwellium*, cujus Victorias non ea erant *Brigæ* fluenta quæ ſuis ripis terminarent. Nam ponte ſublicio è cymbis aſſeribúſque contabulatis, ad *Roſſium* conjungit utramque ripam; *Eſtionegio* priùs capto, oppidulo quidem, ſed mœnibus circundato, ejuſdem fluminis margine citeriore poſito, ſupra *Roſſium* milliaribus quinque. Dein tranſmiſſâ per pontem equitatûs magnâ parte cum expedito peditatu, *Carycium* ſui juris facit, oppidum in *Suiri* fluvii ripa, ſupra *Waterfordiam* octonis milliaribus; fluvióque mox trajecto, *Paſſagium* capit, propugnaculum ſanè munitiſſimum, cum quinque tormentis, duobus infra *Waterfordiam* milliaribus ſitum, ubi *Suiro* cum *Briga* ſociales undas ad mare volventibus, difficiles in urbem reddun-

Eſtionegio capto Cromwellius Brigam flumen trajicit ponte ſublicio.

Carycium expugnat, & Paſſagium

UM

duntur subvectiones. Imò & ipsam aggredi ausus est *Waterfordiam*, quanquam irrito conatu. Sed *Dungarvania*, (quam milites *Angli* defendere potuerunt) in potestatem cum tormentis & commeatu se tradit.

Waterfordiam aggreditur, sed frustrà.

Atque jam tandem stativa meditatur *Cromwellius* militibus reficiendis, quorum non ampliùs quater mille sanos numerabat. *Prorex* è contrà octo millia, quanquam magna ex parte belli inexpertorum, opportunè tamen disposita. Quid verò faceret, aut quò pergeret, haud satis liquidò constabat. Nec enim *Dubliniam* repetere, tam longè dissitam, licebat absque præliandi necessitate; neque hîc loci, nisi summo cum incommodo, hybernare, hostibus undique circumpositis, qui continenter lacesserent, & commeatum interciperent.

Jam tandem cogitat de Stativis.

Ista dum animo versaret, exoptatissima obtigit, atque diu à *Cromwellio* sperata, integræ quæ *Regi* adhærescebat *Momoniæ* ad partes *Pseudosenatûs* defectio. Spem hujus olim excitârant milites quidam confœderati, si quando affulgeret occasio; atque jam, incumbente confiniis *Cromwellio*, *Brigâ*que flumine superato, cùm viderent in propinquo suppetias, promissum facinus haud verentur aggredi.

Tota opportunè deficit Momonia:

Youghaliæ olim comparuerunt primæ incendii stricturæ; quam *Prætor* & cives haud pauci, conspirantibus duobus *Tribunis* aliisque *Ductoribus*, pacti sunt *Cromwellio* in manus tradere. Proditionem subolens Baro *Inchiquinius*, comprehensos illicò *Prætorem* & milites. *Corcagiæ*, *Youghaliæ*, *Kingsaliæ*que carceribus diribitos inclusit, usque dum in rebelles vacaret enucleatiùs inquirere. Sed malè cessit istud custodiæ genus, dum scintillas eò latiùs dispergeret. *Corcagiæ* siquidem *Tribuni* negligentiùs quàm par erat custoditi, ductores alios post alios in sceleris confortium pertrahunt; absentéque *Inchiquinio*, dum stationibus

Proditione olim attentatâ Youghaliæ.

jam Corcagiæ peractâ;

ſtationibus oſcitantiùs inhærerent milites, derepentè corripiunt oppidum. Indè in *Youghaliam*, *Kingſaliam*, *Bandon-pontem*, *Mallovium* & alia loca diffunduntur igniculi, donec ſubitò ſupervenientes Baro *Broghilius*, Tribunus *Pharus*, nec non plures à *Cromwellio* immiſſæ copiæ, pabulum incendio latè ſubminiſtrant.

ubi incarcerantur Inchiquinii Uxor & liberi,

Corcagiæ diripiuntur *Inchiquinii* bona; cujus nec Uxori ſtolæ verecundia privilegio fuit, nec ſoboli ætas malitiæ expers; nam omnes in cuſtodiam ſimul traditi, nec niſi per modum Cambii (quod brevi pòſt contigit) libertate donati. Hìc demum ineunte *Decembri* milites ſuos in ſtativis repoſuit *Cromwellius*; & *Proregis* fefellit expectationem, qui *Dubliniæ* viam interceperat, cum exercitu duplò numeroſiori. Nec pigebit hìc loci *Joneſii* obitum adnotare, nam idem circa tempus contigit; qui lauream, quam à *Rebellibus* in *Hibernia* pridem devictis reportârat, *Regicidarum* ad ſuprema uſque tutando cauſam fœdè commaculavit.

militéſque in ſtativis reponit Cromwellius.

Joneſius moritur.

Prorex indicit Concilium generale, ſuadétque diſſidentium unionem:

Prorex autem, ut futuris tempeſtatibus pro virili obniteretur, *Concilium* indicit *Generale*, diſſidiáque hoſti publico perquam grata & lucroſa graviter perſtringens, *Clerum*, *Nobiles* & *Generoſos* ad pacem invicem ſervandam adhortatur, monſtratis quo pacto fieri id poſſet rationibus. Hinc omnes pœnitentiam ante-actorum ſimulare,

quam ſimulant omnes.

dextras jungere ſociales, mutuáque officia polliceri; *Proregis* inſuper juſſa à contemptu vindicare, militum ſtipendia procurare, de ſtationibus & belli rationibus decernere, Municipes præſertim *Limiricenſes*, *Waterfordienſes*, & *Galvienſes* ad obſequium & ordinem ſuadere.

Paſſagium recuperare inſtituit per Farellum;

Animum exinde recolligit *Prorex*, & reficiente militem ſuum in hybernis *Cromwellio*, *Paſſagium* & *Wexfordiam* recuperare inſtituit: quorum alteri negotio deſtinatur *Farellus* cum copiis *Oweni Row Onealii*; alteri *Inchiquinius*, *Armſtrongius* & *Treverus*.

Treverus. *Farellus*, clàm ducens ad *Paſſagium*, dum aliis ſtruit inſidias, ipſe labitur in decipulum. Nam re ſtatim à *Cromwellio* perſpectâ, Tribunus *Zankius* à tergo inſequitur, territat, fugat, captíſque ducentis, trecentos Orco demittit, neminem relicturus cladi ſuperſtitem, ni ſemet *Farellus* in ipſo temporis articulo lembis, cymbis, lintribúſque in obverſam ripam tumultuosè contuliſſet.

qui à Zankio intercipitur & fugatur,

Hoc infortunio liquidò comparuit quo animo eſſent *Waterfordienſes*; dum obnixiùs efflagitante *Farello*, cymbarum, quibus abundabant, uſum fugientibus abnegarent; nec intra oppidum dignarentur periclitantes recipere, imò nec parti cuilibet copiarum extra mœnia hybernandi veniam darent, oblatâ licèt optione, quaſcunque copias, Tribunos quoſcunque deligendi; nec denique ſtipendia victui & neceſſariis comparandis numerarent.

fruſtrà Waterfordienſium ope imploratâ.

Haud melioribus avibus expeditio ceſſit *Wexfordiana*; eò ſiquidem ducens *Inchiquinius*, cùm jam non niſi quinis abeſſet milliaribus, ſiniſtro fato in *Nelſonum* incidit, exercitûs Inſtructorem, cujus erat tractui iſti invigilare: hunc adortus eſt *Inchiquinius*; quorum etſi fugerent aliqui, à reliquis tamen condocefactus eſt, non adeò levi negotio *Wexfordiam* poſſe ſubigi; movénſque ad *Arkloviam Huſonus*, nè pergeret ultrà, perterrefecit: inſuper inter milites malè conveniebat.

Inchiquinius Wexfordiam recuperaturus, à Nelſono præeditur.

Eâdem circiter tempeſtate, partim è *Briſtolienſi* portu, partim è *Milfordienſi*, peropportunè recipit *Cromwellius* & ſuppetias & commeatum. Quibus abundè refocillatus, ſub exitum *Februarii* convaſatis omnibus, inſtituit in hoſtica profectionem. Placet autem partitis copiis in diverſum ire, ut hoſtem dubium quò tenderet reddat. Præcedit ipſe cum ferentario equite & peditatûs parte per *Mallovium* ſuperiorem viam in Comitatum *Tiperarienſem*. Aliâ *Iretonus* & *Reinoldus* cum

Suppetiis ex Anglia receptis, Cromwellius in hoſtica proficiſcitur, partitis copiis.

cum equitatu gravis armaturæ & copiis pedestribus, machinis majoribus & commeatu, *Carycium* incedunt. *Broghilius* Baro cum aliqua equestrium parte retrorsum invigilat, *Momoniam*que ceu domum custodit, hinc & indè movens, & in omnia intentus, nè quis fortè hostium à tergo infestet. *Ingolsbeius* in mandatis habuit, selectâ manu prope *Limiricum* excubare; ubi trecentos *Inchiquinii* equites, unà cum Tribunis tribus aliisque Ductoribus, in stativis corripuit; è quibus Tribunos duos sclopetarii pilâ trajiciendos damnavit *Broghilius*.

Plurima præsidia facile occupat.

Cromwellius castrum *Cahirum*, edita in rupe *Suiro* circumfluo extructum, ut & *Kiltenon*, *Goldenbrige*, *Clogen*, & *Roghillium* castra expugnans, ad *Calanum* substitit, ejusdem cum fluvio nominis oppidum; ubi cum altera exercitûs parte conveniunt *Iretonus* & *Reinoldus*; pluribus in via castris devictis, uti *Arkenome*, *Dundro*, *Knocktoverio*, *Bullinardo*, aliisque, *Calanum*, tribus castris circumseptum, fugante centum & viginti equites *Reinoldo*, unius dieculæ spatio sub ditionem redigunt, victósque morte plectunt universos; exceptis *Butleri* copiis, qui ante fragorem auditum tormentorum imperati deditionem fecerunt. Ex eo *Fetheredam* occupant, *Sanctique Thomæ* quod vocant oppidum, & loca circumposita. Ad hæc, *Hulonum* è *Dublinia* obviàm vocat *Cromwellius* cum additamento militum, quotquot vel propinquæ stationes vel *Wexfordia* subministrare poterant: horum autem tria millia & quingenti numerabantur. Ille, captis obiter *Bellisano* & *Kildariâ*, viam ad *Lechliniam* emetitur; quâ fine difficultate sub jugum missâ, *Brigam* flumen pertransit, atque *Cromwellio* adunitur. Cujus in coalitionibus primitias (jámque adimplebant peditum undecim, equitúmque quatuor millia plûs minùs) *Goram* oppidum impugnant; quæ, sive suis viribus præsisa, sive *Ormondianâ* sub *Hammondii* ductu

Husonum Cum suis copiis ad se vocat.

Junctim Goram expugnant.

ductu Legione freta, malo ſuo fato auſa eſt obniti. Sed cum aliquantiſper conquaſſarentur mœnia, ſeditioſè tumultuantibus præſidiariis, confeſtim tradita; nec aliam Victor, præter *Tribuni Ductorumque* glande plumbeâ trajectionem, vindictam poposcit.

Dehinc itur ad *Kilkenniam*, quam *Neorus* fluvius interſecat, municipium peramœnum, & inter *Hiberniæ* mediterranea facilè primum; ſed idem fons & caput infandæ Rebellionis; *centrum* jure dixerim, è quo *Proditiones* omnes & conſilia *Regi*, *Patriæ*, *Religioni*que funeſtiſſima, ceu lineæ totidem emanârunt; *Concilii* magni *Delegatorum* hucuſque ſedes, qui jam, capitibus imminente periculo, in *Athaloniam* aufugerant, ad *Sineon* flumen *Connaciæ* conterminam, negotiis ſuis exinde ſecuriùs conſulturi. *Tripartita* ea Civitas: primâ trans flumen parte, ſecundâ cum caſtro ex adverſo poſitâ, tertiâ mœniis interpoſitis divisâ. Copias huc admovet *Cromwellius*, atque pro more militari deditionem imperat: abnuente *Præfecto*, non ultrà moratus vim parat; obſervatóque ad civitatem oppugnandam loco commodiſſimo, protinus adferuntur operæ, atque à ſuggeſto è tormentis muralibus detonatur in mœnia. Ibi *Præfectus*, diſcriminis jam admonitus, confeſtim jubet ex adverſo duos aggeres cum ſepimentis, ex palis telluri infixis, vallis extrà objectis, excitari, machináſque obverti in introitum: adſtabant etiam ponè denſati militum ordines, qui exciperent. Muri labefactantur, & conſpectui nova patent munimenta. Igitur ad facilitandum aggreſſum, circumflexo itinere jubet *Everſum*, alterum in oppidum huic adjunctum cum millenis militibus eâdem operâ inſultum facere. Pugna committitur, conatu ſanè majori quàm ſucceſſu; quippe in qua obſeſſores repulſam patiuntur, ſeptuaginta plus minùs amiſſis, & interemptis ſimul duobus Tribunis aliiſque Ductoribus.

Indè Kilkenniam, concilii Delegatorum ſedem, profecti ſcuntur.

ribus. Veruntamen oppido potitur *Ewerſius*, quod etiamſi ab altero dividuum, eidem ſalteni coarctando, diſtrahendiſque præſidiariis, inſerviturum. Poſterâ nocte, trans flumen alius *Ductor* mittitur cum manu militum, ut inalbeſcente cœlo aliud in oppidum irrumpat; quo cum triginta hominum jactura effecto, dum ignem portæ injicere tentabat, ad viam in Civitatem ſupra pontem patefaciendam, quinquaginta plùs minùs, glandibus expoſiti, conſidêre. Tandem *Gubernator*, omni ex parte oppugnationem fieri, & in vanum ſuppetias expectari videns, pactis hiſce Articulis Civitatem in hoſtiles manus unà cum Caſtro conſignat. *Tradantur Cromwellio tormenta, cum armis, omnique bellico apparatu. Civibus univerſis aliiſque vel ibidem commorari, vel aliò migrare, pro libitu ſuo fas eſto. Militi cum Ductoribus licitum ſit armatis, cum ſupellectile, Athaloniam proficiſci. Duo millia librarum à Civibus Cromwellio perſolvantur.* Atque ità, octiduo (nec enim diutiùs obſidio iſta perduraverat) legem ſibi comperit impoſitam *Kilkennia*, quæ per annos haud paucos legem omnibus præſcripſerat.

quæ ſtrenuè colluctata, tandem cedit, pactis articulis.

Obſidio Clonmellii.

Proximè ſuccedit in ſcenam belli *Clonmellium*, nobile municipium, ſat frequens incolis, & mœnibus circundatum, quatuor leucis à *Waterfordia*, *Suiro* adjacens. Hoc *Hugo Boy Oneale*, duobus millibus peditum circumſtipatus & centum equitibus, tutabatur. Auxerat viri famam ſedulitas; quippe qui receptacula, cum ſublunaribus vallis, tranſverſiſque ſepimentis ad hoſtes averruncandos fabricârat. Huc jam belli molem transfert *Cromwellius*. At poſitis caſtris, & probè communitis, aliò mittit equitatûs millia duo cum quingentis, ductoribus *Reinoldo*, fratréque nuper extincti *Joneſii Theophilo*, ad *Proregis* delectus interturbandos, & oppida ſimul pro data occaſione ubivis perdomanda.

Reinoldus mittitur ad interturbandos Proregis delectus,

Inaudierat

Inaudierat enim *Proregem*, concelebrato *Nobilium* & *Antistitum Hibernorum* Concilio apud *Baltimorum* in Occidentali *Midia*, statuisse, ut ex una parte, nimirum Aquilonari, lacesseretur *Cromwellius*, & frequentatis incursionibus inquietaretur, dum interim delectus ipse faceret majores, provinciarúmque vires consociaret: ex altera, videlicet Australi, *Rossiensis* Episcopus obsessis *Clonmellienſibus* opitularetur, vel saltem *Cromwellium* aliquatenus distineret. Verùm *Reinoldus*, equitatu multò superior, *Proregem* antevertit, & quasi indagine quâdam irretitum exagitans, intuta reddit omnia; nec antè destitit, quàm in *Connaciam Castriportûs* Comitem omnésque Castrorum Præfectos depulisset. Insuper, auctarii loco, prope *Trimmium*, *Baldhusium* cepit; nec non *Fineagium* ad deditionem impulit, aliáque loca circumvicina. *prospero cum successu.*

Sed *Anglorum* cervicibus major tempestas ingruebat ex *Momonia*; *Rossiensis* etenim Episcopus, ægrè ferens tot bellatorum qui *Clonmellii* obsidebantur vicem, cum quatuor millibus peditum & trecentis equitibus insurgit ad vindicias. At commodùm occurrens *Broghilius* cum mille ducentis peditum equitúmque mille quadringentis (quorum ipse partem habuit, partem recepit à *Cromwellio*) levi negotio fundit universos fugátque; cæsis aut mutilatis septingentis, captísque centum, & inter illos *Episcopo*; quem, ob insulam in sagum versam, gladiíque pro spirituali militaris prensationem, *Broghilius* ignominioso necavit suspendio, coram *Caringdredo*; quod præsidium, ipsius auspiciis nuperrimè in *Momonia* captum, noluit antè tradere *Capitaneus*, quàm trísti hoc spectaculo perterrefactus. *Episcopum Rossiensem Clonmellio auxiliaturum capit atque arbore suspendit Broghilius.*

Procedit interea *Clonmellii* obsidio; quam etiamsi peranimosè sustinebant præsidiarii, hostémque semel ferociùs irruentem, perempto Tribuno *Culhamio*, aliísque compluribus, repulissent; *Præsidiarii, deserto Clonmellio, nocturnâ fugâ sibi consulunt:*

pulissent; veriti tamen, cùm nulla subsidii spes illucesceret, *Cromwellii* sub cruentis manibus tandem se casuras victimas, mediâ nocte convasatis omnibus, deserunt oppidum, fugâq; sibi consulunt. *Prætor* & Cives, defensoribus orbati, omissâ transfugii militaris mentione, armistitium petunt; atq; sub conditione servandorū à direptione larium, & vitæ licentiâ singulis indultâ, portas haud illubenter adaperiunt. Prodente fraudem diluculo, ringitur *Cromwellius*, mittitque turmas quæ à tergo insequantur. At evaserant priùs in tutum, tumulos & impedita locorum noctu transgressi; milites multos tamen, aut vulneribus, aut quâcunq; causâ tardatos, inter quos mulieres non paucas, assequuti *Cromwelliani* absque miseratione contrucidant. Postea, quæ *Duncannoniam*, *Waterfordiam* & *Carlovium* circumstabant oppidula expugnantur; ut ea validiora præsidia in arctum redacta, si non vi & impetu, saltem inediâ & marcore aliquando frangerentur.

quos frustrà insequitur Cromwellius.

Plura Oppidula levi negotio subjugat.

Nec impari successu residuas *Hiberniæ* plagas persultant *Præfecti Cromwelliani*. *Cootius* enim senior, *Venablio* associatus, in *ultonia* (ut primaria solummodo munimenta recenseam) *Culmorum*, *Doneum*, *Enis* castrum in lacu *Suillio* situm, *Colranum*, Salmonum capturâ nobile, super *Banam* fluvium opportunè locatum, *Armacham*, & (deletis quà *Scotis*, quà *Hibernis*, quos ad obsidionem solvendam ter mille & quadringentos ducebat *Monrous Scotus*) *Knockfergum*, *Belfastum*, *Castrum-Jordanum*, *Carlingfordiam*, *Margraffiam*, *Monaghan*, *Liskelagham*, expugnavit. Tandem *Eter-macmahonem* profligavit Episcopum *Clogeri*, qui *Nobilium ultonienſium* calculis *Owenalio* demortuo succenturiatus, quatuor millia pediratûs & quingentos equites moderabatur. At commisso prælio fracti omnes, & infulatus ille *Dux* laqueo strangulatus. De Exercitu isto adnotatu hoc

Cootii senioris sacirona in Ultonia.

qui Episcopum Clogeri, Ductorem exercitûs, capi, & suspendio onerat.

hoc dignum, è ſolis conflatum eſſe *Pontificiis*, qui ſibi palmam eò fidentiùs pollicebantur. *Charlemontium* plurimâ ſanè moleſtiâ conſtitit, nec tandem niſi optimarum conditionum compotes abſcedere *Præſidiarii*. *Huſonus* etiam *Kilmalocum* devicit, *Hariſtonum*, *Naum*, *Foſſam-nigram*, *Rabrigam*, *Talboem*, *Atheum*, *Dermitii caſtrum*, &, quæ ſuprà nominavimus, *Kildariam*, *Belliſanon* & *Lechliniam*. Mitto conſultò *Tekrohanam*, & alia quæ *Reinoldus* & præfecti alii ex Occidentali plaga *Lageniæ* perdomuerunt. *Huſoni Victoriæ.*

Menſis jam inibat Maius, cùm *Cromwellius*, anno vix dum elapſo, mirâ armorum felicitate per tres *Hiberniæ* Provincias victricia ſigna extulerat, planè ceu fulmen alterum Belli; de quo verè dici poterat (imò & cum laude, ſi ad *Principis* ſui nutum dimicâſſet) *Veni, Vidi, Vici*, jámque ad alia caſtra & novos labores adverſus *Scotos* evocatur; cujus veſtigia premere feſtinabit calamus, poſteaquam rerum *Hibernicarum* reliquias, non niſi ſummos perſtringens apices, uno ſub intuitu contemplandas poſuero. *Cromwellius Hiberniâ fere intra annum devictâ, domum revocatur, ad expeditionem Scoticam capeſſendam.*

Igitur maturans iter *Cromwellius*, in Ducem *Hibernici* belli generum reliquit *Iretonum*; qui haud ultrà moratus *waterfordiam* circumcinxit, aliáque duo ſimul caſtra, *Carlovium*, necnon *Duncannoniam*. *Waterfordiam* tenebat *Preſtonus*, præfectus militum; gravatè ſatis gubernans tot munitionibus circumdatam civitatem, liberatione nullatenus expectandâ. Attamen ille altiore primùm cothurno incedere videbatur, conditionéſque haud abſimiles poſtulat. Quibus ab hoſte deſpectis, quando aggere vallóque incluſum ſemet conſpicatur, ſuggeſta tormentaria ſtatui, librari machinas, & exinde intonari, demiſſiùs paulò ſe gerit, iſtiſque tandem aſſentitur Articulis: *Naves, tormenta, bellicus apparatus cum publico commeatu cedant Reipublicæ. Gubernator, omnes Tribuni, minoréſque Ductores & milites, cum equis, recinentibus* *Generum ſuum Iretonum Hibernico bello præficit: cui obſeſſa Waterfordia ſe dedit, pactis articulis;*

tympanis, inflatis tibiis, vexillis undantibus, onuſtis globulo ſclopetis, & incenſis ſunalibus, Atholuniam cum ſalvo (quod vocant) *conducto proficiſcantur. Oppidanorum pars ægra vel mutilata, uſque dum convaluerint, ibi loci commorentur. Trans mare familias ſuas aſportaturis trimeſtre ſpatium concedatur. Domi permanſuri immunes ab injuria ſunto. Bona Preſtoni, vel hìc vel alibi apud Carlovium quæcunque, liceat ejus famulis convaſare ac deferre.*

pari modo etiam Carlovium & Duncannonia.

Eodem ferè modo & iiſdem legibus è *Carlovio* & *Duncannonia* mille & quingenti ſub ductu junioris *Preſtoni* (nam ſenior morbo decubuit) exiere.

Clerus Pontificius peſſimè in Proregem animatus;

Sed ad *Proregem* redeat oportet hiſtoriæ filum; Cui ſicuti priùs omni ratione *Clerus* obſtiterat *Pontificius*; ità ruentibus jam rebus, & in peſſum quotidie divergentibus, contemptum prælicenter & effuſe cumulant. Etenim tumultuantur jam palàm, alióſque conſimili tumultuandi libidine inficiunt. Barone coram *O-Brian Inchiquinio Proregem* criminantur, ceu rerum *Hibernicarum* perturbatorem, quo diutiùs ad clavum ſedente, confeſtim omnia collapſura; ipſe verò ſi manum ſolus gubernaculis admovere dignetur, quem fortem, vigilantem, fidum, fortunatúmque *Ductorem* comperiſſent, *antiquâ Regum proſapiâ* oriundum, ejus in obſequium juraturos omnes pollicentur, ejus imperio lubentiſſimè parituros. *Proregi* viciſſim in aurem inſuſurrant, *Inchiquinium*, perduellem olim acerrimum, nondum veteris inimicitiæ poſuiſſe memoriam; nec velle animitùs eorum cauſam defenſitare, adverſùs quos ferrum diſtringere tamdiu conſueverat. Hujus in abdicationem ſi *Prorex* conſenſerit, *Hibernos* in unum coalituros, dictis ipſius apprimè morigeros. Ità nefario conatu, dum, utrique ex æquò infenſi, utrumque ſugillant, diſſidiis incumbunt proſeminandis.

à quo Inchiquinium abalienare conantur,

uti & ab Inchiquinio Proregem.

At

At *Prorex*, *Epiſcopos* & *Primores* conveniens, hortatur ſeriò, ut *conſopitis tandem aliquando privatis litibus odiiſque, aut ipſi ad conſopiendum relictis, in commune conſulant, redeant in gratiam, defenſionique magis efficaci unanimes compareant. Reputent, quanto in diſcrimine verſentur omnes, tribus propemodùm jam devictis Provinciis, ultimâ mox prædæ futurâ. Sin minùs ad ſalivam faceret ipſius regimen, obeſſétque patriæ defenſioni, maturaret ille diſceſſum lubens, alteri onere commendato.* (Impetrârat clanculùm abſcedendi copiam, *Rege* apud Inſulam *Farſeiam* etiamnum agente, rerúmque ſummam *Clanricardo* detulerat.) Hiſce auditis, omnes dolorem altum ſimulare, omnes ipſius arbitrio acquieſcere velle, ſuſpiciones mutuas ablegare, ad obſequium denique ſuadere Municipia. Recedunt vultu alacres & lætabundi, quaſi *abundè factum eſſet ſatis*; reipſâ tamen veſaniæ ſuæ certi ac tenaces: Adeò pro comperto eſt, *quos perdere vult Deus, eoſdem & dementare.*

Municipes etenim & *Clerus Pontificius*, factâ privatim coalitione, conciliabula celebrare, infaméſque libellos procudere, quibus virus acerbitatis evomentes *Proregem* calumniantur ceu *ignavum, meticuloſum, & proditorem*; *Diplomata vitio vertentes Reformatæ Religionis Ductoribus indulta*; *militiámque ſtomachantes hominibus ineptis, ſcortationi, aleæ, helluationi, & impietati mancipatis concreditam.* Epiſcopi *Corcagienſis*, *Tuamenſis*, *Clonfertenſis*, Clericíque cæteri abrogatum pronunciant gubernium, & Excommunicationis fulmini obnoxios *Proregis* ſectatores. Igitur & exercitum diſſipari antè jubent quàm de novo proſpici potuerit conſcribendo. *Prorex* nihilominus, ut fidas *Regiæ Majeſtati* pro virili ſuo aſſervaret, Comitis *Clanricardi* curæ demandavit copias, *Deputati* ſeu *Proregis* titulo inſigniti; qui junctis omnium qui *Regi* adhæreſcebant ſuffragiis cooptatus, in ſe recepit armorum imperium.

Prorex ad concordiam hortatur & obſequium.

Imperio jemet abdicaturus, in commune bonum.

Hiberni dolorem ſimulant in præſentia;

mox tamen de novo calumniantur.

ejúſque gubernium abrogatum pronunciant.

Cedit igitur, & Clanricardum ſibi ſubſtituit:

Nui novo facto militum delectu,

Instituto mox Armilustrio, novi delectus fiunt, exercentur in re militari, impedimenta bellica apparantur, classicum de novo canitur, etiam *Clero* ardore magno insuffiante, operâque adjuvante populo.

novet prosperè lacertos, donec Axtelius, qui post primum congressum recesserat, ad supplementa comparanda,

Sub id ferè temporis *Ireton* ad hyberna *Dubliniæ* se receperat, ut futuro de bello rebúsque aliis cum *Procuratoribus* Reipublicæ consultaret; *Axtliúm*que jusserat *Kilkenniæ* præfectum invigilare Præsidiis *Athaloniæ* circumvicinis. Incidit ille fortè fortunâ, dum officio fungitur, in hostiles *Clanricardi* copias; quæ *Sineon* flumen *Athaloniæ* pertranseuntes nonnulla ceperat *Ireton* Præsidia; plura, nisi commodùm adventâsset, expugnaturæ. Involant in *Axtelium*; qui longè impar numero, recessit aliquantisper, quoad à *Wexfordia* locisque aliis auxiliare supplementum nactus, suis octingentis (nec enim plures numerabat) mille trecentos adjunxisset: dein retroversus subsitit. At cùm velitari cœptum, etiamsi quinque millia peditum implerent *Hiberni*, cum quadringentis equitibus, non ausi tamen belli aleam pertentare, versus *Sineon* flumen se recipunt, binisque paludibus apud *Milechum* circumpositis delitescunt, sudibus & palis, terrâ superingestâ cespitibúsque, gemino quasi muro, communiti. Cæterùm *Angli* (uti Solertiæ nihil impervium) perrumpentes obstacula, strenuè illos è stationibus expulêre, quingentis partim occisis, partim in flumine demersis. Hâc acceptâ clade, satius visum est per inhorrescentem jam hyemem intra *Sinei* fluenta, vastósque lacus, & *Curluvios* montes militem continere, quàm hostem, cui è successu crescebat indies audacia, ulteriùs provocare.

binis paludibus communitum è stationibus expulit, & profligavit.

Hiberni cur adeò pusillanimes.

Demirari pronum erit Lectoribus, adeò meticulosos & pusillanimes per totam hujus Belli seriem *Hibernos*, quasi è Viris degenerâssent in fœminas, nullibi non amissâ fœdè victoriâ, quam

quam

quam pro aris & ſocis decertabatur. Sed exuet facilè ſtuporem quiſquis æquâ lance momenta rerum penſitaverit. Ex una ſiquidem parte comperiet *Anglos* bellico apparatu omnibuſque prælio neceſſariis inſtructiſſimos, præterea & unanimes, & bellandi gnaros, nec non armorum continuâ felicitate (uti aſſolet) præfidentes: *Hibernos* ex altera ferè inermes, telis & apparatu plerumque deſtitutos, malè inſuper inter ſe cohærentes, factionibus miſerum in modum divulſos, & militiæ rudes, necnon inclementiâ novercantis uſque Fortunæ quaſi elumbatos. Adde, quòd nec *Peditatu* nec *Equitatu* noſtratibus pares (quantumvis in exteris regionibus animoſi.) Gregario militi neſcio an abdita paludum & ſaltuum, perfugio opportuna, & probè perſpecta, fugiendi libidinem præproperè injiciant; an ex vi diuturnæ conſuetudinis, aſſueta plagis terga non poterint non & *Anglis* obvertere. Cæterùm *Equitatum* quod ſpectat, longo ſuperamus intervallo, (præterquam quòd noſtri duplo ſuperiores numero) ſeu equos intueare, ſeu inſeſſores. *Equi* inceſſu quidem molli præcedunt; at mole corporis, virium lacertis, animique vigore, una ipſorum turma tribus propemodum *Hibernicis* præpollet, ordinéſque diſturbat efficaciùs. *Inſeſſores* autem conferre gradum, ſclopos è propinquo ad pectus exonerare, gladiis exertis cominus depugnare. Hinc ad primum in omni conflictatione inſultum fugam auſpicantur *Hiberni*, nec intuitum noſtrorum, nedum hinnitum, ferunt. Parcat candidus lector, quòd apologiam hanc pro gente *Hibernica*, ceu laciniam operi attexuerim; nunc ad rerum geſtarum enarrationem redeo.

Comparantur cum Anglicano milite.

Rigente jam brumâ, tempeſtivè acceſſit à *Duce Lotharingiæ* Procurator, Epiſcopus *Sanctæ Catharinæ*; qui ſex millia nummorum ſecum attulit in pignus affectûs, (pollicitus & ampliorem

Tractatum cum Duce Lotharingiæ.

ſummam, ſi convenerint in tractatu) grandem Regno, incolis, & *Regi* præ ſe ferens obſervantiam. Conditionum capita quibus calamitoſis auxiliaretur iſta propoſita: *Dux denis peditum, quinis equitum millibus circumſtipatus, cum triginta navibus, Protectoris titulo in Hibernia militabit. Eboraci Dux hujus filiam ducet uxorem. Limiricum & Galviam, cum apparatu, machinis, tormentis & commeatu bellico penès eundem ſunto. Cautionis ergò quædam conſignentur oppida in pecuniarum erogandarum fidem. Incolis curæ ſit, nè Connaciam ingrediatur hoſtis, uſque dum ipſe adventaverit.* Hiſce ſuper Articulis diſceptatum eſt, an & pactum, neſcio; abſceſsitq; Legatus Dominum ſuum commonefacturus. At impar ille *Atlas* ruenti cœlo; tantúmque temporis tractando inſumptum, ut præterlapſa ſubveniendi opportunitas calvum objectaret occipitium.

ſed infructuoſum.

Vernare jam annus occeperat; ſed Autumnum ſentire videbatur ſtatus *Hibernicus*, falce mox demetendus. Quod ſolum potuit, caudà minatur *Clanricardus*, & nonnullos profert expirantis *Hiberniæ* quaſi convulſivos motus, membrorúmque vibrationes, veluti cùm ſupremum exhibet fulgorem Lucerna mox emoritura. Circumſpicit ille omnia, quà irrumpi ab hoſte potuit in *Connaciam*; ad *Sinei* fluminis trajectus omnes cuſtodem diſponit militem, pariter ac ad *Raurim* fluvium, & *Curluvios* montes, quà patebat cunque tranſitus.

Clanricardus tranſitum omnem in Connaciam hoſti præripit.

Interea *Iretonus Cootium* evocat ex *Ultonia* cum duobus millibus equitatûs totidémque expediti peditatûs, ut ſibi prope *Galviam* adunaretur. Hic, ut hoſtem eluderet, iter ſe ad *Slego* facturum ſimulat, ibíque ſubſtitit, quaſi Caſtrum obſeſſurus; donec eò vim totam *Hibernorum* attraxerat: indè ſubitò retroverſus, per *Curluviorum* montium juga tranſitum invenit haudquaquam difficilem. Nunc autem, quem ſibi aditum in *Connaciam* patefecit

Cootius tamen per dolum ingreditur, Curluvios montes ſupergreſſus,

Iretonus

*Ireton*us narrare convenit. Ille (relictis in *Momonia Broghilio*, ex oppoſita *Limirici* parte *Ingolſbio*, *Huſono* in *Midia* Occidentali, *Venablio* in *Cava*, *Zankio* in *Tipperaria*) copias ducit ad *Sineon* flumen, & in tribus ſimul locis (*Killaloe* non ſine proditionis ſuſpicione) tranſgreditur, cymbis immiſſo peditatu, equitibúſque magna ex parte tranatibus: claſſicum interim in *Athaloniam* recinente *Huſono*, quaſi mox invaſuro. *Clanricardi* ex omni loco ejiciuntur copiæ; dein per pontem è trabibus tabulatis & aſſeribus ſtratum, tormenta, machinas, aliáque tranſmittit impedimenta; nec ultrà moratus, ex conducto convenit *Cootium*.

Iretonus Sineon flumen tribus in locis ſuperat.

Impare congreſſui hoſte, capitur *Athalonia*, *Portumnus*, *Regia*, & minora quælibet circum præſidia. Tum dividuo exercitu ducunt, hic *Galviam* versùs, ille *Limiricum*. *Farellum* cum exercitu trium vel quatuor millium in loca inacceſſa citra *Galviam* depulerat *Gootius*: hanc itaque jam auſus accedere propiùs, penès ſtativa figit, vallo & aggere munita, deditionémque imperat. Reſpondetur, *Conditionibus pro tota ſimul Hibernia ſcriptis ipſam haud illubenter auſcultaturam*. Cùm verò non niſi *privatas & peculiares* concedere dignaretur, utrinque ad bellum accingitur.

Capitur mox Athalonia, cum præſidiis aliis. Abacto procul Farello, Galviæ imminet Coo.ius.

Interea munitionibus undiquaque cingebatur *Limiricum*, obſtructo etiam flumine *Sineo*. Per tres circiter ſeptimanas expectabat *Muskerii* opem, quem obſervans *Broghilius* tempeſtivè repulerat, extinctis diſſipatiſve copiis. Effulminatur itaque continuis tormentorum diſploſionibus; opera promoventur ad Civitatem uſque. Nec minus intra muros periculi quàm extra; peſte nimirum inter Oppidanos diu ſæviente, gliſcentibúſque, ceu alterâ graviori peſte, diſſidiis inteſtinis. Pars oppidum ocyùs tradendum ſuadet; pars, extrema omnia priùs toleranda.

Limiricum obſidet Iretonus;

Vincente

Pactisque (sed nondum consignatis articulis) capit.

Vincente quæ deditionem fuaserat sententiâ, deventum ad Articulos; quibus nondum consignatis, panduntur portæ, pignoríque ad demerendos hostium animos Castrum conceditur. *Milites arma tradant, & quò lubet abscedant, exceptis qui Anglorum innocuo sanguine manus polluerant. Arma, tormenta, commeatus, omníque apparatus bellicus, Victoris in possessionem cedant. Commigrandi jus esto, tempore ad sarcinas colligendas indulto, navibúsque ad transvehendas quócunque cupierint. Detineantur viginti quatuor, clementiæ victoris relinquendi.* Sic urbs ea cecidit, elegans quidem & opulenta, maris commercio fluminis *Sinei* interventu frequens, munimentis firmissima; at potentiâ suâ, divitiis & opibus ferociens; quæ si non fecerat à commilitonibus divortium, si non obstinato collo Gubernatorum jussa derrectaverat, non adeò levi temporis & cruoris impendio in hostiles manus incidisset. Epiſcopus *Fernensis* aliíque multi suspendio plectuntur. Epiſcopus autem *Limiricensis*, larvâ tectus, fugâ subduxit caput imminenti periculo.

In Epiſcopum Fernensem aliósque Inqueo animadvertit.

Iretoni obitus & character.

Sed victori fatalis extitit hic locus; nam *Limirico* cadente commoritur *Iretonus*; de quo, quia ex humili origine ad imperii apicem emicuit, haud pigebit hæc paucula in medium dare. *Oxonii* in Collegio *Sanctæ Trinitatis* rudimenta liberalibus posuit Artibus, progressu facto non contemnendo: postea *Juris Municipalis* incubuit studio in Hospitio quod vocant *Templi*; quo primoribus labiis degustato, à teneris unguiculis errores edoctus *Anabaptisticos*, *Fanaticis* operam suam collocavit in concinnanda contra Sacrum *Episcopatûs* Ordinem *Petitione*; quam postea *Pennington*us, cum ingenti turba è *Londinensium* fæce comitatus, *Senatui* obtulit, ad istiusmodi molitiones tunc temporis perattento. Haud multò pòst, gliscentibus indies turbamentis, assectam semet *Cromwellio* præbuit in Insula *Elienſi*, primò

primò in hoſpitium ejus admiſſus, dein ſub *Cromwellio* totius Inſulæ factus moderator, mox etiam gener adſcitus. Poſito ibi tyrocinio, corpus voluntariè humi-cubatione, inediâ, vigiliis & exercitiis ad bellum induravit, anteaquam ad arma decretoria perventum; uſque dum gradatim ad ſummum ferè armorum imperium proveheretur. Tunc individuus ipſius comes extitit; præſertim in *Declarationibus*, *Articulis*, *Epiſtolis* & *Tractatibus* adornandis operâ navatâ. Idem laboris inter militiam improbus, perdius, pernox, agere galeatus, ocreatus; etiam circa res civiles ordinandas ad multam noctem vigilare ſolitus. Tandem extimulante *Catodæmone*, primas tulit in horrenda *Regii* ſanguinis effuſione, ob hoc inauditum ſcelus diris omnibus & apud ſeram poſteritatem devovendus. In *Hibernia Catabaptiſtis* & *Fanaticis* præſtò ſemper fuit, horum conſiliis innixus; hiſce tam in militaribus quàm civilibus adhibuit ſuffragium; hiſce oppida, conciliabula, & caſtra quoque adimplevit. Peſte tandem extinguitur, ipſe Patriæ ſuæ *peſtis* teterrima.

Eo attamen amoto, perinde Bellum procedit. Quippe *Cootius*, unanimi *Ductorum* conſenſu, à *Limirico* ducit *Galviam* ad obſidendam; quam jam arctè terrâ marique circumveſtiunt, *Clanricardo* diſcedendi copiam adepto: nec diu fuit quin ſe hoſti traderet, Conditionibus *Limiricanis* non diſſimilibus. Atque ità *Galvia*, emporium totius *Hiberniæ* nobiliſſimum, operibus munitiſſimum, ſtructurâ, divitiis, incolarum frequentiâ, maris liberi commercio perinſigne, hoſtium jugo cervicem præbuit, quibus antea reprimendis *Proregi* abnuerat auxiliatricem manum admovere. Sed quaſi non ſatis foret à Belli fulmine animadverſum, diviniori perculſa telo, intra annum unum & ſemiſſem, graſſante peſte, duodecim incolarum millia inhumavit.

Galvia premitur à Cootio,

capitúrque.

Peſte quoque abjumitur.

Occaſum

Hiberniam jam ex toto devictam gubernant quatuor Procuratores; qui primò Torios latrones comprimunt,

Occasum jam plenarium passa est *Hibernia*; & deinceps arbitria *Procuratorum* pro Legibus erant; qui *Jonesius*, *Corbetus*, *Ludlous* & *Weaverius* vocitabantur. Hisce visum est, statim ab ipsis novi imperii primordiis, Abactores (*Torios* vocant) comprimere. Genus latronum, qui semper *Hiberniam*, etsi non eâ multitudine, infestârant. Nec res nova Barbaris gentibus, quoties duriùs à Provinciarum *Præfectis* tractatæ, vel aliàs ære dirutæ fortunarum naufragium fecerint, Legibus se statim eximere, labores in agro exercendo recusare, artes fastidire. Proin ad Montes, deserta, paludes, ut quamque regionem ingenium loci munivit, refugiunt, bellum reliquis mortalibus indicunt, rapto victitant. Hujusmodi *Bagaudis* olim infestæ *Alpes*; nec dissimiles *Bandolieros* formidant *Pyrenæorum* accolæ; Montana *Pannoniæ* pariter *Martolossis* infestata; sic etiam *Cosaki* in solitudines submoti *Polonis* imminent. Verùm nè longiùs pravi moris exempla quærantur, consimiles exhibet in proximo sita *Scotia* prædones, quos *Equites Sylvanos* nuncupant, (ut infrà patebit.) Nam & hi in speluncis & abditis sylvarum noctu delitescunt; interdiu verò in viatores vel aliis negotiis districtos ex improviso involant, vitâque pariter ac pecuniâ spoliant. Quoties autem complures in unum coaluerint, ausu nefando vicos incendunt & populantur, saltus & latibula continuò repetentes. Piraticam dixeris exercere terrestrem; quippe qui lacus intererrant, & pro innata genti fugacitate, putre solum & malefidam paludis glebam suspenso pede pervolantes, alienigenarum fortè subsequentium vestigia fallunt. Hos itaque jubent, quibus jam vacabat, milites, dispertitis huc illuc manipulis, quasi indagine cinctos venari & occidere. Quo facto, vel se mutuo produnt, vel confugia latebrásque adeò intuta comperiunt, ut biennii spatio

hostes publicos.

ſpatio peſſimi iſti generis humani hoſtes omnino diſparuerint.

Deputatus interea, qui ſucceſſor *Iretoni* ad clavum ſedeat, rebúſque præſit *Hibernicis*, à *Pſeudo-ſenatu* diſquiritur; calculíque omnium in unò conveniunt *Lamberto*. Verùm dum ille trajectum parat majore quàm pro ratione temporis pompâ, ſive *Procuratorum* obtigerit monitu, (qui reverâ tunc dierum Paritati ſtudentes, ægrè ferebant iſtiuſmodi præeminentiam) ſive aſtu *Cromwellii*, cujus ad nutum res *Hibernicæ* adminiſtrabantur, (& ille nuperrinè filiam ſuam, *Iretoni* Relictam, Tribuno *Fleetwoodo* privatim deſponſârat) mutatâ *Pſeudo-ſenatûs* voluntate, jubetur *Procuratoris* inſtar, miſſo *Deputati* titulo, *Hiberniam* capeſſere. Quod cum *Lambertus*, dominationis appetentiſſimus, ac promiſſò honore decedere neſcius, indignum reputaret, interque belli inexpertos partiri exercitûs imperium adhuc indignius, *Hiberniæ* moderamini ſatius duxit omnino abrenunciare. *Fleetwoodus* igitur, eaſdem conditiones amplexus, matrimoniò cum Vidua prædicta celebrato, tranſit in *Hiberniam*, primarium inter *Procuratores* locum occupaturus, & præterea *Inſtructoris Exercitûs*.

Conſultatur de ſucceſſore Iretoni demortui.

Lambertus eligitur Hiberniæ Deputatus: qui, retracto, dum moratur traheret, diplomate,

jubetur Procuratoris officio tantummodò fungi.

Abnuente Lamberto mittitur Fleetwodus.

De homine autem ut meliùs conſtet, lucíſque aliquid ſubſequentibus accedat, paucula hæc præmittenda duxi. Equeſtri familiâ oriundus, ac è multis fratribus natu minimus, ut honeſtâ ſibi ratione victum conquireret, addixit ſe ſtudio *Juris Municipalis*; quòad efferveſcente Belli civilis incendio, ſacramento militari obſtrictus, ſub *Eſſexiæ* Comite ſagum induit, ceu miles honorarius. Poſtmodum ab uno munere ad aliud evectus uſque in *Tribunitium*, ad filiæ *Cromwellianæ* nuptias (utì modò memoratum) viduæ viduus aſpiravit. Religionem quod ſpectat, ſeverioris diſciplinæ juxta normam ab incunabulis inclinatus eſt; *Anabaptiſmi* ſi non profeſſor ſtrenuus, at

Ejus character.

at ſaltem fautor benevolus credi voluit; neque ſolummodo ut Scenæ inſerviret, ac reciproco frueretur adjumento, ſed intùs & in cute. Homo ut ipſe minimè fallax, ità nec præacutus alieni conſilii rimator habitus: quibus artibus apud plebem militarem gratioſus eſt factus; nec ideo tamen potentioribus ſuſpectus. Cætera non illaudatus, niſi quòd armis adversùs *Regem* ſuum geſtatis, horrendo perduellionis crimine ſeſe commaculârat.

Copiarum Hibernicarum ſparſæ reliquiæ Broghilio ſe dedunt,

Integrâ jam *Hiberniâ* potitur *Pſeudo-ſenatus*, exceptis huc illuc diſperſis copiis, quæ paſſim loca inſcrutabila & obſcura ſectabantur: quarum pars maxima *Momoniæ* inſidebant, ſub auſpiciis *Sullivani O-Beare*; aliquot *ultoniæ*, ſub *Farelli*. Illi tandem *Broghilio* ſubmittere; ſed eâ lege, ut licentiam transfretandi concederet, navibus in hunc finem à *Pſeudo-ſenatu* parandis: hi Tribuno *Ludloo*, iiſdem pactis Articulis. Tota poſtmodum natio militaris eorum exemplum eſt ſecuta, & ad viginti ſex millia trans mare inermis abſceſſit (nonnulli ad *Hiſpanum*, ad *Gallum* alii, quócunque allubeſcebat cæteri) *Anglis* navigia ſubminiſtrantibus; adeò ut intra octo menſes viris bellatoribus utpote *Anglicani* jugi impatientibus) *Hibernia* omnino vacua facta eſt.

atque Ludloo;

transfretandi licentiâ priùs impetratâ.

Excelſum dehinc erigitur *Judicii Tribunal* (*Cokio* nonnunquam præſidente, nonnunquam alio) ex pleriſque cujuſque ſectæ Generoſis hominibus, de Provinciis in quibus Conſeſſus iſte celebrabatur; ut ſevera fieret in primæ *Rebellionis* compertos *Inquiſitio*, nec mitior animadverſio. Nemini vitæ gratia facta qui manus *Anglorum* ſanguine cruentârat. Sed iſtiuſmodi hominum non ultra ducentos univerſa ſuppeditare potuit *Hibernia*; tantam gladius aut Peſtis devaſtationem effecerat; aut denique malè ſibi conſcii, abeuntibus cæteris ſub larva immiſti, ſemet opportunè ſubduxerant;

Primæ Rebellionis auctores judicio ſiſtuntur:

aut

aut saltem testes desiderabantur ex *Anglis* Lanienæ superstites.

Atqui unum vel alterum commemorare fas esto è Rebellibus pervicacissimum; uti *Philemonem Onealium*, à *Pontifice* scilicet *Romano* Comitis *Ultoniæ* titulo insignitum, & *Lucam O-Toolium*. Venditaverat mendax fama, horum fidei commissam à *Rege Carolo* Primo exuscitandæ *Rebellionis* licentiam, ut *Parlamentum* in seditionem proclive aliàs distinerent. Quem rumorem planè futilissimum, ut Invidiam in *Regem* Optimum cumularent, solerter nimis *Parlamentarii* dissemināvant; neque sanè huic Calumniæ refragabantur tunc temporis *Hiberni*. Hujus postulatur uterque: Verùm etiamsi diuturnioris vitæ præmiique superadditi spes fieret affirmantibus, *Regem* tamen, imprecati sibi diras omnes, absolverunt; & suspendio *Rebellionem* ac *Homicidium*, justissimo Dei judicio, manibus tamen injustis, expiârunt. Adeò *firmo pede*, licet aliquoties *claudo*, *scelestos à tergo Nemesis insectatur*.

præsertim Philemonem Onealium, & Lucas O-Toolium:

qui mox emcrituri Regem liberant à rumore futilissimo.

Sub illa tempestate *Pestis* etiam latè dominabatur in *Hibernia*, quasi ad rabiem Gentis corrigendam non sufficeret ultio humana, nisi Divina quoque superveniret. Hæc omnium prorsus funestissima quas per annos quinquaginta retroactos protulit memoria, in universam grassata Gentem; adeò ut in ipsa *Dublinia* (mirum dictu) præterquam uni domui non parceretur. Atque ut ingeminatâ peste plecterentur, profanum vulgus in Deum pariter ac homines licentiùs quàm priùs unquam, abjecto omni verecundiæ sensu, debacchabatur; uti *Thucydidis* temporibus, cùm Divinæ Legis & humanæ repagula juxtà contemnerentur.

Pestis per Hiberniam grassatur,

præsertim Dubliniæ:

Haud multò antè, si non eodem tempore, dira Fames immissa cœlitus, reique annonariæ tam gravis inopia, ut (horresco referens) uteri sui præchara pondera ventriculis intumulârint famelicæ

dira etiam & fames.

melicæ matres; nec ab humana carne potuerit (uti de *Sagunto* traditur) inexorabilis inedia sibi temperare.

Taxationibus onerantur Angli juxtà ac Hiberni.

Cæterùm *Hibernis* potissimùm incubuerunt ista mala. Non est dissimulandum, in *Anglos* juxtà ac *Hibernos* Taxationem prægrandem triginta sex millium librarum per mensem irrogatam; eámque in *Hibernos* cùm tot latifundia jacerent possessoribus exuta, cúmque nec agricolæ suppeterent colendis arvis nec jumenta; præsertim ob *Toriorum* redundantiam, qui fructus passim & segetes abripiebant: adeò ut spe satorum fraudati, fugam eligerent quidam prædiorum domini; alii non sufficere messem pani necessario sumptibúsque domesticis conquererentur; haud pauci jus hæreditarium venderent duorum triúmve annorum redituum compendio. Interea *milites*, qui viginti millia numerabantur, iique asymboli, & magnam partem *Catabaptistæ*, illo quod in *Hibernia* receperant ex ære, adjectis ex *Anglia* stipendiis, soli commodè vivunt, atque *Ductores* divitias accumulant.

Milites interim commodè vivunt, atque ditescunt Ductores.

Jus ferè omne arbitrarium.

Omne Jus ferè arbitrarium, pro libitu quatuor aut quinque Judicum administratum; uti etiam *Procuratoribus* visum, *Præfectísque* Exercitûs; nonnunquam & militibus, præsertim *Anabaptistis*, quorum adversùs salivam si quid forum adjudicaverit, rumpi protinus exclamant fidem, divina & humana jura violari.

Correpta subitò à Rebellibus quædam Propugnacula recuperat Reinoldus. Res Agraria, seu Partitio fundorum Hibernicorum, in Rebellionis pœnam.

Eâ tempestate corripiuntur ex improviso à *Rebellibus* propugnacula duo vel tria prope *Galviam* apprimè fortia, *Enisbuffen*, *Ernescrought*, atque *Arran*, videlicet inter *insulas*, quas mare lancinavit innumeras. At eosdem *Reinoldus*, mille quingentis militibus per trabes illatis, in deditionem redegit, concessâ in alias terras migrandi copiâ.

Tandem deventum ad fundos & possessiones *Hibernorum* dispertiendos, ut portionem quis-

que

que recipiat, quam ſive militando lucratus, ſive ſubſcriptâ & perſolutâ, compeſcendæ *Rebellionis* ergò, 1642. pecuniâ, publicâ fide pignori datâ, mercatus fuerat. Verùm à prima publicatione plures ejuſdem criminis inſimulantur; utì *Ormondiæ* Marchio, Baro *Inchiquinius*, & quotquot à *Regiis* partibus ſteterant, primæque *Rebellionis* impetuoſo torrenti remoram injecerant: quanquam horum fidei virtutique quicquid in *Hibernia* reſiduum erat omnino deberetur, hærent in eodem luto nihilominus, tum hæreditatibus, tum vitâ ſimul exuendi: nec ullis decretum eſt parcere quibus obtigerant invidenda patrimonia; ut abunde ſuppeteret, quo lucrionum omnium inexplebilis Voracitas impleretur. Imò ſi quem vel uno die à *Pſeudo-ſenatûs* obſequio defeciſſe compererint, non mitiorem quàm Sequeſtri pœnam infligunt; nec veniâ donant, niſi poſt biennialium redituum perſolutionem. *Pontificii Optimates*, reverâ omnes qui vel ab initio *Rebellis*, vel *Regis* gratiâ poſtmodum arma geſtaverant, Majeſtatis damnantur, bonis omnibus in fiſcum redigendis, vitâque ipsâ, modò deprehendi potuerint, eripiendâ. Neutris faventes, tum *Hiberni Pontificii* tum *Angli*, quintâ parte mulctantur in ærarium publicum immittendâ.

Regii complures eodem in luto hærent.

Pontificii Optimates damnantur læſæ Majeſtatis.

Neutri, quintâ parte mulctantur.

Verùm publicas expenſas ad levandas, graviter inter milites novitios, qui duce *Cromwellio* nuper *Hiberniam* appulerant, & veteranos, qui ad recens ortæ *Rebellionis* extinguendam flammam *Parlamento* militaverant, altercatum eſt. Hoſce exauctorare novitii modis omnibus enitebantur, utpote *Anabaptiſtæ* & *Sectarii* plerique; ac fraudare profectò decreverant ſtipendiis, & promiſſâ fundorum portione. Sed nolentibus ità dimitti Veteranis, poſt multam utrinque diſceptationem, in iſtos amicè deventum eſt Articulos; nimirum, *ut Sacramento ſoluti dimidiam ſtipendiorum partem reciperent omni menſe, quoad fundi diſtribuerentur,*

Liti inter milites novitios & veteranos de præda dividenda,

tandem ſopita.

tunc temporis portione fundorum debitâ fruituri. Hoc placuit, & quadantenus præſtitum.

Modus dirimendi fundos excogitatus à Gulielmo Pettie, Medicinæ Doctore.

Sæpenumero inſudatum eſt in dirimendis & appropriandis *Hibernorum* agris: convenêre *Mathematici*, collatiſque ſententiis diviſere; ſed *rudi* (quod aiunt) *Minervâ*; æſtimio ſcilicet generali quidam, ex Intuitu alii & Circumferentiâ. Neutro modo ad dimidium fit ſatis Creditoribus; donec deventum ad *Gulielmum Pettie, Medicinæ Doctorem*, ſed & in re Geometrica verſatiſſimum, jam *Regiâ* Munificentiâ *Equitis* titulo condecoratum. Ille tredecim intra menſes *Hiberniam* totam (quantum ad latifundia publicata) in ſe recepit geometricè metiri, ſingulíſque aſſignare ſuam portionem: & reverâ perfecit. Sortitus enim varios ad inſtrumenta conficienda, eóſque peritiſſimos, artifices, opus metatorium in quinque vel ſex partes diremit, unicuique accommoda ſubminiſtrans inſtrumenta; docuitque ſagaciores homines ſuæ quemque parti incumbere: ille autem ab unoquoque allata per ſe & ſedentariùs potuit componere, & de eo judicium ferre. Iſto pacto ad quinque milliones aut ſuprà jugerum *Anglicanorum* commenſuravit; atque ope Catenæ aliorúmque organorum centum millia milliarium percurrit, quantum orbi terrarum quinquies ambiendo ſufficeret. Sic tota in ſuas partes diribita eſt *Hibernia*, & quilibet ſuum dimenſum ſortilegio obtinuit.

Sectariis turmatim accurrentibus,

Jam autem ad opima *Hiberniæ* ſpolia, pingue veluti ad Cadaver, ex omni plaga *Sectarii* vultures gregatim advolant, & Locuſtarum inſtar graſſantur in omnes quaquà patent Provincias. Cujus rei admonitus *Cromwellius*, nè fortè in ſeditionem deſineret iſtiuſmodi confluxus, præſertim cùm in munia quæſtuoſa ſimul & militaria quæcunque inſinuare ſemet *Anabaptiſtas* & *Sectarios* conſpicaretur, (maximam partem *Democraticos*, ejúſque Sublimitati & Præeminentiæ ex occaſione reluctaturos)

Cromwellius evocat ex Hibernia Fleetwoodium,

reluctaturos) ut ſerpentem in ovo comprimeret, aliud quaſi agens, ad infringendam iſtorum potentiam, generum ſuum *Fleetwoodium* ex *Hibernia* domum evocat, obtentu conſilii ejus in propinquo meliùs communicandi; reâpſe verò, ut hominis inſtitutis & motibus invigilaret, atque dempto Capite & Patrono, *Democraticorum* admolitiones & conſilia interverteret.

utpote animo in illos nimis propenſo:

Igitur *Fleetwoodii* loco mittit in *Hiberniam* *Henricum* filium, è binis natu minorem; neque tamen uti *Succeſſorem*, ſed *Procuratoris*, nec non *Majoris Generalis* titulo cohoneſtatum, vel *Inſtructoris Exercitûs*: peractóque hunc in modum biennio, poſtquam juvenilis prudentiæ ceperat experimentum, ad altiorem gradum evexit. Gravatè tulit initio *Henricus*, honore ſe Tituli defraudatum, cùm poteſtate donaretur: ſuſurríſque Paraſitorum extimulatus petiit abs patre, ut *Hiberniam Deputati* nomine adminiſtraret. Sed abnuente non ſine jurgiis *Cromwellio*, votum hoc intempeſtivum in ovo ſupprimitur. Cùm autem imperii clavum ſolus teneret, bini *Procuratores* alii, ſive (appoſitè magis loquendo) *A ſecretis conſiliis*, prioribus adjunguntur, *Hammondius* & *Goodwinus*.

mittitque filium ſuum Henricum, primò uti Vicarium,

Ille *Divina* officia, etſi non in priſtinum nitorem, aliquatenus tamen reſtituere inprimis ſatagebat; Fana paulatim Sacricolis reddens & Suggeſta, ab *Anabaptiſtis* hactenus ex toto occupata. Imò & infantem proprium recèns natum ſolenni luſtrari Baptiſmo præcipit in Eccleſia Cathedrali, (quod eâ tempeſtate ſpectatu rarum) additâ inſuper & feſtivitate. Porrò Conciona-tores ab omni contumelia moleſtiſque *Sectariorum* interpellationibus vindicantur inter myſteria celebranda. *Dublinienſis* Academia, quæ diu neglecta ſqualebat, è tenebris jam attollit caput, ipſo *Henrico* in *Cancellarii* vel *Patroni* munus aſcito; nec non Exercitia Literaria (ſed ad

Qui Religionis curam inprimis habet,

Concionatorum,

& Academiæ;

Presbyteriſmi modulum effórmata) Gradúſque in Artibus & profeſſionibus decernuntur: & (quòd Scholaribus acceptiſſimum) dono Collegio dedit *Archiepiſcopi Armachani uſſerii* (non ſine honore nominandi) Bibliothecam proprio ſumptu comparatam.

nec non rerum Civilium, Juſtitiæ,

Nec minùs *res Civiles* ordinare quàm *Eccleſiaſticas*. Juſtitia jam in tribunalibus (quantum per tyrannidem potuit, violentóque ſub imperio licuit) emicare cœperat. Conſtructa in Civitatibus ferè ad ſuperbiam ædificia; Rura paſcuis ſcatent; ſegetibus Culta prægravantur. Effloreſcit inſuper Mercatura; ſevo, coriis, carne conditâ ſale, ſalmonibus item ſalſis & infumatis, ambrâque griſeâ huc illuc diſtrahendis. *Henricus* etiam acceſſum ſingulis indulgere æquè liberum, & petendi facultatem; imò *Regios* inter aliquot beneficentiæ ſuæ radios interſpergere, capite diminutos & ſequeſtro ſyderatos aliquantulùm ſublevare, indictæ pecuniæ dimidiâ parte condonatâ, ſuperadditis & verborum blandimentis, & colludendi ſecum licentiâ; menſæque ſuæ ſæpiuſculè participantes oblectare.

& Mercaturæ;

Regiis viris paulò indulgentiùs habitis.

Ejus adjutores & Conſiliarii.

In *Cancellarii* apud *Hibernos* munus, *Fleetwoodii* mediatore, ſufficitur *Steelius*, qui *Sectariorum* vacillantes animos paulùm refocillavit; ſpe tamen illâ propediem evolutus, adventu *Bertii* in *Scaccarii* præfecturam, *Pepiique* in ſummi Juſticiarii cathedram; utroque partibus *Henriti* mordicùs adhæreſcente. In Concilio *Broghilii*, *Cootii*, *Hilliique* adjutus operâ, in Exercitu eorundem, & *Morgani* aliorúmque, Rempublicam pro præſenti rerum ſtatu probè adminiſtravit.

Parlamentum indicitur à Cromwellio Londini.

Eâ circiter tempeſtate, *Parlamentum* indicitur *Londini*, è tribus gentibus conflandum, triginta ex *Hibernia* Senatoribus accitis. Illic *Hiberni Pontificii* perduellionis poſtulati pronunciantur rebelles, ideóque à jure poſſeſſionum & hæreditatum

tatum excidiſſe: qui ut palàm fierent, imperatur omnibus *Papiſmi* ſuſpectis ſeverum *Renunciationis* juramentum; cujus in executione clementem ſe præſtitit *Henricus*, raróſque vel ad examen vocare, vel ejuſdem tantaminis aleam ſubire voluit. Sed latifundiorum indicta olim & cœpta partitio jam ad complementum perducitur.

Papiſmum ejurare jubentur Hiberni.

Henrici hac ex parte clementia.

Ad praxim etiam de novo revocatur *Hibernorum* omnium in *Connaciam* Tranſplantatio; *Spenceri*, qui dialogiſticè ſcripſit de rebus *Hibernicis*, inventum: indè *Ivetoni* olim in mentem venit, qui modis omnibus inſtando commendavit. Jam autem univerſi jubentur, rebus ſuis convaſatis, mutare ſolum, & in eam Provinciam commigrare, ubi pro arbitrio *Delegatorum* fundi hæreditariorum vice aſſignandi, ſervatis tantummodo Munimentis, Civitatibus, Oppidis & Trajectibus, in uſum *Anglorum*, & quæcunque intra lapidis unius ſpatium oræ maritimæ adjacebant. Nimirum ea Provincia maximam partem *Sineo* flumine circumfluo, lacubúſque immenſis, & *Curluviis* montibus à cæteris diſterminata, ſpem omnem denuo inſurgendi contra *Anglos* & potentiam præſcindebat. Non niſi glebæ aſtrictitiis parcitur; & aliquibus quos vel favòr vel neceſſitas popularis gratos fecerat, manendi gratia conceſſa eſt. *Ivetonus* ad hæc uſque tempora ſi vixiſſet, neceſſitatem impoſuerat Agricolas, Mechanicos & Quæſtuarios ex *Anglia* comparandi, qui mercedem operis multo ampliorem repoſcunt quàm *Hiberni*.

Hibernis de novo injungitur in Connaciam tranſplantatio;

ejúſque cauſa quænam fuerit:

At, Deus bone! quot aſtus & fraudes, quot tricas & inventa *Hiberni* ad hujus mandati aculeum & vim eludendam excogitârunt? adeò ut, præter ſimpliciores & honeſtiores, vix quempiam pertingeret. Imò pudet erubeſcendam inſitorum noſtratium oppreſſionem & avaritiam propalare; qui ſi in paulò innocentiores dolóque

aſtu tamen eluditur à compluribus.

vacuos incideret, eosdem vel tædio vel technis & impostoris ludificantur, donec nihilo fundos emunxerint, quos aliis caro venundant; criminique his vertitur suspicio, scilicet *Hibernos* in novam *Rebellionem* brevi ruituros, quoniam hæreditatibus tam vili cesserint.

Alia minoris momenti missa consultò facimus, nè in immensum excrescant quibus obiter vacamus. Præfectis exercitûs *Richardum* de fastigio suo quà vi quà dolo deturbantibus in *Anglia*, & *Pseudo-senatu* à mortuis post quinquennium resuscitato, singulorum oculi in *Henricum* convertuntur. Creditum à nonnullis authoritatem eum suam defensurum, fratrísque vindicaturum. Alii *Regiæ* causæ simul & favori velificaturum sperabant, *Classe* præsertim spem pinguem uberémque non obscurè faciente; nec non Exercitu Regnóque *Hibernico* ad hujuscemodi molitionem promovendam sat parato. Nec ausim ego talia proposita dejerare. Sed rebus in creperis deficiente *Broghilio* Barone, nec non *Cootio*; *Stelio* & *Tomlinsono* veteribus interpellantibus, novisque Delegatis *Wallero* & *Corbetto* continenter sollicitantibus, se tandem tradit *Pseudo-senatûs* arbitrio, remeátque in *Angliam*, regiminis sui in alieno foro ratiocinium redditurus.

Henricus fratri sibique male consulens,

Hiberniæ hucusque immorati sumus, ut rem simul omnem istius *Regni* non interrupto narrationis filo pertexeremus. Jam retracto ad annos superiores calamo, redeundum est ad *Democraticos*, qui *Angliam* post patratum *Regicidium* pro libitu subter *Oligarchicos* moderabantur. Hi novi homines plerosque suæ sortis in quæstuosa simul & honorifica munia promovebant. Quod adeò gravatè fertur à *Londinensibus*, ut *Prætor* & *Senatores* petitum venerint *Pseudo-senatum*, ut *Cives primarii, aut horum saltem nonnulli, in Communi* (quod vocant) *Concilium Civitatis denuo immittantur*. Hi circa trecenti fuere, quos vel *Ætas* provectior,

Pseudo-senatui redivivo tradit fasces.

Petitio Magistratuum Londinensium ad Pseudo-senatum, pro Civibus suis suffragandi jure spoliatis

provectior, vel saltem commendabat *Opulentia*: sed anno superiore quamplurimos horum suffragandi jure privârat *Pseudo-senatus*, indignósque censuerat qui civica quælibet munera sustinerent; non aliam ob causam, nisi quòd *Petitioni* pro Pace cum *Rege* ineunda subscripserint; suadente etiam numerosiore sanioréque parte *Parlamenti*. Verùm hoc *Prætoris* & *Senatorum* postulatum (etiamsi defectum ingenuorum, & vel mediocris fortunæ hominum, ad civica munia cum laude sustentanda seriò inculcarent) cum contemptu rejicitur: nec nisi à proletariis & nullius pretii homuncionibus tractari avebant rerum habenas; utpote qui fas & nefas pro dominorum arbitrio metirentur.

cum contemptu rejicitur.

Dum ea *Londini* geruntur, non indormiebat suæ Causæ *CAROLUS Secundus*, neque grassantibus per *Angliam* Parricidis sibi defuit, sed omnem volvit lapidem, nihilque pro humanis viribus & ingenio reliquit intentatum, quò res collapsas repararet, publicam libertatem assereret, simul ac, expiato parricidio, Hæreditatem suam avitam, assequeretur.

Regis Caroli Secundi molimina pro seipso & subditis.

Principum ac *Regum* exterorum invocatur fides; quibus æquè singulis incumbit, pro vicaria Supremi *Numinis* authoritate, communíque officio, asylum oppressis patefacere; sed & *Regibus* patrocinari præ cæteris mortalium, tum *cognationis* intuitu, tum *contagionis* metu, nè scilicet in proprios ipsorum Subditos horrendum serperet *Rebellionis* exemplar; ut & ipsi pares in angustias fortè conjecti, pares vicissim suppetias reportarent.

Exteros Principes opem rogando.

Ad *Germaniæ Imperatorem*, nec minùs *Principes*, ad *Ottomannicum*, & *Moscoviæ* Magnum Ducem, *Poloniæ*, *Daniæ*, *Sueciæque Reges*, ad *Venetorum* Rempublicam *Belgarúmque* Fœderatos Ordines *Legati* decernuntur. In *Hispaniam* (unde præcipua spes affulgebat) Dominus *Edwardus Hide*,

per varios Legatos: præsertim Hispanum, per D. Ed. Hide nunc Angliæ Cancellarium;

(qui *Scaccariæ* olim, jam *Cancellariæ* publicæ præest, & Comitis *Clarendonii* titulo illustris, graviſſimis Regni negotiis ſub *Rege* cum omnium laude & admiratione perfungitur) cujus juvenili & vivido ſenile illud *Cottingtoni* ingenium animari poterat. Inter *Gallos* præter *Legatum* peculiarem, *Reginam* Matrem, *Ducémque Eboracenſem*, ſui *Rex* ipſe negotii procurator.

& Gallum per ſeipſum.

Exiguo tamen ubique ſucceſſu:

Sed, proh dolor! irrito ferè ubique ſucceſſu; quorundam ſuppetias nimiâ locorum intercapedine præpediente; aliorum ſive rei familiaris anguſtiis, ſive ſeditione domeſticâ, ſeu denique à vicinis periculo. Neminem pertingebat alienæ calamitatis aut ſenſus aut miſeratio. Barbarè ſe geſſit Aula *Ottomannica*, utpote quæ ſordido exigui æris lucello corrupta, Proxenetarum *Pſeudo-ſenatûs* in manus tradidit Legatum *Henricum Hide*, meritis ornatiſſimum; qui in *Angliam* delatus, ob fidem intemeratam, nullo legis avitæ obtentu, coram *Periſtylio Regio Londini* decollatur.

Ottomanno Legatum Hide (Cancellarii fratrem) Pſeudo-ſenatui tradente; à quo Londinum adductus decapitatur: Gallo vanâ ſpe diu lactante,

Gallia pollicitationibus prædives, ingentium ſuppetiarum ſpe vanâ lactat, quamdiu opis aliquid à *Regis Angliæ* ſubditis emungi potuit; præſertim à *Jacobo Duce Eboracenſe*, qui *Anglos* & *Hibernos Gallorum* ſub vexillis in *Flandria* ducens, complura & nobiliſſima edidit virtutis ſpecimina: Donec *Dunkerkæ* (quam obſeſſam tenebant *Hiſpani*) ſublevandæ gratiâ claſſem *Gallicam* ſub *Vendomii* Duce *Blakius* in fugam conjecerat. Dein *Burdexium* de Pacis conditionibus ineundis *Londinum* amandârunt, dum *Parricidæ* feciale bellum indicturum expectarent: arctóque poſt fœdere inito, in ſinu gaudebant *Regiam* deluſam *Majeſtatem*, & *Rebellium* furori haud exiguum adjectum ſufflamen.

fœdiſque tandem cum Parricidis incunte: Hiſpano negotiis alienis implicare ſe detrectante,

Hiſpanus indoluiſſe *Regicidio* videbatur: ſed *Angliæ* de controverſiis non eſſe ſuum cauſatus

intra

intra oleas determinare, nec extra ditiones proprias volupe ſibi erat alienis immiſceri negotiis; cæterùm ſuis in regionibus *Regi* quicquid exhiberi benevolentiæ poterat, præſtò foret. Tamen non ità multò pòſt occiſo *Aſchamo*, (quod brevi dicturus ſum) primus hic *Regum* orientem *Reipublicæ* Solem venerari jubet umbratilem Legatum *Don Alonſo de Cardenas*, *Parricidis* omnia fauſta precari, ſartam tectam *Regna* inter ſua novámque *Rempublicam* fidem ſervandam impetrare; & in *Aſchami* nefarios occiſores ipſum ſeverè animadverſurum pollicetur.

novámque Rempublicam Anglicanam ante omnes ſalutante,

Quî autem factum, ut magnus graviſſimi *Regis* animus tam inopinato caſu, voluntatem prodente magis quàm mutante, in diverſa raperetur, cauſæ ſunt non obſcuræ. Nam præter avitas paternáſque cum *Regina Elizabetha* inimicitias, peculiares adversùs *Carolum* ipſi *Philippo* offenſiones inciderant. Altiſſimum infixerat vulnus Soror ejus in nuptias ſollicitata, ad conſpectum colloquiúmque quæſita, *Gallicanæ* tamen *Principi*, lectiſſimæ licèt Fœminæ, poſthabita. Deinde vetus offenſa mordebat animum, quòd ſplendidam à Duce *Bragantino* legationem noſter omnium *Regum* primus admiſerit, honorificè exceperit, denique negotiis feliciter abſolutis ovantem dimiſerit. Huc acceſſit ante paucos annos infelix *Don Oquendæ* caſus, cujus ſub ductu naves complures viris armiſque refertæ in militiæ *Flandricæ* ſupplementum, cùm in portus *Anglicanos* ab inſequentibus *Belgis* compulſæ fuiſſent, ab iiſdem ſub ſociali Caſtello laceratas, demerſas, incenſas aut captas, claſſe noſtrâ minaciter increpante magis quàm valide ſubmovente, criminatus eſt. Quæ iræ neque cum *Rege* mortuo ſopitæ, ſed hactenus Filio nocent. Reſtat ut novi amici in præmium ſocietatis ultro delatæ quandoque *Indias Occidentales*, id eſt, Imperii *Hiſpanici* viſcera, bello non antè denunciato furtim petant. Quo-

quibus præcipuè de cauſis ad hoc inſtigato:

rum

rum ut fruſtratum circa *Hiſpanoliam* ictum intuebitur, tum demum poſitis odiis *Carolum Secundum* omni officiorum genere promeritus, in *Regicidarum* perniciem alet.

Portugallo parùm valente,

Portugalliæ Rex Generoſam prodit mentem, (de quo infrà) ſi vires animo reſpondiſſent. At enim quid faciat nuperrimus Imperii proprii vindex, & in trepido ſolio vixdum bene collocatus? Certè ipſi vel integro & florenti Res arctior quàm quæ tanti Belli molem ſuſtineat; nedum id temporis *Regem* manu reducat, quo hinc *Hiſpanum*, Aras & Focos acerrimè impugnantem, finibus patriis vix & ægrè prohibeat; indè *Belgam*, extremo Oriente & univerſo qui terrarum orbem claudit Oceano, ſentiat infeſtum.

Suecâque inſtabili. Dux Holſatiæ ſuppetias aliquas tulit. Danus inops nummorum. Polonus turbamentis domeſticis implicatur. Alii benevoli, ſed haud multùm adrem.

Sueca primùm benevola, ſed quæ tandem cum rebus mutavit animum. *Fred.* Dux *Holſatiæ* & militem & pecunias in *Regis* gratiam, naves inſuper armáque commodavit *Montis-roſani* Comiti in *Scotiam* navigaturo. *Dania*, exhauſto *Regii* Patris cauſâ ærario, noviſque mox bellis implicanda, nil ultrà potuit. *Poloniæ Regi*, quò minùs elargiretur de proprio, *Coſaki* rebelles, &, quæ pacem infidam reddiderant, circumvicinæ gentes obſtiterunt. *Scotici* tamen ſubditi, ejus accolæ regionum, juſſi ferunt auxilia. *Moſcoviæ* item Imperator, Dux *Brandenburgenſis*, *Moguntiæ* Archiepiſcopus, aliique *Germaniæ* Principes, animos in *Regem* ſat pronos atteſtantur.

Sed eheu! quid iſta ad Claſſem adornandam? quid ad Exercitum conſcribendum? quid ad arma, commeatum, impedimenta comparanda? paulo plus forſan quàm ut Legatorum in expenſas & vitaticum ſufficerent, Aulicorum etiam pauperiem parumper ſublevarent. Spes omnis in fide Subditorum & benevolentia reponebatur; qui, (etſi *Paricidarum* ſive lenocinia, ſive res ſecundæ,

Spes Regis potiſſimum in Subditis

ſecundæ perſtrinxerant oculos complurium, vel ambitio ad augſtiora munia aſſurgendi, vel cupiditas aliena vili lucrandi latifundia, plus quàm quinquaginta millia hominum in conſortium reatûs attraxerat, quibus cunctabunda *Nemeſis* tot annos impunitatem ſpondere videretur) innumeri tamen fidem *Regiæ Majeſtati* ſervabant illibatam. Verùm attoniti repentino horrore *Regicidii*, jugibúſque *Parricidarum* victoriis obſtupefacti, quid agerent aut quò ſe verterent neſciebant. Nondum erant confœderandi gnari, & inſurgendi opportunitate deſtituebantur; invigilantibus per omnes Comitatus *Parricidis*, & in ſequiorem ſenſum detorquentibus tum dicta tum facta Emiſſariis. Nihilominùs *Regii* complures larvas induti, pelago trajecto, *Regem* interpellabant; aliíſque huc à *Rege* adventantes, quid factu opus edocebant. Quod ſolum poterant, gradatim ferè omnes conſilia impertiri, conferre, invicem hortari, machinari, ſupplementa erogare, ſcintilláſque fovendo flammas & incendia ſuſcitare, quæ hoſtes olim depopularentur. Nonnulli tamen, (duorum non pigebit meminiſſe) *Carolus Barclæus* & *Henricus Slingsbeius* Equites, capti delatorum ſedulitate; ſed uterque ſalvus evaſit: quamvis hic denuò in naſſam illapſus fidem lueret, ſupremæ Curiæ judicio pœnâ affectus capitali.

quorum innumeri optime qui lem animati, ſed viribus imbecilles.

Per eos dies *Aſchamus* iſte (quem paulò ſuprà memoravi) obſcuræ ſortis homuncio, ſcriptis in *Regem* & pro nefaria *Regiminis* mutatione libris inclareſcere cupiens, atque oſtentare dotes, (quem eò minùs decuit, quòd olim ſub Comite *Northumbriæ Ducis Gloceſtrenſis* juniora ſtudia moderaretur) ea propter in *Hiſpaniam*, Internuncii nomine de rebus negotiaturus, unà cum *Kiberâ Italico* Sacerdote interprete, delegatur. Sed tantum odii chartis in publicum emiſſis & ſuſcepto Negotiatoris officio concitârat, ut vindictam nonnulli

Aſchamus quis:

Legatus à Pſeudo-ſenatu in Hiſpaniam,

nulli toti ſpirarent, atque in cubiculum, quod *Madrito* habuit, ſubitò irruentes, contra fas & æquum cum Interprete *Riberâ* fœdè jugulârunt. *Venetorum* Legatus homicidarum uni refugium præſtitit; alteri in fuga comprehenſo jugulus in publico præſcinditur: cæteris, numero tribus *Aſyli* (quò ſe receperant) religio patrocinatur, donec Eccleſiæ vacaverit de jure cognoſcere. Verùm comperendinando, & in longum protractâ diſceptatione, nec non in Indiam occidentalem graſſantibus Anglis, impunè tandem dimittuntur.

privatim confoditur unà cum Interprete.

Homicidarum unus dat pœnas in fuga deprehenſus.

Par eſt, æmuli *Portugalliæ Regis* recitare benemerita; & quomodo Noſtratis gratiâ. *Parricidas* crabrones irritavit. Principes *Rupertus* & *Mauritius*, cùm fugerent ab *Hibernia*, patrocinium *ulyſſiponæ* compererunt: ſed huc inſecutus majore cum claſſe *Pſeudo-ſenatûs* Thalaſſiarcha *Blakius*, navigia *Principum* in prælia poſtulat. *Portugallus*, hoſpitalitatis leges non ità violandas ratus, quoniam intutum foret palàm abnuere, tergiverſando excuſat, Principéſque portu expellere detrectat. Quamobrem *Blakius*, iræ plenus, circumvelitando oras legit, claſſémque tandem ſeptem vel octo navium Saccharo onuſtarum corripiens, in *Angliam* mittit. Ipſe interim *Principes* modò elapſos ad *Cartagenam* infra fretum *Gaditanum Hiſpaniæ* oppidum, ſinu *Virgitano*, aſſecutus, in ſcopulos impegit; uterque tamen ſalvus evaſit alterius navis adminiculo; unâque vel duabus aliis comitantibus in *Indiam* Occidentalem vela facientes, ſat ſupérque in *Hiſpanum* animadvertitur.

Portugallo ſuccenſent parricidæ, quia noluit Ruperti um & Mauritium è portu ſuo expellere cùm eos Blakius ad navale prælium poſtularet.

Blakius igitur naves Luſitanicas ſaccharo onuſtas corripit, & in Angliam mittit.

Principes ægrè elapſi ad Americam navigant:

At Mauritium *Ecnephias Typhon*, ſolitus in æſtuoſa plaga modis horrendis debacchari, unà cum navi nautiſque, chariſſimi Fratris conſortio avulſum, vorticoſi maris fundo allifit. Subit hîc noſtris calamitatibus ingemiſcere, tam acerbo *Illuſtriſſimi Juvenis* funere nocentibus. Infelices

ubi infeliciter ſubmerſus Mauritius;

Anglos,

Anglos, qui *Palatinas* reliquias cæco furore attrivimus! quódque *Auſtriacum* feſellerat gladium caput, *Britannicæ* diſcordiæ luctuoſo naufragio merſerunt. Querimoniis indulgerem, ſiquid pudor noſter ad defuncti gloriam proficeret, vel ad Familiæ ſuperſtitis ſolatium. Sed virum ſortem muliebri ejulatu proſequi nefas; nec ambitioſam verborum pompam verus Dolor requirit, & magnus reſpuit. Liceat modò, quod ſolum poſſumus, turpem infelicis ſeculi notam lacrymis noſtris eluere; cujus criminis ingens ſanè corollarium, etiam Oceanus & alter Orbis *Regiæ* domus clade [illegible]neſtus. *Rupertus* verò, (quò magis gratulemur) non ſine ſumma difficultate, miſſis in *Galliam* bonis, eluctatur.

Ruperto ad Galliæ oras revertente.

Ad *Portugalliam* redeo, cujus *Legatum* Sacchari nidor *Londinum* allexit. Nec permittere voluit Summus rerum Arbiter Deus tam inſignem Optimi *Regis* Conſtantiam ſuis ipſius civibus damno redire. Quippe receptæ denuò naves; bellum deprecanti remiſſum; fœdus de integro percuſſum; & pax poſtea ſanctiùs culta. Damna quidem reſarcire dedignantur *Parricidæ*; rependent tamen, bellum geſturi *Belgicum Hiſpanicum*que, maximo *Luſitanorum* commodo. Mitto gloriam raræ in *Regibus* erga collapſas *Regum* fortunas fidei. De reliquo nihil metuit, nè quod ipſe vetus beneficium apud afflictum collocârat, *Rex* idem ad ſummum Imperii culmen evectus, & recenti affinitate devinctus, (ut eſt optimâ in bene de ſe meritos memoriâ) ſibi ſuiſque uberrimo cum fœnore non remetiatur.

Naves Luſitanicæ denuò reſtituuntur.

Sed præ foribus noſtris res agenda, & cum *Belgis* iterum. *Stricklandius*, diu ea in regione Oratoris vice perfunctus, nunc nauſeæ eſt; nullámque ampliùs in conſeſſu *Ordinum* ſedem obtinens, domum revertitur. Cujus repulſam ut alterâ repenſarent *Parricidæ*, *Jacobinum ab Odenskirke*

Stricklandius domum revertitur è Belgio haud reverenter habitus.

Belgarum Orator arcetur ex Anglia.

kirke Belgarum Oratorem ex *Anglia* jubent facessere; prætextu cessantis jam cum *Ordinibus* ob mortem *Regiam* negotiationis. At citò pòst, quasi facti pœniteret, *Schaepius* mittitur de Pacis rationibus tractaturus: quem etiamsi non nisi *Commissarium*, & ab una tantummodò Civitate, *Amstelodamo* scil. tractandi authoritatem nactum, honore tamen & titulo *Legati Pseudo-senatus* insignivit; binósque *Oratores* è contrà cum insigni & *Regio* apparatu demandandi captant occasionem, nimirum *Oliverium Sanctjonesium*, unum è *Pseudo-senatu*, & præterea Communium Placitorum Justitiarium; cui simul adjungunt *Gualterum Stricklandium*. Hisce datur in mandatis *de Pace conciliandia, ut & de utriusque gentis in unam coalitione, sub eadem politia, communicatis invicem habitationis, mercaturæ, portuúmque privilegiis, negotiari*: at ista non nisi per gradus & pedetentim propalanda, modò populus pronus, iísque recipiendis idoneus videretur.

cui mox alius substituitur ad Amstelodamo.

Sanctjonesius unà cum Stricklandio legantur in Belgium insigni cum apparatu:

Sed ad Pacem firmandam non propendebant *Ordines*, donec rerum in *Scotia* successum deprehenderent. Ægrè tandem admissos Legatos de die in diem ludunt, donec longis ambagibus concinnatos sub *Henrico* Septimo Pacis Articulos proponunt pensitandos; quos simul ac *Legati* rejecerint, alios excogitant horis terendis, quoad se ludificatos sentientes, abitum maturarent. Dum autem inter *Belgas* morarentur, necessum erat *Ordinibus* pro foribus ipsorum satellitium ponere: sed neque hoc pacto adeò immunes ab injuriis redditi, quin omni nocte fenestræ frangerentur, vel ipsi mormolucæis & nescio quibus terriculamentis conturbarentur. Fama etiam invaluit, adventâsse in *Sanctjonesii* ædes affinem quendam, ut, *mutorum* more *Turcicorum*, nervo fauces elideret circa collum injecto; sed quia satis promptam fugæ, si facinus perpetrâsset, copiam non comperit, consultò abstinuisse,

qui tamen ab Ordinibus ludificati,

& discriminibus in horas obnoxii,

His

His malis exagitati, & nova indies metuentes, neque quamdiu præſtolantes quale reſponſum reportarent gnari, *Legati* re infectâ digrediuntur. *re infectâ redeunt.*

Quot verò tumultus iſta repulſa concitavit! quas vindictas intra præcordia coquebant *Parricidæ!* certi, modò res in *Scotia* bene cederet, non priùs gradum aut arma ſiſtere quàm ferro conditiones extorſerint, quas per Legatos impetrare nequierant. Interea contenti per literas *Repriſaliæ* aliorum manibus in præſentiâ ſuas rependere injurias; & ſtatuto cavere, nequid mercium in *Angliam* (ubicunque orbis terrarum creverint) adferatur, niſi ab indigenis nautis & navibus, vel ab *Anglis* convectum. *Hinc fremere Parricidæ; Literáſque dare Repriſaliæ.*

In *Sueciam* uſque navigemus; cujus *Regina* nuncium ad *Parricidas* gratulatum nuper demandârat: ad hanc eapropter ſplendida Legatio per D. *Whitlockium* decernitur in reciprocum honorem, ad pacem inſuper cum ea impetrandam; cui perlubenter annuit. *Reginâ* verò brevi poſtea de ponte deturbatâ, vel (ſi molliori appellatione uti liceat) ſeipſam abdicante, *Rex Sueciæ* reciprocâ legatione, nec minùs honorificâ, Dominum *Chriſt. Bond* Regni Senatorem tranſmittit ad *Cromwellium*; tunc temporis rerum habenas moderantem. *Whitlockius ad Suecam navigat cum ſplendidâ legatione. Quâ ſeipſam abdicante, Rex Bond viciſſim tranſmittit ad Cromwellium.*

Inſulæ *Sillinæ* ſive *Caſſiterides* opportunæ jacebant infeſtandis *Angliæ* commerciis. Ibi *Regii*, cum quatuor aut quinque navigiolis huc illuc vela facientes haud parùm damni *Parricidis* intulerant; multò plus illaturi, modò *Belgis* oppignorari potuerint, (quod vulgò jactitatum.) Hanc ad ſpinam eximendam *Plimmuthæ* gnaviter apparatur, haud ultrà quindecim leucas ab Inſulis diſterminatæ. Quare arreptâ opportunitate, noctu indè ſolventes, ſcaphis, cymbis & naviculis, quibus trecenti milites veherentur præter nautas, unà cum *Blakio* & *Pophamio*, comparatis, ſecundo *Expeditio ad Inſulas Sillinas perdomandas.*

iiſi

uſi vento, poſterâ luce terram tenent. Inſulæ numero decem jacent conterminæ, niſi quòd exiguo ſpatio fretis æſtuoſis dirimantur, circumpoſitis brevibus ac ſcopulis tutæ. *Threſcoum* & *Briarium* poſt tres horas capiunt jacturâ quindecim virorum: at è Præſidiariis (depreſſâ in profundum cymbâ,) quadraginta circiter merſi, centum & viginti deditione recepti, quadraginta etiam plùs minùs tormenta, ad oram maritimam diſpoſita, (quæ ex duabus celocibus ità collocârant *Regii*.) Maris iracundia militum furori intercedens, quietem per biduum paci ſimillimam faceſſit. At die tertio, cùm Pontus miteſceret, effulminationibus continuis utrique certatum, hinc è *Briario* & *Therſcoo*, indè ex *Sancta Maria*, *Grimsbeio* portu dirimente cominùs prælium. Sed Gubernator *Grenvillus* (*Bathoniæ* jam Comes) ſuppetiis caſſus, Inſulâ tandem cedit, conditionibus haud contemnendis.

Quarum duæ poſt trium horarum conflictationem captæ.

Reliquæ tandem cedunt, paſtis Conditionibus;

Brevi poſtea, ut victoriæ juges in gremia *Parricidarum* ſimul infunderentur, narratum è *Camercanis* Inſulis, *Barbadam* harum ditiſſimam in *Aiſcovii* poteſtatem ſemet conſignâſſe; cujus exemplo ſtabant cæteræ. Ille, octodecim vel viginti celocibus inſtructus, ad *Indias* Occidentales iter ſuſceperat, inſulas eas *Angliæ* ſub jugo denuo miſſurus; & ex improviſo adortus, vicena vel tricena navigia *Belgarum* corripuit, qui gemini Decreti cum contemptu commercia cum iis exercebant. In conſpectu Inſulæ vela faciens, obſeſſam ſex menſes tenebat, atque jam tandem, ſeditione inter Inſulanos obortâ, Baronem *Willobeium* (quem *Rex* eidem præpoſuerat) ad deditionem compulit.

uti & Barbada Novi Orbis Inſula,

ab Aiſcovio per ſex menſes obſeſſa.

Ea dum geruntur apud *Indos*, in *Anglia* de novo erigunt (uti placuit nominare) *Curiam Juſtitiæ* ſupremam; non pro re natâ, ſed per ſex menſes ſtatariam; quæ, ſi citra flagrantem tyrannidis invidiam concoquatur, de die in diem prorogari potuerit.

Suprema Juſtitiæ Curia denuò erigitur, eique ſtataria;

potuerit. Huic à *Pseudo-senatu* præficitur *Keebelus*, aliíque, Assessoribus adjuti quinquaginta è Factionis popularibus. Hi magnam partem Armati, reum ut hostem ad Imperatoris nutum ferire impigri: reliqui universi novæ Reipub. clientes, quorum spes opésque omnes à *Parricidarum* favore penderent; nisi forsan unus aut alter zeli quàm judicii promptior. Cujus sub existimatione tam atrox & prioribus seculis sub longa *Regum* serie decurrentibus inaudita vis, specioso tamen Justitiæ nomine apud imperitum vulgus venditaretur. His *potentia sistendi, inquirendi, & animadvertendi conceditur, sine Appellationis copia, in unumquemque qui cum Rege, Regina, Duce Eboracensi, vel Regiorum quocunque, vel Hibernis commercii quid habuerit aut consilii, dicto factóve sublevârit, in ædes receperit, qui Castrum, Civitatem vel Navim tradiderit, aut istiusmodi traditionem portentaverit*, præter ejusdem farinæ complura crimina. De constitutione fori si perconteris, & quâ fretum authoritate, nôris primò statutum adversùs *Regiam Majestatem* ab iis penès quos adeò nulla jus dicendi potestas fuit, ut ipsis nec per Leges nostras nec mores vel vile mancipium damnare fas esset; exinde in *Nobiles*; postea pro re natâ in morem sæpenumero receptum, jam verò defluxit in consuetudinem. Si quem suspicio vel metus machinationis contra statum publicum urgeret, coram hoc supremo tribunali trahere hominem, sistere, caufidicis & leguleiis (qui gloriolæ aut lucelli causâ venundarent animas) arguendum objicere; & patroni expertem, confusione ac metu perterrefactum, citra duorum testium probationem, nullo duodecimvirorum judicio, (quod solum apud *Anglos* pollet) reum condemnare, quorsum non dicam, occidere?

præsidente Keebelo, assidentibus viris aut militaribus, aut factioni devotissimis,

Crimina de quibus forum istud cognoscere tenebatur.

Miſeranda rerum facies ad vivum depingitur.

Non mediocri ſanè terrori fuit, cùm veluti gladius, è lacunari ſetâ tantùm equinâ appenſus, in nudos omnium ubique civium vertices demitteretur. Id maximè temporis & deinceps, *Cromwellio* rerum potito, ingens delatorum examen locis publicis, privatis, ſacris, prophanis inerrabat. Auſcultabant in *Templis*, compotabant in *Oenopoliis*, ambulabant in *Foro*, accumbebant in *Popinis*, concertabant in *Hippodromis*; *Nobilium* ſervi corrupti, qui menſæ herilis arcana proderent; *Tabernarum* inſigniorum domini (ſaltem miniſtri) mercede conducti, qui hoſpitum vino calentium libera colloquia vel præſentes, vel poſt parietem intergerinum latitantes, imbiberent. Cujuſmodi ſubſeſſores auricularios *Hiero Syracuſanorum* Tyrannus emittere ſolitus, ὠτακουσὰς & ποταγωγίδας dictos. Denique carceribus intruſi, velut capti qui caperent.

Delatorum plena omnia.

Nihil tutum ab inſidiatoribus:

Nullus non pagus diſſidiis abundavit & inſidiis. In ipſis *Civitatibus* ſolitudo, ſilentium, timor, tremor. *Rus* avidè expetebatur, non lautum & ſuburbanum, non vicinorum frequentiâ celebratum, ſed ſiquod avium, incultum, vaſtum & deſertum, ubi nec incurras in militem, nec metuas ab inſidiatore; ubi ignores pariter & ignoreris: ipſa hominum fuga impenſiùs placuit; Tuta enim magis requirebantur quàm amœna. Omnis Societas, Vicinia, neceſſitudo infida. Si qui voluntatis eſſent à ſtudiis pravis alienæ, tamen non rarò fallebant, cùm antea fallerentur. Adeò potenter omnia interturbârat turba paci gravis. Diſcurrunt ubique cum oculis emiſſitiis curioſi ſpeculatores; neque cùm otioſi ſunt, nihil agunt. Strenuè potant, ut leni adhibito tormento, conſilia penitus abſtruſa & intima ſenſa eliciant. In dicta factáque inquirunt, & multò maximè vultum mentis indicem. Artes illis ſunt rumores ſpargere & legere, ſpem hominum credulorum jacentem excitare, excitatam

quibus mille nocendi artes.

citatam miris fabulis in altum extollere, quibus in fumum evaneſcentibus, projectioris in poſterum fiant animi.

Præterea *Nobiles* diverſas partes ſequutos Sycophantiis clàm impetere undecunque arreptis, tantùm ut illis ægrè faciant; Moderatis ſuſpiciones affingere; Operæ *Regi* quoquo modo datæ conſiliive cum ipſo communicati compertos, vel gravi munere ferire, vel in jus vocare. Præter cæteros mortalium execrandi *Illices*, (Trapanns vulgò appellati) quibus ſtudium fuit Cives paulò ſervidiores, nec bilis purgatiſſimos, in fraudem capitalem impellere; impulſos in jus trahere; reos calumniis arcanis opprimere. Hoc artificio circumventi *Chiliarchæ Andrewi* cervix ſecurim tinxit. Nec erubuit Præſes *Bradſhaw* pro Curia profiteri, ſe per literas ſuppoſititias cum ipſo *Regis* nomine collocutum. Sic & Patrimonio *Baronis Craveni* publicato fiſcus crevit. Is turbarum civilium penitus immunis, niſi quòd latos in *Anglia* fundos poſſideret, agebat procul in *Belgio*. Quò immiſſus (quem tamen in finem haud affirmaverim) hoc de grege *Regiarum* partium deſertor, *Auceps* nomine, tetendit inſidias. Teſtis ſingularis ſuffecit *Judicibus Sectoribus*, idem licèt infamis; poſtea hoc ipſo in teſtimonio falſi convictus, autographo ſecùs quàm juraverat concepto, ante judicum oculos linguam venalem reſellente. Hi ſunt *Diplomatum* ſubjectores, ſigilli *Regii* paracharactæ, ſyngrapharum falſarii, tyronum circumſcriptores. Authoritatem militis ſcribendi ipſi ultro tibi conferre, ipſi collatam in exitium tuum vertere. Literas quibus res novæ deſignantur, non ſine læſæ *Majeſtatis* (uti dicunt) crimine tibi in manus dare; poſtea te cum literis culpæ manifeſtarium militibus tradere, in ſorum novitium propellere, cæcæ morti addicere. Ipſi autores facinoris & clandeſtini actores nè interpellari quidem, nedum iſti coràm in judicio;

Nova exoritur ſtirps illicum.

Chiliarchæ Andrewo inter alios mortifera. Horum fraude exutus eſt latifundiis omnibus Baro Cravenus.

aliique in diſcrimen capitis adducti;

dum nefarii authores in tuto delitescerent.

dicio. Quò magis conſtet hæc ſcelera non eſſe privati ingenii, ſed publicè deliberata, ſed in officina *Politicorum* fabricata, ſed ſatellitibus demandata; nempe qui (velut *Hyænæ* odoriſequæ Leonibus ſagacitate deſtitutis prædam venantur) id operæ darent, nè fortè crimina deeſſent quæ ſuprema *Juſtitiæ Curia* vindicaret.

utpote malos haſce artes à Patricidis edoctis.

Scoti conſentiunt in Monarchiam, eámque penes CAROLUM Secundum, obmuteſcentibus qui contrà ſentirent: Super conditionibus tamen diſſidetur.

Scoti quid agerent diu incerti, & varias in factiones diſciſſi, tandem in *Monarchicum Regimen* conveniunt, *CAROLUMque Secundum in Titulum adſciſcendum.* Pauci, quorum ad palatum *Democratia* vel *Oligarchia* ſaperet, ejuſdem cum *Patricidis* ſententiæ, celatum pectore venenum ſupprimentes, non auſi ſunt tamen mentem proferre, nec obmutire. Sed quibus admitteretur pactis in imperii exercitium oppidò diſceptabatur; nec unquam omnino convenit. *Montani* plerique, præter avitos & Legibus inſtitutos, novis non implicandum Articulis ſtrenuè contendunt. Alii, nimirum *Conſœderati*, non niſi renovato ac ſubſcripto *Fœdere* ac *Ligâ*, præmiſſis pœnitentiæ *Patris* & *Matris* ob delicta ſignis; exturbatis inſuper è conſortio & proſcriptis omnibus qui Paternam ob cauſam geſtaverant arma, vel *Conſœderatis* nondum adjungerentur. Taceo cæteros, utpote pactos, quorum animos vel *Regicidarum* corruperant ſalaria, vel *Democraticorum* neceſſitudo veneno infecerat, illi ſiquidem ad ſeveriora extimulare, ut continuis ſcrupulis onerarent, omnémque reditum in gratiam *Regi* præſcinderent. Tandem aliquando, vincente mediâ parte, *CAROLUS Secundus*, poſt factam à Fecialibus locis in præcipuis proclamationem ſolennem, *Rex Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ* denunciatur.

Tandem Rex Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ promulgatur CAROLUS Secundus; mittiturque ad Regem Windramus à Delegatis Ordinum,

Cæterùm diutiùs à *Delegatis Ordinum* & *Conventûs Eccleſiaſtici Vicariis* (quibus res penſitanda & in formam concinnanda demandabatur) productâ diſceptatione, tandem & ipſi decernunt, pertentando *Regis* animo *Windramum* mittere de

Libertono

Libertono Toparcham. Qui Literas perfert mœstitiæ plenas ob nefarium & horrendum *Regicidium*, Ipsíque *Scotos* omne obsequium detulisse narrat, *Regémque* Successorem promulgâsse & subsequentibus pactis admissuros ut Sceptrum moderaretur. *ut commonefaceret, quibus admittendus foret pactis.*

Proposita sic se habebant. *Subscribat Rex Ligæ & Fœderi solenni, Scitóque Parlamentario consentiat quo omnes astringantur subditi; & ratihabeat quicquid hujus stabiliendi gratiâ perpetrârint. Subsignet Actis duarum Sessionum ultimarum Parlamenti; quibus Hamiltonii novissima in Angliam irruptio improbatur. Montis-rosani diplomata & auctoramenta revocet, quibus milites aut in Scotia conscribere, aut alibi conscriptos in Scotiam introducere permissum. Intercessionis juri renunciet. Pontificiorum neminem juxta suam Aulam sustineat. Locum denique indicat inter Belgas, ubi splendida Legatio convenire poterit, ad ista proposita & alia, & quæ itineri prævia forent, ratihabenda.* *Et sic se habebant.*

Apud *Jarseiam* vel *Cæsaream*, *Anglicanæ* ditionis Insulam, ista facta sunt Proposita, ubi *Rex* comitante Aulicorum globo tunc temporis intererat, qui receptis literis *Windramo* gratulatur; alióque nuncio, *Gulielmo Flemmingio*, ad *Scotiæ Nobiles* & *Ministrorum* cœtus haud multò pòst transmisso, cum reciprocis gratulationis officiis rescribit. Demum per *Windramum*, post Epilogum. *Se boni consulere obsequia, & in Regicidas indignationem*, hortatur *ut Regni concordiæ pacique in integrum restituendæ seriò incumbant; Se ob eum finem mulli defuturum officio; jubétque ad Bredam super ea re Legatos mittere, quibuscum instituat Tractatum plenaria de pace redintegranda.* *Rex, perlectis literis, rescribit ad Scotos per Flemmingium,* *postea per eundem Windramum;* *Breddmque Belgarum constituit locum Tractatui concelebrando. Mox cum suis deliberat.*

Rex de istis pensiculatiùs deliberaturus, suorum sententias privatim exposcit, scriptísque ad illos literis, quibus per negotia præsentibus esse non licuit. At, Quot capita, tot sententiæ; sed in duas præcipuas divisæ. *Hi* suadent *Scotis*

Quorum nonnulli horrent omnem cum Scotis concordiam:

nullatenus auſcultandum, ſpecioſis obſequii ſub integumentis proditione latitante. Hujus exemplum Patrem objiciunt, promiſſionibus diu lactatum, donec in ſuorum fidiſſimos duriora ſtatuere compelleretur; poſtea Factionis adverſæ arbitrio permiſſum. Regiâ illum perſonâ vel larvâ potius induendum, dominii veræque authoritatis titulo ſibi ipſis aſſervato. Quòd ſi obluctari contigerit in poſterum, collumve jugo ſubducere, Parricidis Anglis tradendum, vel ſuis ipſius manibus occidendum. Montisroſano Comiti potius adhæreſcendum, quàm junctis Scotiæ viribus; utpote cujus in dubiis fidem, in difficilibus virtutem, in deſperatis magnanimitatem & fortunam habuerat exploratam: ſuis & Amicorum viribus, exterorum ſuppetiis, Anglorum, Hibernorum, Scotorumque auxiliis fretum, contra quorumcunque inſultus & conamina ſolia ſua conſcenſurum. Illi, è contrà, Parlamentariam Authoritatem & potentiam Fœderatorum jactitare; Anglos, etiam qui Presbyterianiſmo ſtudebant, clanculùm favere Scotis, etiamſi ſe non proderent in præſentiarum; Ad famam quoque ſpectare apud exteros, ut Titulus Regis Scotiæ venditetur: Reginam ad pacificationem cum Scotis hortari; qui primo licèt intuitu & congreſſu horridas & graves Unionis leges præſcriberent, laxioribus tamen tractu temporis, diutinâ conſuetudine officiiſque frequentibus mitigatis Confœderatorum animis, & delinitâ ferociâ, Regia Majeſtas uteretur; ſub ſpecioſo Divini cultûs velo & Religionis pallio commodis invigilare propriis, & tandem, temporibus accommodando, Scotos in ipſius placita ſentiret procliviores. Sic inter Scyllam Rex poſitus & Charybdin, fluctuabatur aliquamdiu, cui adhæreſceret dubius, pro re natâ in poſterum velificaturus.

Alii Scotis auſcultandum ſuadent,

uti & Regina Mater.

Rex Montroſſium certiorem facit de Tractatu cum Scotis Bredæ celebrando:

Miſſo in Scotiam Windramo, boni conſulitur reſponſum Regium, lætáque affulget per omnem Gentem concordiæ ſpes. Scribit interim ad Montroſſium Regia Majeſtas, (cui dederat olim invadendæ

invadendæ *Scotiæ* diploma) quid *Scoti* fecerant monens, quodnam ipſe reſponſum indulſerat, futurúmque *Bredæ* Tractatum de Pace conciliandâ: *ut ille nihilo minùs in ſcribendo milite pergeret, cum viris quàm poterit plurimis in Scotiæ præſtò futurus quo tempore Scoti Tractatum auſpicarentur. Sic etenim dubio procul molliores in eo futuros, quando cernerent armis injurias vindicaturum.* Jam autem exire *Jarſeiâ* viſum eſt *Regiæ Majeſtati*, tum quia *Pſeudo-ſenatum* inaudiverat expugnandæ Inſulæ adornare claſſem, tum ut omnia in promptu ſint ſubſecuturo Tractatui opportuna. *Mox egreditur Jarſeiâ Inſulâ.*

Interea deliberant *Scotiæ Delegati* de Propoſitis & Pacificatoribus eligendis: ubi *Eccleſiaſtici*, omnis obliti modeſtiæ & æqui, rigida præter modum, difficilia, impoſſibilia ſtatuunt; quibus laxandis & emolliendis conditionibus laborant *Laici*: tandémque in iſtam ſententiam junctim deſcenditur. Pacificatores hi ſunto; *Caſſellii* & *Lothianæ Comites*, *Toparchæ Burlæi* & *Libertoni*: *Johannes Smithæus* & *Jeffreyus Dynaſtæ* repræſentabunt; *Brodeus*, *Lauſenus* & *Woodus*, *Clerum*. Propoſita verò ejuſmodi ſunto. *Cavebitur edicto, nè quis ad Aulam accedat Excommunicationis fulmine ſyderatus. Fidem Regiam promiſſione jam faciendâ Rex obſtringat, ſubſcriptâ manu & appoſito ſigillo, ſemet Nationale Fœdus approbaturum, triumque Regnorum Ligam & Fœdus. Rata inſuper omnia Parlamenti ſcita facturum, quibus Liga & Fœdus, Regimen Presbyterianum, Cultûs Directorium, Fidei Confeſſio & Catechiſmus imperantur; iiſdémque ſuam intra Familiam uſurum, nec ut à quopiam ſive aboleantur, ſive innoventur, permiſſurum. Præterea, in Civilibus omnibus Senatûs arbitrio ſubſcripturum, in Sacris autem Cœtûs Eccleſiaſtici.* Hæc, poſt habitam Concionem, à Comite *Caſſellii* apud *Bredam* nuncupantur. *Rege* an quicquam haberent ultrà enarrandum ſciſcitante, *Nihil*, inquiunt. *Scotorum Delegati Pacificatores eligunt.* *& in Articulos conſentiunt Regi proponendos.* *Qui & Regi proponuntur Bredæ:*

quiunt; & poſtea, an ullâ ſponſione vindicatum iri in Parricidas tenerentur, reſpondent, *Nullâ.*

Mox & alia paucula per novos internuncios; præſertim in Montroſſium.

De hiſce conſilium ineunte *Regiâ Majeſtate*, Legati adveniunt alii ab iiſdem, *Murrius* nempe Comésque *Carnworthii*, Additamenta paucula Propoſitis adjecturi; ut ſcil. *interdiceret Regia Majeſtas Montroſſano & aſſeclis ingreſſu Regni; noviſſimâque Parlamenti ſcita ſuo aſſenſu corroboraret.*

Deplorandum præcellentiſſimi Herois fatum memoratur;

At *Montroſſani* infortunium jam venit exponendum. Ille auctoramento *Regio* inſtructus, omnē movet lapidem inter *Suecos*, *Danos*, *Polonos*, *Germanos*, & quicquid eſt *Hyperboreadrum* gentium, ut copiis, & pecuniæ, armorum, commeatûſque adminiculo inſtructus, in *Scotiam* trajiceret. Nec moratus; (*Kingo* præ feſtinatione cum equitatûs manu in *Suecia* ponè relicto, qui ſequi deſtinârat; *Ogilbeio* quoque in *Belgio* ad exauctoratos *Auriaci* milites colligendos, qui pecunias huic rei deſignatas interverterat) cum armis mille & quingentis quæ Regina *Sueciæ* miniſtraverat, quatuor navigiis, (è quibus periêre duo ſcopulis alliſa) & quadringentis militibus tumultuariâ operâ conſcriptis, Inſulas *Orcadas* adnavigat; ibique aſſociatis mille circiter Inſulanis (potiſſimâ ex parte piſcatoribus) in terram ſe contulit ad oram *Caitneſſiæ* extremam; anteactorum memoriâ alacer, & ſpe fretus, exercitum ſeſe (accurrentibus undique ad ſigna qui olim *Regi* ſtudebant) non contemnendum brevi comparaturum.

qui, exiguâ manu ſtipatus, præmature terram Scoticam appellit.

Spe ſuâ miſerè fruſtratus eſt; gentium turbas per æſâ, & ad pacem compoſitâ.

Sed eheu! ſpes iſta fefellit *Montroſſanum.* Alia mens erat fractæ jam cladibus Genti, alia conditio periculis defunctæ, & ad pacem compoſitæ, nec non Conſœderatorum ſuppliciis coercitæ. Fervebat tota Regio armorum apparatu, quamprimùm adventum ejus fama pervulgaverat; *Parlamentum* quoque ſedere tum contigit, nec ſine juſſu *Regio*, ſeptémque vel octo millia ſub *Leſleii* auſpiciis

auſpiciis militum numerabat. Contribules pacem malebant qualiſcunque à Dominis permitteretur, quàm incertam etſi gratiorem; & incommodâ potiùs quiete cum ſecuritate frui, quàm cum periculo ſortis mutationem turbamentis aucupari. Imò plures, profundere pro *Rege* vel animam parati, jam demum favorem *Parlamentarium* pacti, fidémque reciprocam & obſequium, eidem ſine ſcelere non credunt poſſe renunciari.

Nil minùs *Dumbathæ* Caſtrum capit, animóque præſentiſſimo procedit ultrà; & ratus Comitem *Seaforthium* cum duobus quos *Regis* in gratiam ſcripſerat millibus conjunctum iri, ad trajectum difficilem & impeditum, quo capto faciliùs coadunari poterant, præoccupandum feſtinat. Sed objecit ſe in via *Straughanus*, qui cum ſelectis trecentis equitibus à *Leſleio* præmiſſus, ut ſpecularetur, ſtativa perturbaret, progreſſui obſtaret, commeatum & milites ad ipſius caſtra confluxuros interciperet, datâque rei bene gerendæ anſâ, non laceſſeret modò, ſed etiam decerneret. Ille, cùm parùm compoſitos, laſſos, nec niſi pedites, & in loco plano atque campeſtri ſpectaret, factâ protinus impreſſione, belli aleam pertentat: eo utique ſucceſſu, ut milites *Inſulani*, arma ſimul & animos abjicientes, in pedes ſe proriperent; *Germanis* interim ſe defendentibus donec nacti abſcedendi veniam transfretarent. Omnia impedimenta à *Straughano* capta, præcipuè *Labarum*, in quo *truncati capitis* effigies, ſtillante ſanguine, cum iſto ſymbolo, *JUDICA ET VINDICA CAUSAM, DOMINE.* Fugit Comes *Montisroſanus*, veſtibúſque cum montano quodam commutatis, per tres dies quatuórve delituit, unico ſervo comitatus; donec Toparchæ de *Aken* jejunio fractum ſe tradidit, qui etiamſi olim ſub ſignis ejus meruerat, mutatâ jam cum fortuna fide, ad *Lesleium* deduxit, mille librarum

Dumbathum occupat,

properatque ad trajectum præoccupandum.

At præſtò erat cum trecentis equitibus Straughanus;

qui perſpectâ opportunitate ſtatim aggreditur, facile fundit fugátque.

Montroſſius proripit ſe in pedes; & poſt triduum inediâ pene exanimis, infido viro ſe tradens, ad Leſleium deducitur;

librarum lucro corruptus. Capti sunt etiam à *Straughano* Baro *Frendericus*, Tribuni *Hurrius*, *Franciscus Hayus* de *Dalgetie*, alius item *Hayus* de *Naghton*, *Sibaldus*, *Grayus*, *Spotswoodus*, aliique plures.

Indè in hostium fauces, Edenburgi indignis modis habitus.

At triumphus agitur de *Montisrosano*, quem jubetur Carnifex, jam distantem mille passibus ab *Edenburgo*, vincire obvium in sella, carróque superimponere, ut publicè conspicuus videretur, & pileo ejus ornatum jumento præequitare, ducens ad *Tolbutham*, publicam nocentium custodiam; multis qui spectatum venerant in lacrymas effusis, ad mutabilis fortunæ conditionem obrepente sensu.

Fosterâ luce in Comitiis atrocium criminum postulatur;

Postero die apud *Parlamentum* capitis causam dicit. Objicitur, *Aures Regias Parlamento cæterisque civibus rectè consulentibus eum præclusisse*; *Rebelles Hibernos in meditullium Regni bellaturos induxisse*, *Parlamentarios olim occidisse*; *Multa damna*, *devastationes & depopulationes Argathelii in terris commisisse*; *Ministros aliquot in primo conscensu terræ Scoticæ malè tractâsse*; *Secundâ vice militem exterum in patriam advexisse*, *idque sine Commissione quantum aliis constabat*; *iniquum adversus comites Confœderatos animum gestâsse*; *atque à Fœdere & Ligâ quibus astrictus esset, fœdè desciviss*e. Hisce criminibus oneratur. At ille, de-

Quæ ille brevi responso diluit.

fensionem sentiens nihil profuturam, breviter & generatim respondet; *Ad Invasionem, Regis per Commissionem intentatam constare satis*; *Nunquam se quidpiam admisisse*, *quod Regium non comprobaret mandatum*, *& sua recta Conscientia*; *Se Fœdere & Ligâ tam Regiæ Majestati obstrictum quàm populo.* Bis solummodo *Parlamento* coram sistebatur; tertiâ vice, prounciante quâ potuit acrimoniâ & contemptu Cancellario *Loudeno*, intrepidus absque omni consternationis indicio sententiam audivit in hæc verba: *Crastino die*, *Martii vicesimo primo*, *Anno Domini supra millesimum sexcentesimum quin-*

Veruntamen à Cancellario Loudeno condemnatur, horrendum in modum vitâ exuendus.

quinquagesimo, furcâ triginta pedes altâ suspendêris trium horarum spatio, unà cum libro & Declaratione. Tum super contabulato caput amputatum statuatur in summitate Tolbutæ; Artus etiam detruncati quatuor Civitatum, Glascowæ, Sterlingæ, Dundeæ atque Abredonii supra portas. Truncus inter maleficorum cadavera sepeliatur, si non solvant te priùs Excommunicationis censurâ Ecclesiastici. Non illi proficiunt veterum de stemmate Nobilium natalitia, non Heroica virtus, & Clementia quâ in devictos usus est, non *Regium* Programma, quo fretus bellum susceperat. Nec veniam ille omnino petiit, sed ingens animi, *tam honorificum duxit in Tolbutham caput erigi, ac in Camera Regia picturam suspici: optabátque satis esse sibi carnis, quæ suspendi omnibus in locis posset, in monumentum fidei erga Regem invictæ.* Piè profectò & perquam animosè sustinuit, quâ publicè affectus est, ignominiam; tantâ Ministrorum redargutione, eâ Populi testificatione, & *divini Numinis* fervidâ invocatione, ut ministris pudorem incusserit, Populo innocentiam vindicârit, Deo Pietatis sensum præbuerit. Aspectantium nemini non lacrymas elicuit; sola *Lorniæ* Baronis uxor non temperavit à risu: quando verò *Argathelii* Soceri caput (ut sunt fragiles & caducæ res hominum) eodem in loco tradetur amputandum, (quod non multos pòst annos obtigit) contristabitur. Alii tres aut quatuor Generosi, quorum operâ spes erat reparatum iri labascentes in *Scotia* res *Regias*, eâdem involuti ruinâ, extremo mulctantur supplicio.

Crastino die summa cum immanitate tractatus, animam exhalat.

Hujus mali atrocitas non citiùs in aures *Regias* pervenerat, quàm præ doloris vehementia graviter afflictus, retulit accersito *Murrio*, sibi cordolio esse, medio in *Tractatu*, quo animos ad pacem propensos crediderat, optimorum subditorum sanguine sese *Parlamentum* polluisse; rationem sui cruoris & totius tragœdiæ sibi reddi

Rex huic malo vehementer indolet, & cum Murrio expostulat.

iram tamen premit alto corde.

reddi poſtulans. At viſum eſt iræ haud ultrà laxare habenas; continere potiùs ac premere, ſpe jam omni, niſi quæ à *Scotis* pendebat, penitus præcisâ.

Scoti demulcent exulceratum Regis animum.

Reſpondent *Scoti*, *Se in eadem perſtare mente quâ animum erga Regiam Majeſtatem propenſum teſtarentur. Pergratum illis, exaudire ſpem pacis redintegrandæ factam; Nec illum movere debent obſtacula primo auditu gravia; Nil cum Montisroſano actum cujus Regem ipſum pœnitere poterat, vel quod rectæ rationi foret incongruum.* Reſponſum hoc pluribus ſuffragiis in *Parlamento* obtinuit, (etſi reluctarentur triginta duo *Democratici*) *Iter in Scotiam acceleret; ſe totis viribus & omni conatu contra hoſtes tueri paratos & vindicare; quanquam literas interceperant ad Montroſſanum datas; quas oblivioni tradere mallent quàm memorare.*

Qui tandem Articulis aſſenſum præbet.

Jam Principis *Gulielmi Auriaci* aliorúmque adjutus conſiliis, in tantillùm lenitos & gloſſematibus modificatos conſentit *Scotorum* Articulos; & (pleriſque neceſſariis cum famulitio valedicens; *Eccleſiaſticis* etiam, quorum *Scotis* haudquaquam gratum adventum crederet) unà cum *Delegatis*, diverſis verò navibus, à *Schivelingâ Hollandiæ* ſolvunt, ad *Speam* fluvium vela vertentes. At paulò in altum provecti, ad *Regem* ſe conferunt *Delegati*, novis (uti aſſerunt) inſtructi documentis, orántque ut ſubſcripto nomine ratam faceret *Ligam & Fœdus* trium Nationum, juxta quod receperant in nuper mandatis ab *Ordinibus*. Quippe Fœderi Nationali nomen dederat, pollicitus & huic Fœderi ſe non reluctaturum: permiſerat etiam aliis omnibus imponi; dixerátque Semet, modò liberet *Ordinibus* ea coram audire per quæ minùs ſubſcriberet, obtemperaturum. Pupugit hoc valde *Regem*, atque ità diſcruciabatur animi, ut mox retroflectere atque in *Hollandiam* renavigare ferè ſtatuerat. Sed exoratus tandem ſubſcripſit; &, nè dubio foret locus, ad fidem hujus rei

atque unà cum Pacificatoribus, etſi diverſâ nave, ſolvit in altum; à quibus inter navigandum novis impetitur Propoſitis, circa Fœdus trium Nationum.

Cui reluctanter ſubſcribit, coram teſtibus,

rei faciendam, quinque vel ſex teſtes adſciſcuntur, qui ſua ſubſcribunt nomina. Hoc malo perfunctum, jugia tempeſtatum pericula excipiunt, & Celoces *Anglicanæ* hâc præſtolantes, inter omnia formidandæ. Nam qui à littore ſpeculabantur, haſce *Regiis* navibus immiſtas credebant, quamvis reverâ ſe invicem non cernerent, nebulâ coopertæ. Per tot diſcrimina, Divini Numinis auſpiciis, *Speam* incolumes applicuere.

tandémque per diſcrimina complura Speam applicat,

Populus *Regis* adventu in *Scotiam* haud modicè lætatur; teſtantibus id plauſu, gratulatione, feſtiviſque ignibus. At *Delegati*, ut ſpecie honoris deducerent ad *Edenburgum*, ſubmovent viſitatum qui veniunt, & officii ergò veneraturos verbo tenus, pugnis & fuſtibus accedentes importuniùs malè mulctant. *Abredonii* ſplendidis epulis excipitur, mille inſuper & quingentis minis in amoris pignus donatis, quas ille inter egenos & tantùm non famelicos ſervos diſtribuit. Atqui hoc peperit edictum, quo de pecuniis cavetur, ut *ſi quibus Regis in gratiam quidpiam erogare videbitur, id omni non niſi ærario publico inferant.* *Dundeani* quoque magnificè receperunt, excepto quòd membrum *Montisroſani* ſuper *Comitiorum* Domûs parte ſuprema palo infixum oſtentarent; novâque illum ſubſcriptione ad novos Articulos *Ordines* urgerent. Poſtea *Edenburgum* uſque ventum; feſtis omnium acclamationibus ſalutatur; atque do novo *Rex Scotiæ*, *Angliæ* & *Hiberniæ* Fecialium præconio ſolenniter denunciatur.

applaudente paſſim populo.

Abredonii ſplendidè excipitur;

pariter & Dundeæ.

Edenburgum cùm ventum, eſſet, ſolenniter denunciatur Rex Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ.

Regia Majeſtas ad *Delegatorum* quorundam temperatur arbitrium; acceſſus quibus illis libet indulgetur, ſubmotis aliis omnibus Satellitium ponitur, *Lorniæ* Barone, *Argathelii* filio, præfecto; à quo obſervantur aditus omnes, ut ſplendidam (verè dictam) cuſtodiam invideat nemo. Myſtæ interim *Presbyteriani* nocte diéque criminibus inhærent; nunc *Patris* vitia, nunc *Matris* Idololatriam & Hæreſin increpantes, utriuſque collum obſtinatum

Ibi pro libitu Delegatorum temperatur: à Miniſtris jugiter divexatum;

obſtinatum contra Reformationem, Chriſti Regimen, & Eccleſiam: Bella, cædes, ſanguinem civilem, educationem & convictum inter *Epiſcopos*, nullo religionis ſenſu imbutos, hominéſque prophanos, inhumaniter & omni abjecto verecundiæ ſenſu inculcant. Pœnitentiæ illum & Humilitatis documentis, Correptionibus & ſeveris inſtitutis in *Novam Creaturam* effingere ſatagentes, ut Crucem priùs ferat quàm Coronam induat, & per vallem *Bacha* ad faſtigium *Regiæ Authoritatis* conſcendat. Abſurdè adeò ſingula, ut inſtitutis ſuis dogmatibúſque nauſeam ipſius crearent potiùs & æternam averſationem, quàm Aſſenſum & ſtipulationem conciliarent. Crimitte ab uno diſcas omnia. *Regem* veſperi in hortum deambulantem bini adeunt Miniſtelli, & objurgant perſeverè, quòd ambulatione diem *Dominicam* prophanaverat; etiamſi duabus eo die interfuerat Concionibus, precibúſque tum matutinis tum veſpertinis publicis, (præter privatas quibus continuò vacabat Meditationes.) *Laici* etiam Auro & Gemmis, quibus ſe fulgidam Coronam redimituros jactitârunt, clàm & paulatim pretioſis lapidibus ſubſtractis, plumaceam ſubſtituunt, qualem *Demetrius* ille humi jacentem, neminem ſanæ mentis verè diceret ſublaturum, Purpuram, *Majeſtatis* vocabulum, & Inſignia *Regi* permittentes, & exantlandas ab ipſo juris dicendi curas & difficultates, (quanquam nec has in ſolidum, ſed eorum ſimul de arbitrio adminiſtrandas) dum *Illi* ſolidas *Legum* ferendarum prærogativas & dominii ſibi arriperent & aſſervarent.

à Laicis etiàm Regali poteſtate tantùm denudatur.

Sed iſta clàm adeò *Parricidis* fieri nequibat, (etſi Comitia mutuis benevolentiæ, ſaltem nullis intentatæ hoſtilitatis indiciis, per Colloquia & Internuncios, viciſſim ſemet affricarent) quin à ſuis in *Hollandia* & *Scotia* (quorum opera non parvo conſtabat) Emiſſariis totam *Pacificationis* hujuſce ſeriem edocerentur. Itaque ut ſibi è longinquo

Regicidæ totam rei ſeriem edocti ſibi conſulunt.

longinquo proſpicerent, ac procellam capitibus impendentem averterent, ineunt conſilia. *Miles* ſub *Fairfaxii* vexillis in promptu aderat; verùm *Dux* ille haud ſatis pronus in bellum contra *Scotos*, qui nullis adhuc *Anglos* laceſſiverant injuriis; propenſo potiùs in Gentē eam eſſe animo, & *Regicidio* grandibuſque *Regiminis* ſubverſionibus animitùs adverſari, ſuſpicabantur. Accerſunt igitur ex *Hibernia Cromwellium*, bello *Scotico* præpoſituri. Ille properè domum reverſus, ſucceſſuum & victoriarum plenus, ovantis inſtar *Londinum* ingreditur, magnâ caterva concomitante. Amici, Cives, *Pſeudo-ſenatores*, (Equitatûs cohorte ſimul & Peditatûs Legione per viam diſpoſitis circumſtipati) & inter eos *Fairfaxius* ipſe, cum Spectatoribus, per duo milliaria ſemet obvios dedêre gratulabundi. At cùm Furcas *Tiburnas* deventum, (is locus eſt ubi Sontes publicè ſuſpendio necantur) adſtante illic turbâ Spectantium conſertiſſimâ, Paraſitus quidam digito oſtentans multitudinem, *Deus bone!* inquit, *quanta hominum frequentia te (Domine) ſalutatum venit?* Subridens ille reponit, *At quanto plures ad tarnificinam meam confluxuros, id ſi fieri contingat, exiſtimas?* Nihil tunc temporis abſimilius; verbis tamen omen inerant, quæ poſtea ſæpius narrando repetiit.

Igitur prætermiſſo Fairfaxio, cui mens in Scotos benevola,

Cromwellius accerſitur ex Hibernia, qui ingenti cum plauſu atque ſolennitate Londinum revertitur:

Conſilio cum *Parricidiis* collato, placet onere levare Baronem *Fairfaxium*; *Generalis Dux* omnium Exercituum per *Angliam*, *Scotiam* & *Hiberniam* declaratur *Cromwellius*; & contra *Scotos* arma capeſſit, milite commeatúque *Berwicum* verſus tranſmiſſo. Non remorantur literæ *Scotorum* ad *Pſeudo-ſenatum*, *Cromwellium*, & *Heſilriggum Novi-Caſtri* Gubernatorem datæ; quibus *Pſeudo-ſenatum invaſionem meditari in ipſorum patriam* conqueruntur; *eámque contra pactum unionis utriuſque Gentis, & fidem utrinque datam, bello non denunciato, cauſâ nondum expoſitâ, eorum reſponſione neutiquam expectatâ,*

Mox & Belli Dux Generalis Fairfaxii loco pronunciatur, Scotiam extemplò invaſurus. Scoti dant literas dehortatorias;

quibus respondetur ab Anglorum Doctoribus.

expectatâ, nullóque respiscentiæ loco relicto, si quid deliquerint. Ut verò bellè procedat fabula, *Doctores Anglorum* Responsum adhibent; quod, ut tempora ista melius apud posteros innotescant, enarrare haud gravabor. Sic se igitur habebat, missâ Præfatione.

Regicidium nobis vitio vertitur, de quo Deo potius gratias agere tenemur, & Parlamento gratulari: cùm Rex effusi sanguinis reus fuerit, ultrà omnium Antecessorum sævitiam; obstinatus Reformationis hostis, omniúmque proborum hominum; qui Filium insuper edocuit, ut Paterna premeret vestigia: Huic quidem à saniore populi parte, exclusis ac de ponte dejectis timidis & nequam Senatoribus, meritò nex illata; cui Deus etiam, qui initio monstravit iter, stupendis successibus & jugi benedictione attestatur. Quod objicitur è contrà, Tractatum, jus belli & Nationale Fœdus violari, bello ante indictionem illato, hoc ab Hamiltonio, suíque Parlamenti jussu, jam olim abrogatum; nisi credat solos Anglos religione Tractatûs & Pactorum astringi, Scotos verò nequaquam. Fœdus & Ligam crepant; sed animadvertant, ibi Religioni & subditorum libertati primariò caveri, Regio honori defensionique non nisi secundariò & in ordine ad antecedentia: quoniam autem ista sibi mutuò contrariantur, tolli æquum est posterius & ignobilius. Ad Presbyterianismum firmandum quod spectat, sanè non erat ea Fœderis intentio, ut volentibus nolentibus vi & armis imponeretur, nisi quatenus è Sacrô Codice Rationisque rectæ momentis ostendi posset: quibus & Ipsi subscribere parati. Postea, *invocato Dei nomine, in visceribus amoris & misericordiæ plenis, sese præ cæteris mortalium exultaturos* aiunt, *modo satisfactionem citra arma & securitatem impetrare potuerint.* Hoc ad mercaturam *Berwici* adventantibus *Scotis* (quò deliniti, de iis bene sentirent, factionésque inter populum crearent) distribui curant.

Cromwellius

Cromwellius etiam phaleris præludit *Scotis*; edicto publicato, & per *Scotiam* ab inſtitoribus ſparſo: ubi *bono animo eſſe* jubet *honeſtos inquilinos, quorum per regiones ducendus foret exercitus, nullâ ſibi cum iis intercedente lite; neque à domiciliis abſcedere; ſibi ſiquidem ſtatutum neutiquam damnum inferre, ſed patrocinari potiùs. Modeſtiam inſuper & diſciplinam militarem ut recordentur* monet, *quarum oculati teſtes ipſi fuerant, cùm Hamiltonienſes in meditullium Regni victor perſequeretur, & ex anteactis de futuro judicium ferant. Sibi eſſe cordi proborum hominum univerſa; ferrúmque ſe jam ſtringere adverſùs injuriarum authores, qui nuper Angliam pariter ac Scotiam cædibus & ſanguine polluerunt, novis utramque mox implicaturi miſeriis, admiſſo in gremium Rege, ſcelerum comperto.*

Cromwellius etiam plebem Scoticam allectat verborum lenociniis:

Sed ſurdis canitur, fallaciarum & fraudum hominis jamdudum gnaris: Nam aufugientes confertim Incolæ cum bonis quæ aſportari poterant univerſis in tutiora ſemet receperunt: nec eduliorum quicquam eo in tractu expectandum, niſi quæ naves inveherent litus ex oppoſito adlegentes.

a: fruſtra; cùm aufugerent omnes, nec cibamenti quicquam ponè relinquerent.

Exeunte menſe *Junio*, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo, Equitatûs quinque millia & quingentos, Peditatûs undecim millia, cum ſedecim Tormentis omníque bellico apparatu, ducens in hoſtica, *Muſcleburgum* uſque, intra lapides ab *Edenburgo* perpaucos, quartis caſtris venit.

Cromwellio Scotiam ingreſſo,

Interea temporis haud oriatum à *Scotis*; verùm ſub *Leſleii* ſenioris auſpiciis inſtituto delectu, quàm celerrimè pars copiarum *Leitham* inter & *Edenburgum* caſtrametatur, aggere, foſſâque & militaribus aliis operibus communita. Quarum in ſuppetias conſcripti undiquaque milites, qui Fœdere aſtricti, & neque ſub *Montroſſano* nec *Hamiltonio* meruerant, indies confluxêre. Nullâ interim *Regis* habitâ ratione, apud *Sancti Johnſtoni* oppidum

Scotorum copiæ Leitham inter & Edenburgum caſtra ponunt.

pidum relicti; obtento, quòd non satis Precationibus vacârat & Mortificationis operibus, ut plasma *Presbyterianum* susciperet.

Cromwellius è proximo ad pugnam provoca. Mox impetum in castra meditatur. Consultiùs tamen Muscleburgum versus ducit, militibus reficiendis.

Cromwellius deinceps intra mille passus à *Scotorum* castris aciem explicat; egressusque in campum, ut de rerum summa decernatur provocat. Sed *Scotis* ad conflictationem non ità pronis, *Arthuri collum* prope *Edenburgum* conscendens, hostilia munimenta speculatur, deliberaturus, annon expediret impetu in castra facto hostile vallum rescindere, dum copiæ adhuc suæ validæ perstarent, *Scotique* aliqua ex parte imparati. Verùm ab ausu isto dissuadent *Ductores*, utpote periculi pleno, si non & temerario. Igitur nihil indè emolumenti sperandum perspiciens, versùs *Muscleburgum* ducit, ad milites reficiendos; ponè relictis qui hostem, fortasse impressionem à tergo facturum, distinerent. Et fecerunt quidem, fusósque & fugatos usque persequuntur, donec *Lambertus* cum altera manu militum repressit, etsi gemino mulctatus vulnere. Complures eo prælio occubuêre; quod tamen instar præludii fuit ad noctis insequentis cladem. Receperat enim in se *Straughanus*, cum mille quingentis equitibus (quos *Clerus* adornaverat) vel de vivo *Cromwellio* triumphare, vel dare mortuum. Suggesta ob eum finem & Ecclesiæ in preces effusæ; cœli pro foribus intonare Sacorum Ministri, victoriam implorare, (penè dixeram, imperare:) quasi *Divinum Numen* ex officio teneretur *Sanctis* suis, à *Malignitatis* fermento depuratis, & *Sacro* cum Ipso *Fœdere* conjunctis, contra *Hæreticos*, *Sectarios* & *Regicidas* omnino subvenire. Ille interim operâ subitaneâ validâque *Cromwellianos* adoritur, & primas custodias perturbat: verùm haud læto successu; dum hostis, aliis super alias conglobatis turmis, fusos *Ecclesiasticos* ad castra usq; persequitur; *Straughano* ipso de equo deturbato, & difficulter pedibus in urbem elapso. Fugâ & terrore

Hostem insequentem Lambertus reprimit. Straughanus ampullatur, Clerique non minus precibus quàm equitatu fretus

Anglos adoritur.

Profligatur tamen, ipséque in pedes se conjicit.

terrore perculsis omnibus, juxtà ferè inimici in castra penetrârant, ni *Regia Majestas* eo manè adveniens auspicatò interfuerat. Nam ille, obversis in fugitivos tormentis, ni gradum sisterent, & sub tutela machinarum restituerent Ordines, dein alia post aliam cohors stativa in castris reciperet, globos contrà minabatur. Totam eam noctem, stratis humi vestimentis, insomnis duxit *Regia Majestas*; at milites consequente manè, gnari quanto periculo liberârat exercitum, & quàm bene de iis meruerat, ingratitudinis testimonium, aliqui galeros & pilea, alii saga, pro tessera, *C. R.* carbone vel funiculo igniario notata præferebant.

Consternatos milites Rex in ordinem cogit.

Hinc ei plurimus honos defertur à milite.

Irâ efferbuit ad ista militare Concilium: venientésque *Ministri* obnixè rogant, ut semet subtraheret, nec periculosæ militiæ immiscereret; fœderatum cum Deo prætendunt, utì *Regum* præterea neminem; nec exponenda erat Hosti vita decem millibus gregariorum potior; & multa istiusmodi. *Rege* autem obstinatiùs abnuente, atque indignum rato qui *Regium* Sceptrum, qui Diadema gestaret, si vulnera metuat, si pro subditis vel sanguinem profundere detrectet; accedunt etiam precatum *Ductores*, rogant, instant, interminantur denique haud obscurè, si nollet, res suas sibi haberet; ni mallet indigna pati, aliò migret: quibus victus rationibus tandem recedit. Cæterùm *Proceres* & *Ministri* in authores *Regii* adventûs inquirunt, & ferè millenos equites peditúmque duo millia exauctorari jubent, sub *Malignantium* nomine; vel quòd Fœdere non obstringerentur, vel serò nimis, nullis pœnitentiæ characterismis editis. At ista eo tempore fugiebant *Cromwellium*, qui sine lytro propria in rheda captivos, quos nuper corripuerat, mittit *Edenburgum*; ut hoc genere officii dem creatur *Ecclesiasticos*, de quibus spem omnem nondum abjecerat; vel saltem res hostium speculaturus.

Ringunt Ductores; orant Ministri ut recedat:

quibus ægrè tandem auscultat.

Captivi donum asportantur in Cromwellii rheda.

Is Barodunum redit;

Ab eo revertitur *Barodunum*, ubi ſtationem naves habebant, ut languentes reficeret commeatu, quietíſque aliquid militibus daret, ac longiùs a caſtris *Scotos* alliceret. Sed paucos poſt dies præ moræ impatientia retrò profectus, *Edendurgi* deprehendit exultantes & feſta celebrantes ob diſceſſum *Anglorum*, novóque ſuo adventu lætitiam præcocem conturbavit. Mittitur autem ad *Cromwellium* à Cœtu *Eccleſiaſtico David Leſleius*, ut de *Scandalo* commonefaceret à *Rege* dato, dum *ſubſcriptionem averſaretur, quâ renunciandum erat Patris & Matris ac ſuis ipſius Criminibus: idcirco Eccleſiam & Rempublicam palàm facere, nullam ſe Malignantium defenſionem ac tutelam ſuſcepturos*, (nam hucuſque pervicaciter detrectârat *Regia Majeſtas*) *ſed puram putam Dei ob cauſam & Regni depugnaturos.*

retróque derepente ducens perturbat Scotorum gaudia.

Malignantium defenſioni abrenunciatur à Clericis laiciſque.

Scotos ad prælium nullo modo eliciendos videns, *Penlandiæ* montes ſcandit *Cromwellius*; unde *Collingtoni* ædes & *Rubrum ædificium* (quorum utrique defendendo milites imponebantur) ut excuſſos vallo in apertum campum effunderet, coram ſpectantibus copiis expugnavit. Cùm verò neque ſic extrahi potuerint, ferox eductis copiis ultrò citróque circuit caſtra, luſtrat, irritat, aggreſſionem præſentaneam interminatur. Nihilo minùs continent ſe *Scoti*, nonnunquam ex occaſione laceſſentes, & interturbantes quidem, ſed aperto Marte non auſi de rerum ſummâ concertare: donec velitationibus & leviculis prœliis *Cromwellii* vultum intueri, arma exercere, metúmque dediſcere milites edocerentur; copiáſque *Cromwellianas*, aëris inclementiâ, frigore, fame, vigiliis & crebris conflictationibus detritas, nullo tandem cum negotio debellarent.

Cromwellius bina munimenta expugnat, aſpectantibus Scotis;

qui tamen ſe continent,

Verùm, quia rumore percrebuerat, *Scotos* intra ſpecus & latibula ſe ſalvâ cute continere, quòd non auſi ſint (ignavum pecus) Martis aleam tentare, ut hujus infamiæ maculam abſtergerent,

& ad eluendam puſillanimitatis maculam, certum faciunt Cromwellium pugnæ brevi incunda,

ſplendidam

splendidam mittunt ad *Cromwellium* Legationem, quò pro certo sciat contrarium se intra paucos dies experturum. Atque ad fidem hujus promissi reverâ faciendam, eductis post biduum copiis, à dextra movent, quasi *Sterlingam* versùs, itérque haud longum emensi, subsistunt. *Cromwellius*, nè præliandi copiam ab iis jam factam detrectare videretur, ducit è contrà, insequitúrque: cùm autem intra pilæ jactum appropinquaret, incitato equo progreditur ipse speculatum quid obicis interpositum, *Scotis* haud ultrà moventibus. Deprehenso, quod sine difficultate superari nequibat, stagno paludoso, grandibus machinis (hoc enim solum potuit) effulminare in exercitum; cui *Scoti* ex adverso paribus responsitare bolorum jactibus. Duarum horarum spatio fragoris hujus concentus cum exiguo utriusque partis damno perduravit; mutuo dein recessu finita est ludicræ pugnæ species.

moventque ad dextram, & sistunt gradum.

Ille mox insecutus,

stagnum comperit interpositum.

Repetenti super *Penlandiæ* montibus stativa *Cromwellio*, nunciatur Hostes *Muscleburgum* intercepturos, & commeatum, quem cymbis pro more *Baroduno* receperat. Igitur eò ducunt nocte perquam intempestâ; & refecto exercitu, quingentos armis sustinendis impares, quà vulneratos, quà morbosos, immittunt in navigiola, cæteris *Hadinam* discedentibus. Præstò sunt à tergo *Scoti*, extrema carpentes, subsannantésque; nec stativa citiùs occupârant, quàm insultus fieret: sed ad quietem tantummodo perturbandam, & stationes infestandas, non ut universis copiis confligeretur. Postero die *Barodunum* pergunt *Cromwelliani*, medio *Berwicum* inter & *Edenburgum* spatio, littori vicinum: ex Australi plaga *Lomuriæ* montes ægrè superabiles. Eò ad *Copperspitum* miserant *Scoti* manum militum, qui jugis insidentes pauci numero, plurimorum transitum impedirent: castra etiam circumcirca *Barodunum* posita: Eâ nocte admodum impluviâ;

Indè Muscleburgum, nè interciperetur, noctu ducit; mox Hadinam:

posterâ luce Barodunum, Scotis extrema carpentibus,

qui circumcirca castrametantur.

Ductoribus passim palabundis, gregarii milites (uti semper malè rem gestam ad Proditionem referunt) funes igniculares nescio cujus suasu restinxerant, custodiâ sat magnâ juxta *Anglos* positâ.

Inalbescente cœlo, Lambertus primum adoritur Scotos mox & Cromwellius; qui ingentem reportant victoriam.

Sed refectis eâ nocte sub tectis *Baroduni* refocillatisque militibus, *Cromwellius* circa lucis ortum bipartitus copias, *Lambertum* primò immittit in custodiam *Scoticam*, ipse à tergo sequitur; & acri commisso prælio, in quo plerisque vulneratis permulti pereunt, dissipatos omnes in castra usque consectatur. Ingens in iis confusio, clamor, huc illuc fugientium strepitus; dein expirantium ejulatus gemitúsque, victorum clangor & exultatio, fuga, strages exoritur. Tria millia occidione delentur, novem millibus in deditionem receptis; armorum quindecim millibus captis, cum majoribus machinis universis & apparatu bellico, ducentis & ultrà signis militaribus. Captivi (mutilatis, imbecillibus, & hominibus nihili libertate donatis) ad *Novum-Castrum* in *Anglia* mittuntur; ubi ab *Hesilriggo* præfecto multi inediâ enecantur, brassicæ crudæ foliis comestis, & avenâ perparcè suppeditatâ; robustiores, huic victui superstites, ad pistrinum damnantur, nostras volo *Saccharo-molendinas*, quò ad Insulas usque *Camercanas* ab institoribus *Anglis* divehuntur. Hæc dum geruntur, rostra personant precationibus *Edenburgica*, certam & citam victoriam pollicentia; jam in propinquo esse pedes eorum qui læta annunciarent. Sed ecce, dum

Lesleius ipse cladis nuncius, vanam reddarguit rostrorum confidentiam.

expectantur in horas lætorum nuncii, adsunt tristium; *Lesleius* ipse horâ ejusdem diei decimâ præstò est, omniáque narrat miserè perfundata. Adeò *periculosa res est de Deo judicium ferre, & inscrutabilem Providentiæ abyssum nostræ metiri Rationis decempedâ. Instituta nostra, etsi è sincero corde profecta, ravò non corrumpunt pravi affectus.*

Cromwellius,

Victoriprope-diem cedunt Leitha cum Edenburgo:

Cromwellius, retroactis ſignis victricibus, & gliſcente conſternatione, *Leitham*, *Edenburgum*, & circumvicina cis *Boderiam* (*Forthæ* nomen jam ſortitum) præſidia deditione obtinuit. Solum *Edenburgi* Caſtrum auſum eſt obſiſtere. Solidæ illud rupi præaltæque inædificatum, (*Alati* appellatione nobile) ſitu & arte inexpugnabile, quò non niſi per unum clivum præcipitem pateſcit via, nec niſi duobus tribúſve ſimul aſcendentibus; tormentis quinquaginta munitum cum copioſo commeatu, *Dundaſſio* præfecto, quadringentis ſtipato militibus. Hoc è veſtigio ſepimentis circundare occepit, ut conſpectu civitatis prohiberetur; invitatis exinde *Miniſtris* (qui eò ſe receperant) *Edenburgenſibus*, obtentu ſecuritatis & patrocinii. Omnia navigia, cymbas, lintréſque in *Boderia* ſive *Fortha* vel frangi jubet, vel eis flumen ad *Leitham* perduci, ut omnis in hoſtica ſeu commeatum ſeu viros tranſmittendi opportunitas abſcinderetur.

cujus tamen caſtrum obnititur, ſitu & arte inexpugnabile.

Sepimentis igitur circundari jubet.

Indè copiarum reliquias prælio ſuperſtites Sterlingæ, ſed fruſtrà, venatur.

Exinde *Sterlingam* ducit, quò totus evaſerat *Scotorum* equitatus, cum reliquiis peditatûs. At munitiorem comperiens quàm quæ iſtâ anni tempeſtate potuerit expugnari, re infectâ digreditur ad *Glaſcouam*, Miniſtrorum animos, qui omnia pro arbitrio moderabantur, illecebris ſuis tenturus. Hos prenſat, hiſce adblanditur, omnia bona pollicitus, & aliquantulum emollit, Sirenum inſtar cantu demulcens cicuránſque. Mittit inſuper eâdem operâ ad *Delegatos* vel *Concilium Scoticum*; *Kerrii Straughani*que, Ductorum, etiam pertentandi gratiâ; undiquaque diſpertiens veteratores & Paraſitos, qui, tum blanditiis verbiſque melle inſperſis, tum minis & correptionibus flecterent contribulium animos in ejus partes, vel frangerent. Biduo triduóve tenuere virum cum Miniſtris negotiationes: quo tempore unum è *Montroſſii* membris portæ ſuperimpoſitum inhumârunt milites, eo nomine gene-

Hinc Glaſcouæ viſitat Miniſtros, & in ſuas partes illicere conatur: Kerrium literis miſſit Straughanúmque pertentat.

rosiores & æquiores quàm qui sepulturam inhibuerant. Cæterùm, nè perderet operam ex toto, *Jedburgum* oppidum expugnat, mox *Edenburgum* revertitur; paulóque pòst classis applicat *Leithæ*, novo milite, pecuniâ, sagis militaribus, fœni proventu, & omni denique commeatu abunde locupletata.

Post triduum, capto Jedburgo, redit Edenburgum.

Quoniam autem vias *Edenburgum* inter & *Angliam* latrociniis & cædibus infestabat pestiferum genus prædonum, quos Nosse-Troopers indigitant, hosce *Monckeus* cum mortario & machinis quibusdam, lectissimâque tum equitatûs tum peditatûs manu, venatum proficiscitur. Quos cùm ex indiciis resciscet in ædibus *Darltoni* pernoctare, haud procul ab *Hadina*, noctu circumseptâ domo, manè capiuntur omnes, mortario & machinis impetiti. *Rostanum* proximo loco venit in manus: dein *Tantalloni* Castrum, quod rupe præruptâ situm, ex lateribus tribus alluitur mari; ad occasum verò, ubi patet introitus, propugnaculis munitissimum; intérque *Edenburgum* & *Barodunum* mediam occupat viam. Hoc insuper à *Monckeo* tamdiu verberatur, donec muris conquassatis & ruinam agentibus, in potestatem venerint omnes *castellani*: quanquam à *Jacobo* Quarto *Scotiæ Rege* multis mensibus obsessum, tormentorum muralium furorem sustinuerat. *Humium* Castrum quoque sub id tempus, etsi super petram editissimam & inaccessam positum, pactâ tamen Præsidiariis impunitate, capit *Fenwicus*.

Monckeus ad prædones subigendos proficiscitur;

Rostanum expugnat, necnon Tantalloni Castrum validissimum:

uti & Fenwicus Humium Castrum, haud minùs validum.

Sed ad *Edenburgi* Castrum redeundum, quod ut potestatis suæ faciat, nihil intentatum relinquit *Cromwellius*. Primò cuniculos experiri statuit, accitisque qui carbonariis operibus assueverant, tum *Anglis* tum *Scotis*, fossionibus indulget; igníque vi lapides emollire annititur: sed incassum, ob duritiem petræ, quæ tanta comperta est, ut istas artes omnino respueret. Cùm itaque in aëra mittere nequiret evolatum, in terram

Cromwellius ad Edenburgi Castrum perdomandum seriò accingitur.

terram proſternere conatur: nocte diéque ſuggeſto tormentario extruendo incumbitur, tam prope caſtri mœnia, ut continuis ictibus patérent: quò demum plurimo cum ſudore excitato, corbibus vimineis terrâ ingeſtâ munitis, mortaria quatuor & ſex majora tormenta librantur; atque immaniter ingenti cum damno ſimul & boatu intonuerunt. Perterrefactus *Dundaſſius* colloquium petit cum Prætore *Abredonii* & altero, (cujus nomen mihi incognitum) utroque tunc temporis *Edenburgi* agente. Abnuentibus hiſce viris cum eo conſerere ſermones, rogat ſecundò licentiam explorandi vires animúmque Concilii *Scotorum* de ope ferenda. Cùm autem nec hujus voti compos redderetur, licentiam nuncii mittendi denegante *Cromwellio*, utrinque ad pugnam accingitur. Tandem, Uxore ſuâ mortarii ictu confractâ, cùm centum & viginti milites clanculùm recepti, pœnitentiæ atque Seditionis feminibus interſperſis, *Gubernatori* prætextum facerent, animo præconceptum, honeſtè *Caſtrum* tradendi, *Fecialem* amandat ad *Cromwellium*, atque in hos Articulos ex utraque parte conſenſum eſt. *Caſtrum cum bellicis omnibus machinis, commeatu, & apparatu caſtrenſi, cedant in Cromwellii poteſtatem. Integrum eſto Scotis, Scripta tam publica quàm privata, Schedas & Rotula convaſare, & Fiſam uſque deferre. Omnia bona in Caſtro recondita veris poſſeſſoribus quibuſcunque reſtituantur. Milites cum apparatu militari ad Bruntilandiam tranſvehantur, ægrotantibus & vulneratis, uſque dum convaluerint, Edenburgi relictis.*

Itaque tentatis fruſtrà cuniculis, tormenta admovet; quibus immaniter effulminatur.

quoad Præfectus, petitis incaſſum colloquiis, copiáque ſcribendi ad Concilium Scotorum,

Uxore tandem mortarii ictu confractâ,

conſentiret in hos Articulos,

Tormentorum quinquaginta tria capiuntur, quædam & formâ & magnitudine viſendâ; octo millia armorum, octoginta pulveris nitrati dolia, omnia *Regis* Periſtromata, Aulæa, & Cimelia. Sic cecidit (ut ità dicam) *Caſtrum Alatum*, fractis jam alis; & Arx quæ ſuâ *Virginitate* gloriabatur, nullam hactenus paſſa victorem,

Caſtrique excedunt.

victorem, *Cromwellio* jam rapitur defloranda. Telis argenteis expugnatam vociferantur *Scoti*: sed de obscuris judicium meum lubens non interponam.

Consulitur à Scotis quid factu opus.

Proceres interim *Scoti* trans *Fortham*, indicto ad *Sancti Johnstoni* oppidum *Parlamento*, quid rebus in desperatis factu opus deliberant, ad reliquias Patriæ tutandas,& amissa ex hostium faucibus eripienda: ubi *Regia Majestas* parvi penditur; animúmque vicissim in *Presbyterianos* gerens, ob eorum acerbitatem, in dies offensiorem, ad *Montanos* fugam accelerare, horum in amplexus se conjicere, hisce patrocinari, communémque fortunam experiri cum hisce subditis meditatur; utpote qui à *Confœderatis* rejecti, separatim induerant arma; &, nisi *Regis* cohibuisset reverentia, in *Contribulium* istorum faciem involârant, saltem infestis armis invaserant. Nunc autem, subaudito quàm indignis modis apud *Confœderatos Regia Majestas* haberetur, invitant ad se, tutelam & defensionem pollicentur; putà Marchio *Huntleus*, Comites *Atholiæ*, *Seaforthii*, Barones *Ogilbei*, *Gurdonii*, *Middletoni*, & complures alii *Dynastæ*. Hisce jam auscultârat *Regia Majestas*; cæterùm prospectat tacita quo pacto ex istorum manibus elabatur. Igitur equum sine ocreis conscendens, non nisi tribus, quasi aucupatum iret, concomitatus, ex oppido egreditur, itérque ad ædes Vicecomitis *Dedupi* facit, in borealibus *Fifæ* confiniis latitaturus; dum nuncii redirent, qui missi sunt *Montanorum* animos, utrùm opitulari potuerint, & reverâ voluerint, certò exploraturi.

Rex posthabitus fugam ad Montanos meditatur;

à quibus, arma seorsim indutis, invitatur:

fugitque privatim ad ædes Dedupi.

Interim per *Anglum* quendam cognito ubi *Rex* delitesceret, ingens exoritur inter *Proceres* disceptatio, An suas sibi res habeat derelictas, & sibi ipsis tantummodo consulant *Scoti*; an gratiâ de novo redintegratâ, majoréque in posterum promis-

miſſo obſequio, ipſius operâ utantur ad partes omnes & ſtudia concilianda. Hoc placuit plurimis; eóque conſilio *Montgomerius* amandatur ocyùs cum fidiſſima equitatûs cohorte, qui moneat *Regem*, quàm pernicioſa ſibi ſuiſque fuerit iſtiuſmodi *Fœderatorum* deſertio; hortetur ut redeat; atque de futuro polliceatur gratiora. Profectus ille, Vice-comitis *Dedupi* domum nocte circuit, intrat manè; provolutúſque ad *Regiæ Majeſtatis* pedes, tanto pollet alloquio, ut ejus & cæterorum ſauſu, comitem ſe daret retrogradus ad *Sancti Johnſtoni* oppidum. *Sequitur Montgomerium.* *& Regis reditum impetrat.*

Eo decurrente tempore, in cumulum malorum *Principis Auriaci* obitus acceſſit. Ille Variolis decubuerat, quæ initio blandiri videbantur, nil mali minitari; at poſt Phlebotomiam, linteamina ſubindè mutata, eſúmque carnis intempeſtivum, inopinus moritur; certè *Regi* & Familiæ ſuæ præproperé. Filium verò poſthumum, paternæ virtutis (cui plurimum *Belgæ* debent) autotypum, maturi jam ſimul & acris judicii, etſi ex ephebis nondum exceſſerit, in ſolatium reliquit. *Obit Princeps Auriacus.*

Jam paulatim inflecti *Scotorum* animi occeperant. Olim nemo in militiam admittendus, niſi qui fidei rationem redderet, cujus de religione liquidò conſtaret. Aſſentatoribus, qui fronte, oculis, vultu optimè mentiebantur, ad arma patebat acceſſus; ſtrenuis autem, & qui pluribus in bello promeruerant palmis, præſtruebatur: nulla reſtinguendo incendio placebat aqua, niſi quæ puro de latice promanaret; nullus præter ſacrum & Spiritûs gladium in hoſtes diſtringendus. Nunc belli participant univerſi, neque tamen niſi crimina ſua faſſi, & pœnitentiâ qualicunque purgati conſcientias. Fœderis capiſtro de novo alligantur Marchio *Hamiltonius*, Comes *Lauderdaliæ*, *Crawfordii*, *Buchaimi*, Baro *Leithæ*, *Dedupi*, *Leviſtoni*, cum multis aliis *Scoti jam tandem quoſlibet admittunt in ſocietatem belli;* *at prius Fœderatos.*

aliis perilluſtribus viris. *Angli* etiam, uti Dux *Buckinghamiæ*, *Wilmottus* Baro, *Cliviæ* Comes, *Maſſeus*, aliique, quorum nomina me fugiunt, aſſociantur.

Obnitentes, Rege in. ercedente, cum cæteris coalejcunt.

Sed *Middletonus Huntlæuſque*, Indemnitatis ſtatuto parùm contenti, junctis Comitis *Atholiæ* copiis, movent adversùm, & *Brownii* legionem fundunt; cum *Leſleio* porrò concertaturi, ni *Regio* adventu conſopita fuiſſet iſta controverſia; *ſingulis Excommunicationis fulmine ſolutis, Fœderi & Religioni de integro aſtrictis, atque in ſocietatem belli pariter admiſſis.*

Hæc dum trans *Fortham* geruntur, literarum *Cromwellii* moliminúmque veſtigia emicare, jactis inter *Scotos* Schiſmatis ſeminibus, unde fundamenta *Eccleſiæ* miſerum in modum concuſſa ſunt; *Remonſtrantibus Regem* adversùs & *Eccleſiaſticos* ejus debacchantibus è ſuggeſto; Libellis quoque palàm editis (tandem & Actionibus coram *Cromwellio*) in Conſeſſus generales, quibus, quia clamoſis hiſce dicteriis interdicebant, petulantiùs obloquuntur: & ubique clamitant, *nemini ſincerè pio licere vel* Senatûs *juſſu, vel* Regis, *vel* Cœtûs Eccleſiaſtici, *prædictam ob cauſam, capeſſere arma.*

Diſſident inter ſe Miniſtri.

Remonſtrantia à plurimis ſubſcripta;

Tota Auſtralis *Scotia*, cum *Cleri* parte maxima, & cui *Kerrius Straughanúſque* præerant equitatus, in *Remonſtrantiæ* ſubſcriptionem pertrahuntur; ubi acerbitatis ſuæ virus evomunt in omnes eos *qui nimis feſtini Regem intromiſerant, nullis videlicet infucatæ Pœnitentiæ vel Converſionis ad Deum editis indiciis; haud exploratis etiam Parricidarum animis, quibus non erat ſatisfactum*; & multa ejuſdem furfuris objectantes: ad extremum indigitant vias quibus hiſce malis occurri poterit. *Parlamentum* & *Cœtus Eccleſiaſticus* molliori reſponſo mitigare primùm, & quaſi fomentis delinire exacerbatos animos, nec non invitare ipſorum *Delegatos* ad *Sancti Johnſtoni* oppidum;

oppidum, ut absque strepitu, siqui scrupuli tenuissimi adhuc resederint, eximerentur. Verùm insolentiùs referentes provocant ad *Sterlingam*, obtentu *majoris utriusque Consessûs incolumitatis.* *quibus seditiosè se gerentibus,*

Istam Seditionem ut compesceret *Parlamentum*, *Kerrio* dat in mandatis comprehensum *Straughanum* sistere pro tribunali: quâ re semel ab eo perspectâ, fugit impiger in *Cromwellii* castra, & catastrophen suæ fortunæ dedit, ibi propediem fato concedens. Sic solus *Kerrius* Equitatui præficitur. *Kerrius armatur in Straughanum, qui mox obiit.*

Jam autem de intestinis inter se *Scotorum* dissidiis desperans *Cromwellius*, *Kerrium* persequitur; jussisque ab Australi *Cluidæ* rivi margine procedere *Lamberto* & *Whalæo*, stipantibus quinque legionibus peditatûs, & centenis majoribus sclopis armatis equitibus, ipse à boreali parte progreditur. *Lambertus* per *Pebeelium* ducens, *Hamiltoniæ* stativa posuit: quam rem per exploratores edoctus *Kerrius*, cognito quoque abesse *Cromwellium*, cum mille quingentis equitibus altâ nocte *Lambertum* ex improviso adoritur; idque successu initio satis felici; donec fortè fortunâ, arbor in via oppidi media transversim strata, quam cum turma tutabatur Capitaneus, coerceret impetum, dum aciem instrueret *Lambertus*, hostémque circumveniens, à tergo involaret. Facta tum strages est haud contemnenda, & inter cæteros capitur, manu plumbo perfossâ, ipse *Kerrius*; reliquiis ad *Videgorum* usque (*Avam* nunc vocitant) fugatis; quam etiam civitatem mox occupatam præsidio firmant. Atque sic, veteri de Exercitu qui huc usque superfuerant, nescio an majori *Regis* cordolio an gaudio, penitus disjiciuntur. *Cromwellius investigat Kerrium.* *Hic Lambertum inopinatò adoritur,* *at improsperè.*

Per eosdem dies, *Londini*, *Presbyterianos* inter tum *Ministros* tum *Laicos*, ingens detecta est conjuratio; quam *Scotia* primùm prodidit, & *Cromwellius*, *Londini patefacta, conjuratio;*

wellius, ortâ è ſtricturis quibuſdam emicantibus ſuſpicione, *Parricidis Angliæ* exenterandam commendavit. *Aeram* fortè applicuerat adversâ tempeſtate compulſa navis, ad *Manniam* Inſulam vela faciens, ut negotii totius rationem *Darbeiæ* Comitem condoceſaceret: hanc milites perſcrutati, arcanum è tenebris & ſilentio eruunt. *Londini* poſtea ad examen vocantur deſignatores; mutuiſque criminationibus universa demum comparuit telæ textura. *Maſſei* videlicet *Scotorúm*que aliquot inſtinctu, pecunias & arma conferre decreverant, & exercitum in *Scotia* conſcribere, qui, aſſociatis *Kerrio*, Duce *Buckinghamiæ*, Barone *Wilmotto*, *Maſſeóque*, *Angliam* invaderet. Hujus rei ſiſtuntur *Jenkinſius*, *Caſeus*, *Deakeus*, *Lovius*, aliique viri *Eccleſiaſtici* complures, præter *Laicos*, *Gibbonum*, *Cookium*, *Potterum*, &c. *Adamus*, *Aluredus*, *Baineſius*, aliique inducuntur, (*Fœdere* & *Ligâ* Nationum trium (ut appellare conſueverant) aſtricti, & qui ſub *Eſſexiæ* Comite meruerant; ſemet ex parte *Fœderatorum* ſtetiſſe, ut omnia expiſcarentur, profeſſi, ſed qui clàm prævaricabantur) uti teſtimonium luculentius contrà ferrent apud Supremam Juſtitiæ Curiam; convictíque pariter omnes adjudicantur morti: quæ reipsâ duobus irrogata eſt imperterritis; Quorum unus (ut obiter adnotarem) olim tractatum *Uxbrigiæ* Concione intempeſtivâ conturbavit, adverſus omnem reconciliationem temerè invectus; quaſi *Chriſtum* profitentibus cum *Antichriſti* Sectatoribus (ſic ille *Regios* præſtrinxit) commercium vel pacem habere non liceret. Reliqui horum ſupplicio abundè commonefacti, & pœnitentiam teſtati, gradatim unus poſt alium poſtmodùm dimittuntur.

ad exercitum in Scotia ſcribendum qui Angliam invaderet.

Hujus comperti damnantur omnes: duos percutit ſecuris.

Iſtâ vix ſopitâ conſpiratione, nova deprehenditur per Comitatus *Norfolcienſem*, *Suffolcienſem* & *Cantabrigienſem*, quâ patent *Iceni*, diſſeminata Seditio; quæ tamen inter naſcendum ſtrangulatur, diſſipatis

Conſpiratur iterum ab Icenis.

dissipatis omnibus; è quibus viros plùs minùs quinquaginta vidit una *Norsolcia*, per Supremæ Curiæ judicium, ob hunc ausum, Laqueo suffocatos. Et ut ad narrationis finem hæ tragœdiæ tandem perducantur, *Demetas* inter *Cambro-britanniæ*, in Comitatu *Cardiganensi*, prope *Tivii* fluminis fauces, frequentissima insurgit multitudo: quæ brevi postea in exercitûs speciem sese conglobâsset; nisi undiquaque confluentes quæ in procinctu aderant copiæ incendium sanguine restinxissent. Sed hæc extra oleas; nisi *Scoticæ* (quæ hoc anno contigit) invasionis parumper subserviant in excusationem.

at frustrà;

uti & à Demetis, pari successu.

Ad *Scotiam* verò, unde digressi sumus, redeundum; ubi jam *Regiæ Majestatis* indicitur *Sconæ* solennis Coronatio; quadraginta septem *Regibus* eo in loco Coronam *Scoticam* olim indutis: tantâque pompâ peracta est, pro temporis ratione, attritis rebus, quantâ felicioribus in seculis usitatum fuerat. *Argatheliæ* Marchio Coronam capiti impositi, læto cum populi applausu, displosis tormentis, epulis splendidis, ignibúsque festivis testante gaudium unoquoque.

Rex Coronam induit Sconiæ,

Tota dehinc *Scotia* fervet armorum apparatu, militum delectu, stipe cogendâ, copiisque ordinandis. *Rex* ipse *Fifæ Forthæque* contermina lustrat præsidia, & ad defensionem parat. Indè *Montanos* visitat, compositurus eorum inter se discordias & disceptationes. Verùm quasi Furiis agitarentur, flammæque in dies è sopitis incendiis erumperent recentes, circa imperia & præfecturas acerrimè litigatur: donec indicente *Parlamento*, ipsa partium nomina tandem abrogantur; & unicuique jure patet ad belli consortium accessus, obnitente quantumvis *Argathelio*. *Delegati* quoque dimovendis *Obstructionibus* instituuntur; quibus demandata est in *Patricidarum* amicos & fautores tum inquirendi potestas, tum animadvertendi;

defensioni-que Regni totus incumbit.

Discordiæ sopiuntur.

In Patricidarum fautores animadvertitur.

vertendi; pluréſque meritas hujus criminis dedêre pœnas, *Cheſleio* & *Wariſtonio* ad caſtra *Cromwelliana* tempeſtivè dilapſis. *Abredonii Regium* vexillum erigitur; quò ex omni diſtrictu volones & honorarii milites ubertim confluunt. Exhinc ad *Sterlingam* pergit *Regia Majeſtas*, luſtratóque exercitui *Ducem Hamiltoniæ Legati* cum titulo præponit; *Davidem Leſleium Inſtructorem exercitûs*, *Middletonum Equitatûs Magiſtrum*, & *Maſſeum* cohortium *Anglicanarum Archiſtrategum* conſtituit. Unicuique ſuo aſſignato munere caſtrametatur apud *Torwoodam*, quatuor lapidibus à *Sterlinga* diſtantem, foſſâ & aggere circumductis; ut rudes adhuc militiæque inexpertos velitationibus & pravis prælîis priùs animaret, quàm plenâ acie de rerum ſummâ decerneret; novíſque inſuper delectibus faciendis incumberet: quibus inſtituendis dum *Eglintonii* Comes aliique Dynaſtæ *Dunæ-Britannicæ* dant operam, ab hoſte *Lilburnio* repentè corripiuntur.

Rex vexillum erigit,

ac ordinatâ acie, Torwoode caſtra mutatur.

Inter haſce curas & ſumma rerum diſcrimina, dies *Regis* Natalitius debitiſſimâ ſolennitate celebratur; cui condecorando ſplendida miſtunt *Dundeani* donaria genethliaca; *Tentorium* ſcilicet *elegantiſſimum*, *ſex Machinas cum apparatu inſtructas*, &, unde gratias inprimis promeriti ſunt, *Legionem equitatûs ad prælium inſtitutam*, veri affectûs teſſeram.

Natalem Regium celebrant Scoti.

Non ceſſat interea *Cromwellius*; ſed milite, veſtitu novo, pecuniis, Hippagogis & neceſſariis omnibus è *Londino* miſſis abunde inſtructus, per *Neobrigiam* & *Hamiltoniam* adversùs *Torwoodam* rectà ducit: ubi furibundo animo circumiens huc atque illuc, ſpeculatur omnia, ſi quà fortè aditus in caſtra tentari poſſit. Cùm autem adeò undique munita cernit, ut aggredi ſine periculo nequiret, expugnatis *Calendarii* ædibus foràs provocat.

Cromwellius Torwoodam viſitat,

non auſus aggredi,

Cæterùm *Overtonus* cymbis, lintribus & hippagogis, cum mille ſexcentis peditatûs & quatuor

turmis

turmis equitatûs, ingressus *Forthæ* æstuarium, ad *Reginum Trajectum* jussus flumen conscendit, *Scotos* leviter obnitentes repulsans; & statim excitato tumultuario opere propugnaculo sese communiens, succenturiatum *Lambertum* accersit; qui eodem loco duas pedestres legiones transmittens & equestres totidem, obviàm habuit Tribunum *Brownium* Equitem, cum exercitûs Instructore *Holburnio*, quatérque millenis quà equitibus quà peditibus. Magnis utrinque animis concertatur; at exitu *Scotis* infausto, quorum duo millia cecidere, captis mille ducentis, cum quadraginta duobus signis militaribus, & inter illos *Brownio*, qui prælio non diu supervixit. Sic adeò stabile adepti sunt *Angli* trans *Fortham* vestigium, ut impares sint universæ *Scotiæ* vires illis exinde excutiendis. Ista dum ad *Fortham* geruntur, *Cromwellius Regis* instat castris, quasi jamjam impetum facturus; at eo tantùm fine, ut aliàs distineret, quoad *Lambertus* arma infesta (ut modò memoratum) *Scotis* intulerit.

Fortham superat Overtonus;

mox & Lambertus;

qui victoriam à Scotis reportant.

Dehinc *Torwoodam* destituens *Rex*, in Vivario *Sterlingæ* castrametatur. *Scoti* autem Panico terrore consternati, *Inchegarvy* præsidium inexpugnabile in medio *Forthæ* situm, sedecim pone relictis tormentis, deditione indictâ, sine mora tradunt, *Blackneſſiæque* castrum. *Bruntilandia* pariter super ostium *Forthæ*, ulteriore ripâ æstuarii, haud minùs ignominiosè cedit, cum tormentis, bellico apparatu, navibúsque. Horum successuum gnarus *Cromwellius*, noluit exercitum *Regium* morando diem inutiliter terere: igitur ad *Bruntilandiam* transfretavit; unde amandato *Whalæo*, minoribus præsidiis quæ circa *Forthæ* marisque littora jacebant recipiendis, ipse versùs *Sancti Johnstoni* Civitatem proficiscitur; quam Baroni *Dafferio* cum mille ducentis viris asservandam *Regia Majestas* submiserat, nullo tamen cum emolumento: *Cromwellius* etenim, aquâ fossis &

Præsidia, imperata deditione, confestim dedita.

Cromwellius expugnat Sancti Johnstoni urbem.

 elicibus

elicibus exhaustâ, tormentis mœnia quassantibus, extorquet loci deditionem.

Rex interim in Angliam rectà ducit,

Cùm jam procul aberat à *Sterlinga Cromwellius*, & hisce negotiis totus occuparetur, *Rex*, ordinatis à tergo (quoad liceret) *Scotiæ* rebus, profectionem in *Angliam* auspicatur; ut opem ab hoc Regno suo recipiat, quam in illo novercantia fata denegârant. Itaque per *Luguvallum*, sive *Carleolum*, quatuordecim circa millia, quà equitatûs, quà peditatûs, citato itinere transducit, *Julii* die novissimo, anno Salutis humanæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo. Tanta autem cùm modestia & disciplinæ severitate progrediuntur milites, quantam vix ullum vidit retrò seculum; adeò ut inter *Carleolum* & *Wigorniam*, urbes ducentis & ampliùs milliaribus ab invicem dissitas, nulli, non dicam casæ, sed nè homini illata est injuria; unicum si excipias Hortifregium, & sublata quatuor vel quinque poma; quod tamen delictum miles illico luit, glande plumbeâ confossus. Omnibus, quócunque migrarent, præsidiis *Regio* nomine deditio imperatur; nullo tamen cum fructu: locisque in eminentioribus, *CAROLUS Secundus* per Fecialem *Rex Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ* promulgatur; per Populum grassante eodem tempore tantâ consternatione.

per Carleolum,

nemini molestus.

In primariis oppidis Rex Angliæ, &c. denunciatur:

Trepidantibus ad rei famam Parricidis.

Cùm primùm hujus expeditionis fama per citatos nuncios ad *Pseudo-senatum* adduceretur, *Regémque* cum milite suo equis in via correptis impositò *Londinum* versùs properare percrebuerat, geminante (utì fit) metu discrimina, tantus horror & consternatio *Parricidarum* & *Rebellium* animos extemplò perculit, ut latibula & effugia despondentes meditarentur, *Cromwelliúmque* temeritatis & præcipitantiæ insimulârint; donec *Regem Wigorniam* versùs digressum animadverterint, novâque hauserint solatia ex *Cromwellii* literis, qui bono animo jubet esse, omnésque

omnéſque ſimul nervos intendere, ut poſtremo huic periculo occurſaretur, hoſtéſque in totum obruerentur.

Regiis copiis à læva imminebat *Harriſonus* cum tribus Equitum millibus, eo propoſito in *Angliæ* confiniis relictus; ponè ſequebatur *Lambertus* cum duobus millibus; uterque ex occaſione laceſſentes, remoráſque itineri injicientes. *Warringoniæ* præſertim infeſtare auſi ſunt, *Merſeium* amnem per pontem ſuperaturos: antè verò quàm abſcindi pons iſte poſſet commiſſo prælio, & amolitis *Lambertianis*, tranſitu potiuntur *Scoti*. Relictâ jam quæ *Londinum* ducebat viâ, *Wigorniæ* inſidere ſtatuunt, *Sabrinæ* in margine ſitæ urbi; unde ex *Cambro-Britannia* receptare ſuppetias, & à *Dobunis Maſſei* operâ, (qui pridem *Parlamenti* cauſâ *Gloceſtriæ* cum laude præfuerat) frequentes delectus facere neutiquam deſperabant. Illuc igitur commeant, unámque à *Wallicis* nonnullis qui fortè aderant militibus repulſam paſſi, civitatem occupant, prælongo itinere magnopere attriti, viribus haud modicè imminutis.

Regi invigilant Harriſonus cum Lamberto; & Warringtoniæ fruſtrà occurſant.

Rex Wigorniam facile occupat.

Dehinc per Literas ſuas invitat *Regia Majeſtas Prætorem Senatumque Londinenſem*, ad *arma tum in ipſius vindicias, tum juſtæ libertatis gratiâ capeſſenda; veniam anteactorum cuivis reſipiſcenti pollicitus, exceptis Parricidis.* At hæ literæ Carnificis manu cremantur ad *Periſtylium Regium*; exemplar etiam ab *Oratore Lentalio* flammæ traditur coram delectu militari totius *Londini*, in *Mori* (quos vocant) *agris* concelebrato.

Londinenſes ad opem ferendam blandè invitat:

qui Literas indignis modis recipiunt.

Rex inſuper ſtatim ab adventu, in *Pitchfordii* prope *Wigorniam* campo, ſingulos edicto ſuo ſubmonet, *qui exceſſerant ex ephebis, annum ætatis ſexageſimum nondum ſupergreſſi, ut in ejus ſuppetias*, juxta vetus *Regni* ſtatutum, *compareant*. Cui Promulgationi debitum ut præſtarent obſequium, brevi poſt adſunt *Franciſcus* Baro *Talbottus*, Comitis *Salopiæ* filius natu maximus, cum equiti-

Subditos omnes ſuppetias poſcit. Adſunt complures è viris generoſis;

bus ſexaginta, *Tho. Horniholdus* cum quadraginta, *Johannes Waſhburnius* cum quadraginta, *Johannes Packintonus*, *Gualterus Blounteus*, *Radulphus Clarius*, & multò plures tum Equeſtris ordinis tum Armigeri, præter vulgi duo millia, rebus in deſperatis vexillo ſub *Regio* militaturi. Horum acceſſione quatuordecim millia numerantur; duobus *Scotorum* millibus partim præ itineris longitudine in via laſſatis, partim præ formidine dilapſis. Quamobrem plures in caſtra *Regia* turmatim non confluxerint, conjectare quiſque potuit; nimirum, Immaturè *Wallos* inter, & *Londinenſes*, nec non *Icenos*, compreſſa recens ſeditio, ſævitiáque *Pſeudo-ſenatûs*, caſſa plectentis tumultuandi ſtudia, præ oculis hominum obverſabantur. Ad hæc, ſubitaneus *Regis* adventus, & prorſus inopinus, omnem partibus ejus hortandi ſe mutuò, commeandi, & confœderandi præripuit opportunitatem. *Scoticarum* denique injuriarum, quas annis non ità pridem elapſis ea gens intulerat, nondum obliterari potuit memoria: nec ſanè multùm intereſſe videbatur, utrùm *Indigenarum* ſub tyrannide, an *Scotorum* ſub inſolentia, duram utrobique ſervirent ſervitutem. Quibus omnibus adjicere licet *Democraticorum* ſimul & *Oligarchicorum*, in excitandis provinciis, augendis copiis, *Regiiſque* viris obſervandis & reprimendis ſimul, haud levem diligentiam.

è plebe non niſi duo millia.

Cur tam rari comparuerint.

Cromwellius Wigorniam obſidet cum ingentibus copiis.

Reverſus in *Angliam* poſtliminiò *Cromwellius* (qui ſex millibus ad augmentum victoriarum in *Scotia* relictis *Monckeum* præfecerat) novo vigore *Parricidarum* copias refocillat; viréſque ſtatim ſuas cum *Lamberto* & *Harriſono*, nec non *Grayo* & *Fleetwoodo*, conjungens, affluentibus ex omni plaga, quà vi compulſis, quà ſpontaneis militibus, octoginta millia (ſi calculos rectè congeſſerint nonnulli) ſuperantibus, urbem *Wigorniam* circumdiſponit.

Sed

Sed non ſunt ſilentio prætereunda quæ tunc temporis obtigerunt egregia Comitis *Darbeii*, quamvis inauſpicata, molimina. Ille parvâ manu ducentorum & quinquaginta militum fretus, ex Inſula ſua *Mannia* ad *Lancaſtriæ* oppidulum appulit, eâque in regione mille quingentos propediem conſcripſit; quos dum ad *Mancheſtriam* ducit, (quæ *Mancunium* olim) quingentos alios ibi recepturus, malo ſuo fato in *Lilburnium* incidit, Tribunum *Parricidarum*, cum ſuis mille ſexcentis. Nam prælio in *Wiggano* oppido ſtatim inito, poſt acrem conflictationem Comes devincitur, biniſque vulneribus ſaucius, ad *Wigorniam* per avia & ſylvoſa confugit, interemptis Barone *Widdringtonio*, *Thomâ Tilſleio* Equite, *Matthæo Bointono* & *Trollopo*, Tribunis, unà cum *Galliardo* Subtribuno; captiſque *Gulielmo Throgmortono* Equite, *Richardo Leggio* Chiliarchâ, cum quatuor aliis Ordinum Ductoribus, ac quadringentis gregariis.

Comes Darbeius cum exigua manu modò ſcripta

debellatur à Lilburnio.

Regia interim caſtra ſpeculatur *Cromwellius*, incertus quâ parte faceret impreſſionem: præludere verò *Uptoniæ* opportunum cenſuit, ſeptenis ſupra *Wigorniam* lapidibus ad *Auſtrum* ſitæ, ubi ponte lapideo ſternitur *Sabrina* fluvius. Hunc perfregerat *Maſſeus*, trabémque fortè interjecerat arcûs unius extremitates committentem; & oppidulo vicino cum ducentis & quinquaginta equitibus, trajectu tamen incuſtodito, ſecurus inſidebat. *Cromwelliani* autem, captatâ opportunitate, cruribus divaricatis amplexi trabem, unus poſt alium, tranſcendunt; numeróque probè aucti, templum occupant *Uptoniæ*, ac tantiſper defendunt, quoad alii, partim fluvium tranantibus equis, partim per pontem aliquatenus reparatum, ſubſequerentur. Serò canit claſſicum *Maſſeus*, manúque graviter læſâ, *Wigorniam* reverti cogitur. Dein contabulatis ſuper cymbas poſitis, *Teamium* amnem ſuperant, qui ab Occi-

Maſſeo in Severabacio, Uptoniâ potiuntur Cromwelliani.

dente paulò remotiùs præterfluens, in *Sabrinam* devolvitur, exiguo intra urbem ſpatio. Mox etiam ponte conſimili ſuper ipſam *Sabrinam* fabrefacto, ſub *Bunnii* colle, primum intra lapidem, conjungunt copias omnes, & *Wigorniam* cum viginti millibus proſpectant, quaſi *Regios* in campum provocaturi.

Middletonius in hoſtem noctu irruit,

Proximâ nocte, *Middletonus* cum equitatûs & peditatûs *Scotorum* mille quingentis impreſſionem in hoſtica meditatur. Sed in promptu ſtabant *Cromwelliani*, à Sartore quodam (qui tamen proditionem iſtam ſuſpendio luit) opportunè commonefacti: tentant nihilominus *Regii* caſtra perrumpere, at irrito conatu; amiſióque *Knoxio*, Legionis Inſtructore, cum aliis nonnullis ad ſuos revertuntur. Jámque tertia lux aderat *Septembris*, genti *Scoticæ*, ob receptam anno ſuperiori *Barodani* cladem, fatalis & memoranda; cùm, circumſtipante Concilio bellico, *Regia Majeſtas* ex prærálto *Cathedralis Eccleſiæ* campanili hoſtica ſpeculatus, urbem versùs ducentes conſpicit. Ad arma ſtatim clamatur, contráque curritur ab ipſo etiam *Rege* ad pontis juxta *Powickum* defenſionem, novíque trajectûs per cymbas (quem modò memoravimus) fruſtrationem. Vix redierat in Civitatem *Rex*, cùm *Montgomerius* pontis propugnator graviter læſus, & pulveris tormentarii inops, capto *Kytheo*, altero Præfecto, recedit in *Wigorniam*. Hæc autem dum gererentur, ad Orientale Urbis latus converſa *Regia Majeſtas*, Martis aleam pertentare ſtatuit. Igitur magnâ peditatûs manu ſtipatus, & equitibus haud ſanè multis (nam vix pedem ſubmovebat *Scotorum* Equitatus) in hoſtium ſtativa ad ſylvam *Perryanam* invehitur animo quidem præſentiſſimo, cum Ducibus *Hamiltonio* *Buckinghamiæque*, ac *Alexandro Forbeſio* Equite, pedites ſuos ducente. Primo inſultu tormentis potitur, proſtratis primipilis; poſtea verò, etiamſi ſagacitate mentis acuta

cum ſuorum damno.

Egreditur ipſe Rex ad Powicki pontem defendendum,

quem hoſtis mox occupat.

Ad ſylvam Perryanam pugnatur acriter, ubi fortiſſime gerit Rex: at ſupra modum oppreſſus,

acuta belli ſæpius extricaverit, gravia pericula excelſo & præter cæteros elato animo adierit, multa & præclara facinora promptâ ac validâ manu Ipſe patraverit; etiamſi egregia propriæ & eximiæ virtutis id maximè temporis (vel hoſte judice) ediderit; effusè tamen à *Cromwellio* immiſſis aliis ſuper alias copiis recentibus ſupra modum oppreſſus, non deſperavit, ſed ut ſe melioribus reſervaret, loco cedere, & maturo in Urbem receptu evadere cogitat; quem etiam plauſtrum, re armamentariâ onuſtum, rotâque fortè confractâ, in ipſa *Sudburii* porta tranſverſim jacens, aliquandiu retardavit. Sed ab equo deſiliens pedeſter ingreſſus eſt; aliúmque ſine more inſcendens, labantes jam milites ut reſtituant prælium ſummâ animi vociſque contentione adhortatur; donec ingruente gravi periculo, per *Sancti Martini* portam dilapſus, equitatum ſub *Davidis Leſleii* ductu (magnam partem intactum) aſſequeretur, pergerétque pontem verſus *Barbonii*; enixè atquè indeſinenter precatus, ut recollectis animis hoſtem denuo impeterent, agentíque jam in extremis peditatui quàm celerrimè ſubvenirent. At recuſare multi, abjicere aliqui arma, tergiverſari omnes, & declinare periculum, quàm fortiter decertando, diem illum aut victoriæ primum aut vitæ ſupremum facere, maluerunt. Verùm dum *Rex* elabitur, Comes *Cliviæ*, *Jacobus Hamiltonius* Eques, Tribunus *Carliſius*, aliíque nonnulli *Regiæ Majeſtati* fidiſſimi, cum reliquiis Equitatûs, redintegrato prælio *Sudburii* circa portam, diſtinere tantiſper hoſtem, donec *Fleetwoodus* ab occidentali parte per ſuburbia *Sancti Johannis* amne ſuperato penetraret urbem, & *Cromwellius*, disjectis *Sudburii* Valvis, *Comitem* cæteróſque ſubmoveret. Indè ſigna victricia continuò movet ad *Regale* propugnaculum, à Tribuno *Drummondio* cum mille quingentis militibus defenſatum; quem, ubi ſemel imperatam

in urbem revertitur;

ſuóſque ibi jam vacillantes fruſtrà extimulans, per portam Sancti Martini dilabitur.

Equitatum hortatur ad pugnam redintegrandam; ſed ſurdis canit fabulam.

Urbs capitur, & Regale propugnaculum, interemptis defenſoribus.

deditionem recuſaret, quaquaverſus incurſans, delevit cum ſuis omnibus. Deploranda urbis ex eo facies: Hinc *victoriâ potiti* cædere, irrumpere, rapere, captare, minis intonare; indè *victi* fugere, terga vulneribus obvertere, ſupplices tendere manus; nonnulli fruſtrà obniti, animóſque in vulnere ponere; *Cives* incaſſum precari, ejulare, plorare. Omnia cadaveribus ſtrata mutilatíſve corporibus. Hic cernere erant ſolamina quærentes; illic plagis propemodum confectos vitæ ſimul & miſeriarum exitum appetentes. Triduum aut plus eo inſepulta ſervantur cadavera, quæ fœdo ſpectaculo tabóque horrorem facinoris augebant.

Numerus cæſorum,

Gregariorum tria millia & quingenti cecidere. Dux *Hamiltoniæ*, confracto crure, quatuor aut quinque dies à prælio, haud ultrà, ſuperſtes vixit.

& captivorum,

Forbeſius utroque crure trajectus. *Captivorum* quinque millia numerabantur, quà *Oppidani* quà *Scoti*; inter quos erant Comites *Rotheſius*, *Carneworthius*, *Kelleius*, Baro *Sinclarius*, *Montgomerius*, Præfectus machinariorum, ut & *Hanſhawus Greviuſque Angli*, qui *A petitionibus Anglicis*, cum Ordinum *Scoticorum* Ductoribus, omni commeatu, ſigníſque centenis & quinquaginta quinque.

Rex, relicto Scotorum equitatu, digreditur,

Regia Majeſtas paulùm ultra *Barbonii* pontem provecta, (relicto qui Equitatum ferè integrum rectà per *Neoportum* in *Scotiam* ducere decreverat *Leſleio*) ſtipantibus Duce *Buckinghamiæ*, Comite *Darbeio*, *Lauderdalio*, Baronibus *Wilmotto*, *Talbotto*, aliíſque *Dynaſtis* cum equitibus circiter quinquaginta, in avia divertit; partim ut ſomno ſe reficeret, partim ut dubios itineris redderet qui perſequerentur.

& ſuadente Comite Darbeio, pergit Boſcobellam verſus,

Inter proficiſcendum narrat Comes *Darbeius*, nuper ſibi, cùm à *Lilburnio* profligatus aufugeret, tutum præſtitiſſe diverticulum in domo *Boſcobellæ Penderellum* quendam; ſed ille Religione *Pontificius*. Eo ſe *Rex* recipere in-

primis

primis ſtatuit. Domus à *Wigornia* viginti ſex diſtat milliaribus, in *Salopienſi* Comitatu, ad *Staffordiæ* confinia, inter *Tongi* Caſtrum & *Brewoodum* poſita, loco in ſaltuoſo, ſeceſſui peropportuno. Gnarus viarum *Giffordius* quidam, relicto à læva *Kiddermonaſterio* per *Stourbrigiam* inſtituit iter; & ad *Whitladies* (Cœnobium olim *ciſtertianarum Monialium*, lapidis unius ſpatiolo, medias inter ſylvas, à *Boſcobella* diſſitum) apertis concubiâ nocte pulſanti foribus, ab alio *Penderello* cum comitatu inducitur. Dum in iſtis ædibus capillitium ſecat *Rex*, (quod igni traditum) fuligine deturpatur manibus, vilibuſque veſtimentis induitur, duo alii *Penderelli* fratres, *Richardus*, qui vicinum *Hobbalii* prædiolum, & *Gulielmus*, qui *Boſcobellam* incolebat, accerſuntur. Quibus infortunium edoctis *Regiam Majeſtatem* oſtentans *Darbeius*, *per fidem*, *per Deum*, *per omnia ſacra orat obteſtaturque*, *ut ſervent incolumem*, *& de perfugio ſive latibulo confeſtim proſpiciant*. Optima ſpondentibus Ruſticis, *Richardus* per poſticum in ſylvam eduxit proximam; juſſo antè *Wilmotto*, ut equeſter *Londinum* contenderet, ubi ad Inſigne *Viridis Draconis apud Vintrie* in vico *Tameſino Regi* ſtatutum erat ipſum convenire; *Johanne Penderello*, per quam viam eò pergeret ſecurior, oſtenſurum ſemet pollicente.

Quum ventum eſſet ad ædes dictas Whitladies,

Penderelli fratribus abdendum ſe tradit.

Wilmotto Londinum ante amandato.

Poſteaquam in hunc modum Proceres *Regiæ Majeſtati* pro virili proſpexiſſent, ſua de ſalute deliberant, *Leſleiumque* ſequi, ſi & aſſequi potuerint, planè tutiſſimum arbitrantur, ob multitudinem, cui à palabundis & paucis militibus non erat metuendum, nec poſſe majores *Parricidarum* copias attingere tantum ſpatii emenſos. Paululùm indè progreſſi, Baronem *Leviſtonum* (qui *Regiæ* cohorti præfuerat) ab hoſtili militum inſequentium impetu ſoſpitárunt; fructu tamen brevi & caduco: nam citò pòſt, ultra *Neoportum* cùm promoviſſent, in *Lilburnianos* incidunt, qui viribus

Proceres, dum Leſleium aſſequi tentant,

à Lilburnianis diſſipantur, capto Darbeio, aliisque.

viribus exhaustos facilè fugant, Comite *Darbeio* (quem postea militaris concilii judicio damnatum plectunt impii *Parricidæ*) *Lauderdalio*, (qui servatam fidem squalore carceris ad *Regiam* usque *restaurationem* luit) aliisque, quos nominare longum esset, correptis. Interea Dux *Buckinghamiæ*, *Levistonus*, *Talbottus*, cum pluribus aliis, huc illuc dilapsi, varia sortiuntur effugia; tandémque trans mare navigant. *Lesleium* verò, *Neoportum* haud longè transgressum, circumveniunt hostes, integrúmque ferè ipsius aut capiunt aut saltem dissipant commilitium; nominatim, Comitem *Cliviæ*, (qui *Lesleium* à prælio fugiens assecutus fuerat) uti & *Kenmorii* Baronem *Wentworthium*, ac *Middletonum*. Rustici autem horum plerosque, non sine crudelitatis nota, (à qua gens *Anglicana* plurimùm abhorret) undique palantes, fustibus, bidentibus, trituratoriis instrumentis, & istiusmodi quæ furor subministrabat armis, malè mulctant; redhostimento continentiæ & modestiæ, quas exhibuerant illàc non ità pridem ductantes, perquam incongruo, *Masseus*, manu saucius, in Comitissæ *Stanfordiæ* clientelam ultrò se fugiens conjecit; cujus sub marito (*Graii* pater is erat) olim *Gloucestriæ* meruerat. Exinde binas post septimanas in *Turrim Londini* tractus, squalore carceris diu maceratus, brevíque coram Supremo Judicii tribunali capitis causam dicturus, vestibus cum bajulo quodam immutatis, incolumis evasit.

Lesleius cum suis hosti præda fit,

aut (quot pejus) Rusticis.

Masseus nobili Fœminæ se tradens, in Turrim Londinensem conjicitur:

unde personatus elabitur.

Scotiæ Regnum, captâ in hunc modum & deletâ maximam partem *Nobilitate*, victricibus *Anglorum* manibus palmam porrigit; & nisi Radicem Supremus rerum humanarum Arbiter asservâsset, unde quasi de novo animata resurgeret Proles & Causa *Regia*, eadémque Ducis *Albemarlii* dextra (quem adhuc *Monckei* sub nomine indigitare liceat) vulnus opémque per vices intulisset, æternùm perierat.

At

At quomodo actum cum *charo Superis Capite* ſpe pariter ac *Anglicanæ* ſobolis & *Eccleſiæ* ſoſpitatore, quoniam *Anglos* inexplebili cognoſcendi ardore laborantes conſpicor, & ab omni ſeculorum memoria vix quicquam hujuſmodi obtigit notabilius, ego inpræſentiarum (ſicuti ab ipſo *Sereniſſimi Regis* ore haurire datum eſt) nec parcè nimis, nec incurioſè memorabo. *Fuè narratur, quæ fuerint Regis per Angliam latibula.*

In ipſo temporis articulo *Regem* in ſylvam abiiſſe res ipſa teſtatur. Nam vix elapſâ ſemihorulâ, quæſitum adſunt Tribuni *Aſhenhurſti* milites, Cœnobium excutiunt, & per conclavia volitantes, ſecreta omnia, receſſus, abditiſſimóſque angulos perſcrutantur. Reprimentibus tamen ſatis, extra ædes non prodibant omnino; toto ſiquidem die ſtillabat æther impluvius, & ab arboribus deciduus imber herbis gravis incubuit: ità quod aliis damno, *Regi* ſaluti fuit. Dum enim inter opaca nemorum denſatóſque frutices permaneret; *Richardus Venderellus*, conquirens torale (quo ſeſe *Rex* adverſus imbris violentiam muniret) & uncinâ inſtruens (quaſi ſepimentorum reparatíoni vacaret) unà petierat ab uxore Ruſtici in proximo agentis *Franciſci Yatei* (quæ & ipſi affinitatè junctiſſima) ut cibamenti ſiquid in promptu foret, paratum deferret in ſylvam. Haud morata, lac apponit ſaccaríque aliquid, nec non ova paucula & butyrum. *Rex*, adventu mulierculæ ob innatam ſexui garrulitatem nonnihil perturbatus, *An tu fidem* (inquit) *ſervare cuiquam potes qui Regi militaverat? Imò, Domine,* (reſpondet illa) *Moriar antè quàm te prodam.* Quo dicto confirmatior, de eduliis allatis liberaliùs veſcitur. *Aſhenhurſti milites cœnobium perluſtrant.* *Ruſtici uxor cibos defert in ſylvam, quibus Rex veſcitur.*

Seneſcente jam die, ſuam in caſulam *Hobbalii* in propinquo ſitam *Richardus* eum introducit, ibidémque accingitur ad iter novum, quod erat hâc nocte ſuſcepturus. Interrogârat enim *Rex* inter alia, Num probatæ fidei quempiam nôrit ad *Veſperi ſubit Richardi Venderelli caſulam;*

Sabrinæ

In dè iter inſtituens in Walliam.

Sabrinæ ripas habitantem, qui de latebra tantiſper proſpiceret, quoad copia tranſeundi fieret in *Walliam*; eâ ſiquidem in Regione non deerant amici fidiſſimi, quorum ope aut *Londinum* petere liceret, aut inter abrupta rupium ſecuriùs deliteſcere. Admonitus igitur de quodam *Wolphio* (ſed religione *Pontificio*) quinis abhinc milliaribus, unicóque à *Sabrina*, degente apud viculum *Madleyam*, eò noctis horâ nonâ *Richardo* ſtipante proficiſcitur. Primum autem vix emenſi milliare, dum molendinum aquatile prætergrediuntur, ubi per pontem lignеum ſuperari rivus debuit, portulâ quam aperuerant ſtridente, inſtat Molitor, & minaci voce quò vaderent interrogat nocte tam ſerâ; ſiſterent ſe corám. Deterritus inopino tonitru *Penderellus*, relicto ponte, per undam fugit impiger, ſequitúrque comes *auguſtus*; non tam viſu, quàm pellicearum braccarum ſonitu ſpiſſis in tenebris dirigente. Perpinguis Molitor citò à curſu deſtitit; & reſiduum viæ periculo caruit.

Et nocte pergit Sabrinam verſus pedeſter, duce Richardo Penderello: territatur à molitore.

Apud Madleyam in horreo reconditur,

Madleyam tandem perventum; foréſque pulſanti *Penderello* continuò cedunt. Hoſpes excipitur amicè, factúſque conſilii particeps *Wolphius* in horreo recondit, quoniam interdiu militum vacua perrarò domus. Mittitur exploratum trajiciendi fluminis opportunitatem, renunciatúrque non ſolùm pontes à militibus cuſtodiri, ſed & pontones & hippagogas quàm ſtrictiſſimè obſervari, eapropter tranſitum fore perquam difficilem ac intutum. Cùm noctеſceret, intra ædes receptus, à matrefamilias accuratiùs inficitur manus & vultum decocto *Galliocarum*; dictóque vale, per eundem redit pedeſter tramitem ad *Boſcobellam*, commodiorem itinerandi tempeſtatem placidè præſtolaturus.

Flumine ſtrictè obſervato, redit in ſylvam, unde venerat.

Reverſus antelucano tempore in ſylva commoratur, dum inſpiceret *Richardus* utrùm ſubeſſent viri militares in domo *Boſcobellæ*. At ille unicum ibi *Carliſium* (quem ad *Sudburii* portam cum

cum aliis *Cromwellianis* copias distinuisse narravimus) deprehendit, qui natus in vicinia, recèns ad familiarem hunc suum diverterat, clàm panem emendicaturus. Audito quis in sylva lateret, *Carlisius* duobus cum *Penderellis* confestim adsunt, atque post lætas utrobique gratulationes in domum inducunt. At arenâ quæ semet calceamentis dum rivum percurreret insinuaverat, gravis tritura pedibus, cruoris elicuit stillam; cujus in medelam pedilavio usa est mulierecula. Dein agrestium cibamentis ambo refecti, in sylvam continuò redeunt; ubi conscenso frondosi roboris cacumine, diem in edito insumunt; effuso post longas vigilias in somnum *Rege* super brachia & in gremio *Carlisii*. Nocte descenditur, domum repetunt famelici; locúsque ostenditur planè inscrutabilis, latibulum Sacerdotale, quod adeò *Regi* perplacuit, ut nollet ampliùs, ibi dum moram traheret, se dio committere.

Summo manè deducitur à Carlisio in Boscobellæ domum.

Refectus ascendit quercum.

Noctu occultatur in latibulo Sacerdotali.

Humphredus, alius è fratribus quinque *Penderellis*, qui molendino etiam in propinquo præerat, *Sheffnalium* oppidum eodem *Saturno* taxationibus persolvendis contenderat: ubi in ædibus Capitanei *Broadwayi*, nummorum ratiociniis præpositi, *Tribunum* fortè comperit è *Cromwellianis*, qui *Regem* percupidè quærebat. Idémque, audito rusticum hunc prope *Cœnobium Whitladies* habitare, An de *Rege* quicquam nôrat, an de Cœnobio quicquam, interrogat: adjicitque, *Si quis offenderet, sterlinarum libras mille lucraturum; sin occuluisse aut celâsse deprehenderetur, indubiâ morte plectendum.* *Humphredus* tamen, *Regis* incolumitati fideique propriæ posthabitâ lucri quantivis spe, nihil se nôsse respondet, arcani celantissimus. Vesperi cùm rediisset, rem totam enarrat *Regi*, qui sequentis *Dominicæ* magnam partem in topiario domui adjuncto sacræ lectioni insumpsit.

Penderellus molitor interrogatus de Rege,

fidem servat inviolatam.

Johannes interim *Penderellus*, cùm equestrem viam *Londinum* versùs Baroni *Wilmotto* subindicaret, circumfusis

circumfusis undique militibus impeditam adeò deprehendit, ut ipsum cum equo in Margi-fodina recondere consultissimum duxerit, donec commodiorem invenire posset latebram; tandémque faventibus astris *Whitgravio* commisit ac *Huddlestono*, (quanquam ambobus religione catholicis) quorum hic illius in ædibus tenella trium puerorum ingenia bonis literis expoliebat. Uterque, amandato noctu equo ad Tribunum *Laneum* familiarem suum, qui olim sub *Rege* meruerat, *Wilmotto* hospitalitios lares apud *Mosleiam* aperuêre. Hujus rei per *Johannem* reducem certior factus *Rex*, eundem denuò mittit investigatum ocyùs *Baronem*, qui mutârat antè hospitium, & ad *Bentleyam* Tribuni *Lanei* domicilium commigraverat. Ibi tandem repertus, *Regisque* mentem edoctus, retrò se conticinio sequente ad *Mosleiam* rediturum, *Regis* in occursum, pollicetur, quinis lapidibus à *Boscobella* distantem. *Johanne Boscobellam* reverso, statuit & *Rex* eò pergere, *Wilmotti* visendi gratiâ: verùm pedestri itineri imparem fecerat infelix ista (quam diximus) pedum tritura. Molitoris igitur *Humphredi* jumentum vili sellâ instratum conscendens, valedicénsque *Carlisio*, pergit *Mosleiam* versùs, quatuor *Penderellis* & *Francisco Yateo* satellitibus. Quò simul ac ventum erat, rusticos promissis (quæ tandem prælargè persoluta sunt) dimisit oneratos.

Wilmottus è Margi-fodina prodiens, Whitgravio in tutelam trâditur:

Cujusvisendi gratiâ Rex, equo molitoris insidens, Mosleiam contendit.

Exin à *Whitgravio* & *Huddlestono* deducitur ad *Wilmottum*, atque post longiuscula suis de rebus colloquia, famémque cibo placatam, in conclave secretum abditur somni capiendi gratiâ. Postero die suboluit *Whitgravio*, milites eum captatum adventuros, utpote qui *Regiis* pridem in castris militaverat. Et advenêre quidem; sed quos ille culpâ vacuus declinare noluit; verùm *Rege* in secretum dilapso, foribúsque omnibus è vestigio apertis, confidenter eos compellat; vicinorúmque testimonio

Adsunt milites Whitgravium deprehensuri,

teſtimonio atque aliis argumentis contrarium ità liquidò evincit, ut hominem non ultrà (nè gradibus quidem conſcenſis) inquietârint. *at recedunt quieti.*

Eodem die *Cœnobium* denuò perluſtrant milites, utpote à captivo *Signifero* condocefacti, *Regem* ibi pro certo delitescere; nam *Comitantibus aliis huc adveniſſe teſtis oculatus adnotaverat, abeuntium verò neminem ei conſimilem exiiſſe.* In omnes igitur ædium cameras & receſſus involant; fractis tabulatis, dejectis parietinis, latebrarum occulta rimantur: at incaſſum explorant. Tum patremfamilias, admoto pectori ſclopeto, in examen vocant; & ni *Regem* ocyùs oſtentet, glande confeſtim trajecturos interminantur. At ille *Regem* ſibi omnino notum pernegat; non diffeſſus tamen, illuc eâ nocte divertiſſe complures, qui cibis omnibus devoratis receſſerant. Indè ad *Signiferum* converſi, ceu mendacem miſerè devolârunt. *Rex iterum quæritatur in Cœnobio.*

Nocte ſequente, *Whitgravio* cum Uxore, necnon *Huddleſtono* valedicens *Regia Majeſtas*, ubi priùs nomen fecerat à Mercatore *Londinenſi* diſſolvendum, (quas *Cambii literas* vocant) unde (ſi fortè in poſterum aliquà ad *Parricidas* permânet commodata ab iis *Regi* celando opera) pecunias reciperent, ſalutíque ſuæ transfretando conſulerent; Tribuni *Lanei* tutelæ ſe cum *Wilmotto* commiſit, ad *Bentleiam* perducendum. Ubi ſoror ejus (*Janam* vocitant) ſe deducturam ad locum prope urbem *Briſtoliam*, ubi ſpes trajectûs, recepit; hâc ratione ſcenam adornatura. *Salvum* (uti vocant) *Conductum* à quodam *Parricidarum* Tribuno nanciſcitur, quod ipſi ſibi cum unico ſervo, Generosóque cum conjuge, binis equis inſidentibus, liberum iter & ſecurum præſtaret ad *Nortoni* prope *Briſtoliam* domicilium; cujus nimirum Uxori gravidæ partus appropinquabat. *Jana* ſoror inter puerperii nixus præſtò eſſe omnino debuit; nec acceptior itineranti comes quàm cum *Bentleiam migrat; indè Briſtoliam profecturus, ceu Janæ Lane ſervus.*

cum marito consobrina. Bellè in omnibus quadrabat fabula. *Rex* haud moratus inscendit equum, *Jana* se famulum coràm exhibens dominâ ponè insidente. Sequitur cum uxore *Lasselius* (hoc enim Affini nomen erat:) præcedit *Wilmottus*, accipitrem in manu gestans, quasi nunquam antè viderat, solâ viæ societate fortuitò conjunctus, idémque certus, cùm *Bristoliam* propiùs ventum foret, de via deflectere ad amici ædes, *Johannis Winteri*, Equitis, rerum ibi occasiones expectaturus. Ità instructi omnes, profectionem bonis avibus auspicantur.

Dat se in viam, comitantibus Lasselio & Wilmotto.

Bromsgrovii miscet de seipso sermones cum fabro ferrario.

Primus *Bromsgrovii* obvenit casus memorabilis; excusso etenim equi calceo, *Regis* erat ad Faborum ferrarium deferre, qui alium affigeret. Iste *Regi*, *Quid novi audiret*, percontanti, *Nil*, inquit, *præter victoriam de Scotis à Cromwellio reportatam; ubi quanquam capti vel occisi ferè cæteri, Rex evasit tamen. In Scotiam fortè* (reponit *Rex*) *per avia se clanculùm surripuit.* Cui Faber, *Illud profectò parùm verisimile; quin potiùs latibulum sibi quoddam in Anglia sortitus est. Ego si deprehenderem, haud modicè lætarer, quia mille libras numerarent mihi Comitia.* Post istiusmodi sermones utrinque collatos abscedit *Rex*, dominæque famulatur in itinere. Ad *Stratfordiam* penè provectis *Avonæ* fluvii vadum transire in animo erat, milliaris unius infra oppidum distantiâ: sed propiùs adventantes, ex adversa ripa militares equos conspiciunt in prato gramina depascentes, infessoribus humi propè cubantibus. Ibi, quid factu opus, consulitur. *Rex* pergere metu dissimulato; *Lasselius* autem (cui recens à militibus facta præ oculis obversabatur injuria) consultius duxit ad vicinum oppidum divertere: cujus formidini obsecundante *Rege* dum per plateam iretur, en obvios eosdem quos vitârat milites; qui tamen nè minimam creant molestiam, salutari tantummodo resalutant. Sub noctem ad Insigne *Coronæ* ventum

Stratfordiæ per medios milites transit indemnis.

Pernoctat Circestriæ,

apud

apud *Circestriam*, (*Corinii castrum* à veteribus dictam) ubi valetudinarium se simulans, in cubile continuò recessit. Consequente vespere *Marsfildiam* tenent, ubi apud affinem *Janæ* pernoctatur. Tertiâ luce, cùm *Bristoliam*, à læva reliquissent, milliaribus tribus dissitam, ad *Nortoni* habitaculum accedunt; ubi *Jana*, quasi febre tertianâ correpto *Regi*, (quem *Beneficiarii* cujusdam Patris sui natum affirmat) in conclavi privato lectum sterni curavit, contráque febrem à Doctore *Gorgio* miscerì medicamenta.

dein Marsfieldiæ,
tertio die apud Nortonum, ubi ægrotum se simulat,

Manè prodeuntem foras interrogat *Gorgius*, *quid de Rege audiret, quid de prælio.* Sed cum parùm appositè responderet, *Vereor* (inquit) *nè tu Rotundis capitibus* (eo quasi stigmate inusti vulgò *Parlamentarii*) *operam addixeris; periculum ego faciam cujas tu sis:* atque in cellarium protinus inducto propinat vini calicem in *Salutem Regiam*. Cui *Rex* parem exhauriens, fidem facit, istiusmodi furfuris homunciones se nunquam extitisse. Manè secundò *Rex* in Cellario, panem inter & caseum comedendum, cum Thrasone quodam adstante sermones miscet, qui se prælio *Wigorniæ* nuperrimo interfuisse aiebat; multáque de rebus ibi gestis jactabundus blaterabat. Huic *Rex*, *Num tu videris Regem? Vigesies* (inquit ille.) *At qualis demum erat?* Tum *Regem* intuitus attentius, *Te superat* (inquit) *altitudine quatuor digitis.* Postea, dum caput matrisfamilias per triclinium fortè prætereunti denudaret, Promus oculis intentis vultum inspectans, & diligenter contemplatus, *Regem* esse suspicatur; privatámque nactus occasionem, venerabundus ad genua procumbens, rogat, Annon ità se res habeat. Silentio indicto, fatetur omnino sic esse. Nomen hominis *Johannes Pope*, qui ante annos quinque sub *Rege* (tum *Principe Walliæ*) stipendium in Occidua plaga fecerat; postmodùm exauctoratus, variis dominis administrum

& à Gorgio Medico invisitur.

In cellario colloquitur cum Thrasone quodam de Rege.

A promcondo dignoscitur,

nistrum se præbuit, usque dum hujus *Nortoni* promus-condus redderetur. Dehinc officia com-

homine fidissimo;

plura *Regiæ Majestati* præstitit summa cum fidelitate. Primò siquidem *Bristoliam* is missus est, navigium conquisiturus: ut, quod in *Galliam* vel *Hispaniam* solveret intra mensem, nullum potuit ibi loci investigari. Cùm autem de multis qui sub ipso militaverant *Regem* affaretur; unus deligitur *Windhamus*, cujus in hisce angustiis primum caperet experimentum. Incolebat ille villam *Trentam* inter *Durotrigas* in agro *Dorcestriensi*.

cujus ope Wilmottus introducitur. Hic Windhami mentem explorat.

Jam verò *Wilmottus* ex condicto accedens ad *Nortoni* domum, noctu *Pope* ministerio ad *Regem* introducitur, collatísque invicem consiliis, mox *Trentam* amandatur, percontaturus an auderet *Windhamus Regem* hospitio excipere, & apud se celare posset quoad opportunitate transfretandi frueretur. Respondet illico *Windhamus*, Felicitatem illam se sibi impensè gratulari, quòd inter

prospero cum successu.

tot eximios fidissimósque subditos, ipsum præsertim hoc dignetur honore: paratum igitur se vitam, familiam, & fortunas omnes non modò periculis objicere, sed & pessundare, Optimi sui *Regis* gratiâ. Veniam postremò petit, arcanum hoc non cum *Matre* tantummodo & *uxore*, sed & quatuor Servis, quarum fidem tam in *Regem* quàm in semet perspectissimam haberet, communicandi. Annuit *Wilmottus*, *Regém*que tertio pòst die circa deciniam adfuturum pronuncians, revertitur.

At enixa erat præcedente nocte *Nortoni* uxor, & ex eo partu in extremo discrimine versatur, haudquaquam à Sorore (sic enim *Janam* vocitabat) inter hasce angustias derelinquemda. Ut igitur honesta suppetat abituriendi causa, codicillos à patre jam annis confecto comminiscuntur nuperrimè datos, quibus *à Janæ discessu se graviter ægrotâsse conqueritur, ipsiúsque ope præsentissimâ indigere:*

Jana literas comminiscitur à patre quasi moribundo datas.

digere: jubet igitur, *omni morâ & excusatione missâ, si vita parentis cordi sit, domum festinet quàm citrimé*. Literis prolatis, & rumore per familiam disseminato, valedicunt *Jana Lasselio*sque, (uxore penès puerperam relictâ) cum famulo, cujus personam *Regia Majestas* sustinuit. Itineris hujus ducem se præbuit, qui *Wilmottum* per avia deduxerat à *Winteri* domo ad *Nortoni*, *Henricus Rogersius*; primúmque indè hospitium sortiti sunt in *Carewi* Castello, septem cis *Trentam* lapidibus sito. Appropinquante adventûs horâ præstitutâ, *Windhamus* cum uxore, foras quasi deambulatum, obviàm prodibant; *Regém*que privatim intromittunt, per quendam ad id muneris destinatum: *Jana* interim cum *Lasselio* apertè, instar affinium è longinquo adventantium, qui crastino die abire decreverant, excipiuntur. Hìc loci per novemdecim dies tutò commorata est *Regia Majestas*, navigio per otium prospectans, variis incassum tentatis opportunitatibus. Obtigit autem uno die, ut campanarum pulsationibus præter solitum à Rusticis incumberetur; *Regé*que causam inusitati oblectamenti scisciante, Lætitiam esse respondetur ob *Regis* obitum, cujus fama pervaserat. Dum verò de transfretando diu multúmque deliberatur, venit in *Windhami* mentem quidam (*Eldenus* nomine) Mercator, olim sub *Regio Patre* Centurio, sed qui ab eo tempore mercaturam *Limæ* quæstuosam exercuit; penès hunc fortè navem comparare, quippe quem Baroni *Barkleio* in angustiis versanti tutam præstitisse meminit trajectionem. Ad hunc itaque amandatur *Windhamus* scisciturus, an *Wilmottum* aliúmque Nobilem, qui nuper è prælio *wigmorienſi* evaserant, tutò transmittere potuerit. Ille non difficulter auscultare, atque ad *Charmutham* extemplò vadere, *Limæ* finitimam; ubi accersitum nauclerum rogat, silentio priùs impoſito, num fidam auderet navare operam *Wilmotto*

in prætextum abeundi serâ nocte.

Itur ad Carewi castellum;

postero die Trentam, Windhami villam.

Fama Regii obitûs.

Eldenus navigium conducit Charmuthæ.

in *Galliam* cum famulo transvehendo. Annuit homo, & cum Centurione pacisciturr, sexaginta libras, post allatum in *Galliam* Nobilem, chirographo persolvendas. Dies & hora quibus eos in cymba ad navigium apportaret præstituuntur.

Commentum Petersii quo hospitium ibi loci parat.

Votis hactenus omnia bellè respondent; solùs desideratur prætextus in Hospitio commorandi dum singula parari possent in trajectionem. Ob eum finem *Henricus Petersius* (is *Windhami* servus, & secreti conscius) hospitam *Charmutha* aggreditur, varióque inter sermones, Nobilissimo Viro famulari se narrat, qui Virginem parentibus orbam non procul agentem perditè amaret, à quâ & ipse pari flammâ redamabatur: Hymenæis interdicente *Patrono*, clàm eam in matrimonium constituit noctu rapiendam. An igitur per horas aliquot ea præberet hospitium quærit; porrigitque simul munusculum, in pignus uberioris præmii, superaddito & vini hausto. Mulier, isto munere delinita, & puellæ miseratione tacta, spondet operam. Igitur *Trentâ* relictâ, *Rex Charmutham* versùs proficiscitur, cum *Juliana Conisbeia* (hæc, ancilla facinoris conscia) eidem equo insidente, ut Sponsulæ speciem exhiberet. Comitantur Baro *Wilmottus*, Tribunus *Windhamus*, & *Henricus Petersius*; obvium habent *Eldenum*, inducuntur in privatas ædes (quò se obtentu prædiolum inspectandi receperat:) huic se jam aperuit *Regia Majestas*, mercedulâ datâ in pignus futuræ gratitudinis. Indè Mercator *Limam* contendit, ut Navarcham propediem acciret ad iter præstituto tempore capessendum; *Rex* cum cæteris ad hospitium *Charmuthæ*; *Petersius* autem cymbam expectaturus. At hic, post moram usque ad diluculum factam, reversus, nullam advenisse pronunciat. Quo audito, conturbari omnes, & nova inire consilia: nullus hic morandi locus periculi expers; certum *Regi* nè minimum cunctari.

Rex eò proficiscitur, Julianam Conisbeiam ceu sponsulam secum apportans.

Spe navigii evanescente, abscedit hinc.

Birdportam versùs, brevi habitâ consultatione,

Rex

Rex cum *Juliana*, Tribuno comitante, progrediuntur, in hoſpitio deſignato *Baronis* adventum cum *Peterſio* præſtolaturi. Hic ad *Limam* iturus, ut prævaricationis hujuſce cauſam à Mercatore perdiſceret: ille in hoſpitio moratus, equum de novo calceandum prætexuit. At *Eldenus* Mercator, qui dimidium itineris emenſos eos conjectabat, ruptam fidem magnopere demiratus eſt; nec aliam aſſignare potuit rationem, niſi quòd amicis dum valediceret in die Nundinarum, (nam eo die *Limæ* celebrabantur) hominem bene potum promiſſi temporis oblivio ceperat. Poſtea verò conſtitit, Navarcham domum reverſum, ut mundum aliáque profectioni neceſſaria compararet, ab Uxore incluſum, foribus obducto peſſulo: eodem enim Nundinarum die in Oppido promulgabatur Edictum, quo *ſub capitis periculo* cautum erat, *nè mortalium quiſpiam Regi ſuccurreret, timve celaret; mille librarum oblato præmio ſiſtenti cuicunque.* Hinc iſte metus invaſit mulierculam, nè maritus ex eo officio (quod uxori faſſus erat in ſe recepiſſe) in ſicco naufragium faceret: hinc precibus, lacrymis, tantùm non vi illatâ, contrâ nititur; clamoribus tandem intonans, quibus poterat vicinia concitari. Victus igitur importunitate, continuit ſe domi, commisítque uxoris arbitrio moderandum.

Cur Navarcha tam fœdè prævaricatus eſt.

Regem Birdportam pergentem anteibat exiguo ſpatio, viam exploraturus, *Windhamus*; atqui prope oppidum accedens, militibus refertum deprehendit. Armiluſtrium enim eo die inſtituebatur & delectus militum, ad *Jarſeiam* Inſulam, duce *Hayneſio* expugnandam. *Windhamus* eapropter aliò divertere *Regem*: at ille intrepidus oppidum intrare, nè palpum obtrudere *Wilmotto* videretur; partim etiam ut ſeſe nocturnis vigiliis ac itinere defatigatum reficeret, ſimul & *Wilmotti* adventum expectaret. *Tribunus* cubiculum & victum comparare; quod ſanè perdifficile inter-

Ventum ad Birdportam militum plenam:

tot hoſpites. Interea *Rex* in ſtabulum equos deducere, atque ſedulò curare, nec non in area cum militibus de itinere confabulari. Verùm equiſo tradentis equos intuitus vultum, *O te!* exclamat, *gratulor adventum, bene te novi. Unde hoc?* (inquit *Rex*) *Exoniæ*, reſpondet: (ibi *Rex* diu ſervente bello permanſerat) *ego ibi vixi per duos annos in hoſpitio. Similiter & ego* (*Rex* ait) *Domino Porterio miniſtravi. Gratulor, me in contribulem incidiſſe. Sed video te totum nunc diſtrictum negotiis, ut compotare mecum non vacet. Cùm à Londino redire contigerit, de anteactis uberiùs colloquemur.* Hiſce captus promiſſis, & præſertim negotiorum multitudine confuſus, vel *Deo* nubem objiciente, longiori alloquio ſuperſedit.

ubi ab equiſone Rex tantum non agnitus.

Paulò pòſt, cùm pertranſiret oppidum *Wilnotus*, equos inſcendunt, & rectà *Londinum* versùs itantibus, complures obviàm ſe dedere viatores; è quibus unus *Caroli Primi* olim ſervus: igitur deflectere de viâ opportunum rati, proximam à læva ſemitam capeſſunt; diúque obequitantes, appetente nocte, viculum attingunt nomine *Brod-Windſoram*. Præcedit *Windhamus* percontatum ubi terrarum eſſent; quodnam viculi nomen; quò via duceret: inciditque bonis avibus in Pandocheum, ipſius olim adminiſtrum, qui *Regi* etiam meruerat. Gratulatus hanc ſortem, blandè compellat, & quoniam ingruebant tenebræ pro comitibus pernoctandi copiam non ægrè impetrat. Cæterùm haud diu fuit quin *Coneſtabilis* (i. e. *Viculi præpoſitus*) adeſt, cum quadraginta militibus à tergo ſecutis, hoſpitiúmque partim ſaltem occupaturis; qui ad oram maritimam feſtinabant, indè ad *Jarſeiam* aſportandi. His jam ædes inſeſiæ, ut in anguſtum propelleretur *Majeſtas Regia*. Sed neque ibi finem turbamentorum adinvenit. Mediâ etenim nocte fœmina, quæ milites comitabatur, perpeſſa eſt puerperii dolores: quâ re auditâ, Villici concurrunt, & ingenti

Indè fortunâ duce ad Brod-Windſoram;

ubi à militibus ibidem pernoctantibus,

genti clamore altercantur de nutricatu infantis, matrisque sustentandæ impensis; donec, inalbescente jam cœlo, pertæsi rixas milites ad navigia properant. *& Rusticis inquietatur.*

Inter ista *Charmutham* parumper respectare juvat. Parùm enim abfuit quin affigendi calcei mora Baroni *Wilmotto* carò constaret, oborto inter Equisonem & Fabrum ferrarium colloquio. *unde venerunt hi Nobiles?* rogante Fabro; *Ab Exonia, uti ferunt*, respondet Equiso. Cui Faber, *At ego ausim pronunciare in Arctoa plaga novissimos calceos fuisse affixos.* Cæteris interea rebus ad examen revocatis; quòd nimirum Ephippia noctu non deposita, Viatores totam noctem vigiles duxissent, Famulúsque hospitio exierat summo manè; hariolantur statim, esse *Nobiles* qui à Prælio nupero *Wigornensi* ausugerant, per mille ambages in hasce oras circumductos, ipsúmque forsan *Regem* interesse. Unde prægrandis lucri spe conceptâ, Ministellum loci *Westleyum* aggreditur Equiso, *Parricidarum* impensè faventem partibus, quid agendum sibi in hoc negotio consilium ejus expiscaturus. Sed nec ille preces effundens matutinas debuit interturbari; nec ausus Equiso longiusculorum finem expectare, nè munusculo excideret abeuntis hospitis: re igitur infectâ rediens, dimittit Generosum. Historiâ per fabrum ferrarium evulgatâ, ecce Ministellus advolat, Pandocheum anxiè interrogans Quales eâ nocte susceperat viatores; Unde venerant, Quò tenderent, Quid ibi loci agitarent. A responsis auctâ suspicione, procurrit ad vicinum Eirenarcham *Butlerum*, impetraturus Edictum, quo populum quaquaversus omnem una cum militibus ad *Regem* deprehendendum concitaret. Refragante Eirenarchâ, Centurio *Massius*, agens in propinquo, collectis quotquot operâ subitaneâ potuit equitibus, rectâ *Londinum* versùs insequitur, ad *Dorcestriam* usque; sed, *Rege* divino *Charmuthe periclitatur Wilmotus,* *ortâ ex Equi calceis suspicione.* *Equiso Ministellum loci consulit;* *qui re penitiùs introspectâ,* *per Centurionem, licèt ven*

planè inſtinctu jam digreſſo, ſpe ſuâ evolutus revertitur.

præſertim apud Hug. Windhamum.

Per totam dehinc viciniam in fermento erant milites, latebráſque circumcirca excutiunt, & ſuſpectorum rimantur ædes; præſertim *Hugonis Windhami* Equitis (cujus nepos *Tribunus* erat,) ubi nullis non arculis & angulis accuratiſſimè inſpectis, arreptâque in cuſtodiam integrâ familiâ, eximiæ formæ atque indolis Puellam in ſuſpicionem vocant, quaſi perſonatum *Regem*; nec antè dimittunt, quàm indubio experimento genuinum explorâſſent ſexum.

Rex Trentam revertitur, miſſo ad Coventrium Wilmotto.

Verùm enimverò certiore indagine premenda ſunt *Regis* veſtigia. Conſilio inito, decretum eſt, ipſi notas ad *Trentæ* tenebras redeundum; *Baronique* interea *Wilmotto* cum *Peterſio* properandum ad *Sarisburium*, ut ibi *Johannem Coventrium* conſuleret, (*Sigilli magni* olim *Cuſtodis* filium natu primum ex nuptiis ſecundis) quâ ratione vel mare trajici à *Rege* tutò poſſet, vel nova ſaltem latibula inveniri; verendum etenim nè paiàm tandem fieret, in uno eodémque loco diutinè immoratus. Habitâ demum cum *Coventrio* conſultatione, itur ad viduam nomine *Hide*, quæ viculum incolebat (*Healiam* dictum) intra lapidem à *Sarisburia* primum, ut illa de latebra proſpectaret; mittitúrque *Southamptoniam* ad navigium comparandum *Robertus Philippius*, qui *Caroli Primi* ſub auſpiciis Tribunus militaverat. Hic exinde reverſus, navem affirmat in promptu eſſe, omniáque trajectioni neceſſaria. Sed inauſpicatò contigit, eandem (dum Viduæ domum *Regia Majeſtas* concederet) à *Parricidis* conductam, commeatui militibúſque ad *Jarſeiam* aſportandis ſacramento obligari. Hâc ſpe igitur evaneſcente, Tribuni *Gunteri* operam in quem fortè incidit, eò in negotio *Philippius* efflagitat. Interea *Rex* viduæ domicilium noctu ſubit, mensâque excipitur, *Doctore* inter alios convivas *Henchmanno*, jam *Sarisburiæ* Præſule, accumbente.

Navis Southamponiæ conducta, ſed nullo cum fructu.

Rex Healiam contendit.

cumbente. Cœnatus, Viduæ ſe clanculùm patefecit, & de latibulo rogavit; quanquam illa non niſi ſemel in tranſitu ſolo ante ſeptennium conſpectum, primo ſtatim congreſſu internoſceret. Monetur itaque, *Londinum* versùs abſcedat ſub Auroræ ortum, ſed circumflexo itinere, præſtò ſit horâ primâ pomeridianâ, per poſticum admittendus: eo ſiquidem die Nundinas *Sariſburiæ* celebrandas, & hoc palpo dimiſſis omnibus ſervitiis remotiſque arbitris, ipſum ſe nemine conſcio recepturam. Dictum factum: *Rex* enim cum Tribuno *Philippio*, poſteaquam Matronæ pro more valedixerant, inſcenſis equis abeunt *Stonhengium* viſitaturi, horâque præſtitutâ revertuntur; ubi equos abducente Tribuno, *Rex* occulitur in abdito quodam ſeceſſu, quem belli tempore cimeliis & ſupellectili pretioſiori recondendis exædificârant.

Manè vale dilo, redit clam famulis, & occulitur.

Iſta dum geruntur, navigium conducitur *Gunteri* operâ *Brighthelmſtedii* inter *Regnos Suſſexiæ*: quo ſemel cognito, paratiſque omnibus ad profectionem neceſſariis, Matronæ reipſâ valedicit *Regia Majeſtas*, migrátque noctu, comite *Philippio*, ad *Simmoni* prope *Portſmutham* domicilium; poſtero autem die ſub veſperam ad hoſpitium *Brighthelmſtedii*; ubi menſæ ſimul accumbunt præter *Regem*, *Gunterus*, *Wilmottus*, *Manſellus* Mercator, & *Teterſhallus* Navarcha ex adverſo *Regi*. Surgens à cœna Navarcha, injuriam expoſtulat cum Mercatore ſeorſim accito, quòd illum deceperit, *Regem* ſubſtituens pro alio ſuppoſitito. Mercator inficiatur ſtrenuè, inſtátque nè ſit pollicitis minor. At ille pro comperto pronunciat, *Regem* eſſe, qui malè veſtitus famulum ſe gerebat, & pauperculi nomine tegebatur: ídque probè ſe ſcire ex quo tempore claſſem hic ipſe carbonibus à *Novo-Caſtro* divehendis deſtinatam, & in *Dunis* interceptam, illo cum aliis intercedente, dimiſerat. Sed nec Mercatorem latere debuit aut

Indè Brighthelmſtedium properat, nacto navim Guntero;

ubi inter cœnandum à Navarcha dignoſcitur,

potuit

planè inſtinctu jam digreſſo, ſpe ſuâ evolutus revertitur.

præſertim apud Hug. Windhamum.

Per totam dehinc viciniam in fermento erant milites, latebráſque circumcirca excutiunt, & ſuſpectorum rimantur ædes; præſertim *Hugonis Windhami* Equitis (cujus nepos *Tribunus* erat,) ubi nullis non arculis & angulis accuratiſſimè inſpectis, arreptâque in cuſtodiam integrâ familiâ, eximiæ formæ atque indolis Puellam in ſuſpicionem vocant, quaſi perſonatum *Regem*; nec antè dimittunt, quàm indubio experimento genuinum explorâſſent ſexum.

Rex Trentam revertitur, miſſo ad Coventrium Wilmotto.

Verùm enimverò certiore indagine premenda ſunt *Regis* veſtigia. Conſilio inito, decretum eſt, ipſi notas ad *Trentæ* tenebras redeundum; *Baronique* interea *Wilmotto* cum *Peterſio* properandum ad *Sarisburium*, ut ibi *Johannem Coventrium* conſuleret, (*Sigilli magni* olim *Cuſtodis* filium natu primum ex nuptiis ſecundis) quâ ratione vel mare trajici à *Rege* tutò poſſet, vel nova ſaltem latibula inveniri; verendum etenim nè paiàm tandem fieret, in uno eodémque loco diutinè immoratus. Habitâ demum cum *Coventrio* conſultatione, itur ad viduam nomine *Hide*, quæ viculum incolebat (*Healiam* dictum) intra lapidem à *Sarisburia* primum, ut illa de latebra proſpectaret; mittitúrque *Southamptoniam* ad navigium comparandum *Robertus Philippius*, qui *Caroli Primi* ſub auſpiciis Tribunus militaverat. Hic exinde reverſus, navem affirmat in promptu eſſe, omniáque trajectioni neceſſaria. Sed inauſpicatò contigit, eandem (dum Viduæ domum *Regia Majeſtas* concederet) à *Patriciis* conductam, commeatui militibúſque ad *Jarſeiam* aſportandis ſacramento obligari. Hâc ſpe igitur evaneſcente, Tribuni *Gunteri* operam in quem fortè incidit, eò in negotio *Philippium* efflagitat. Interea *Rex* viduæ domicilium noctu ſubit, mensâque excipitur, *Doctore* inter alios convivas *Henchmanno*, jam *Sarisburiæ* Præſule, accumbente.

Navis Southamponiæ conducta, ſed nullo cum fructu.

Rex Healiam contendit.

cumbente. Cœnatus, Viduæ ſe clanculùm patefecit, & de latibulo rogavit; quanquam illa non niſi ſemel in tranſitu ſolo ante ſeptennium conſpectum, primo ſtatim congreſſu internoſceret. Monetur itaque, *Londinum* versùs abſcedat ſub Auroræ ortum, ſed circumflexo itinere, præſtò ſit horâ primâ pomeridianâ, per poſticum admittendus: eo ſiquidem die Nundinas *Sarisburiæ* celebrandas, & hoc palpo dimiſſis omnibus ſervitiis remotiſque arbitris, ipſum ſe nemine conſcio recepturam. Dictum factum: *Rex* enim cum Tribuno *Philippio*, poſteaquam Matronæ pro more valedixerant, inſcenſis equis abeunt *Stonhengium* viſitaturi, horâque præſtitutâ revertuntur; ubi equos abducente Tribuno, *Rex* occultitur in abdito quodam ſeceſſu, quem belli tempore cimeliis & ſupellectili pretioſiori recondendis exædificârant.

Manè vale dicto, redit clam famulis, & occultitur.

Iſta dum geruntur, navigium conducitur *Gunteri* operâ *Brightbelmſtedii* inter *Regnos Suſſexiæ*: quo ſemel cognito, paratiſque omnibus ad profectionem neceſſariis, Matronæ reipſâ valedicit *Regia Majeſtas*, migrátque noctu, comite *Philippio*, ad *Simmoni* prope *Portſmutham* domicilium; poſtero autem die ſub veſperam ad hoſpitium *Brightbelmſtedii*; ubi menſæ ſimul accumbunt præter *Regem*, *Gunterus*, *Wilmottus*, *Manſellus* Mercator, & *Peterſhallus* Navarcha ex adverſo *Regi*. Surgens à cœna Navarcha, injuriam expoſtulat cum Mercatore ſeorſim accito, quòd illum deceperit, *Regem* ſubſtituens pro alio ſuppoſitito. Mercator inficiatur ſtrenuè, inſtátque nè ſit pollicitis minor. At ille pro comperto pronunciat, *Regem* eſſe, qui malè veſtitus famulum ſe gerebat, & pauperculi nomine tegebatur: ídque probè ſe ſcire ex quo tempore claſſem hic ipſe carbonibus à *Novo-Caſtro* divehendis deſtinatam, & in *Dunis* interceptam, illo cum aliis intercedente, dimiſerat. Sed nec Mercatorem latere debuit aut

Indè Brightbelmſtedium properat, nacto navim Gunteri;

ubi inter cœnandum à Navarcha dignoſcitur,

potuit

potuit *Edictum*, quo ſub pœna capitis cavetur nè quis illum tecto vel hoſpitio excipiat, ſpondetúrque mille librarum prælarga merces, ſi quis in apricum protulerit. *Marſellus* innoteſcere homini quod res erat animadvertens, *Regem* protinus compellat; qui ſubintellecto Navarchæ genio, moribúſque inculpatis, unà cum *Wilmotto* pollicitationibus eum aggreditur, naulúmque ſatis opimum in præſentia numerat. Exinde fidam ille operam ſpondens, omnia in trajectionem præparaturus abſcedit. Navis in viculo (*Shoram* appellato) quatuor abhinc lapidibus diſtante ſemiplena erat carbonibus, quos nondum vendiderat; nautis pleriſque *Brighthelmſtedii* agentibus: hos igitur intempeſtâ nocte inclamat, ſurgerent ſtatim, ad navem pergerent confeſtim; obtento fluitare ſolutis anchoris, in brevia vel ſyrtes impacturam; ſemet eveſtigio ſecuturum. Uxorem inſuper jubet Aquæ-vitæ phialam in oppido coëmere, alterámque vino *Hiſpanico* replere, mundo, quod ſecum portaret, ſimul dato. At illa, *Cur tam ſerâ nocte?* reſpondet: *annon manè ſufficeret?* Cúmq; acriùs inſtaret, morámque vel minimam præſcinderet, *Rex eſt* (inquit muliercula) *cui tranſmittendo deſtinari te ſuſpicor: at faxit Deus, ut ei ſoſpitando inſervias; modo hoc fiat, mihi cum parvulis panem emendicatum in perpetuum ire perindè fuerit.* Pandocheus etiam, tunc temporis probè potus, *Regem* adoritur, manúmque deprehenſam exoſculatur, *Quis ſis,* (inquiens) *aut unde venis, aut quò tendis, neſcio; Dii tamen te ſervent incolumem precor: Si me mea non fallat conjectura, Ego Comes ero, Uxor Comitiſſa.* Et reverâ nonnullis innotuit *Regem* fuiſſe, ſtatimq; à fuga per rus totum, ſed clàm obmurmurantibus percrebuit.

qui à Parricidarum Edicto ſibi timens,

ægrè ſpondet operam,

uxore (cui ſubolebat negotium) hominem ad obſequium urgente.

Appropinquante profectionis horâ, procedunt ad littus, equis inſidentes; ſimulabátque Navarcha, Mercatoribus hiſce ex Inſula *Vecti* divendita carbonum

carbonum reſidua, quapropter eò vela facturum. Navem conſcendunt horâ quintâ matutinâ, magnámque diei partem littori legendo inſumunt. Inclinante Sole, vela inflectebat Nauclerus ceu Inſulæ *Vecti* applicaturus. At *Wilmottus*, qui præcipuam præ ſe ferebat perſonam, quaſi variaret cum vento animus, poſt altercationem ex condicto coram nautis aliquamdiu habitam, pactum pro navigatione in *Galliam* commutavit; atque trahente noctem crepuſculo, *Fecanum*, exiguum *Normandiæ* portum, attingunt, & arenâ jam tandem potiuntur exoptatiſſimâ. Inter navigandum demirabatur Nauclerus, *Regiæ Majeſtati* rectiùs innotuiſſe ſeriem itineris quàm ipſi ſibi. Nec illud utique ſilentio prætermittendum quod inſcius nauta (utì caſibus ingenium eſſe poteſt) argutè ſatis reſpondit. Sedente, dum vela facerent, in gurguſtio *Rege* cum Navarcha, homunculus ingreſſus locum juxtà occupat, oríque inſufflat *Nicotianam:* quem ægrè ferens Navarcha, faceſſere ocyùs cum ſuo fumo jubet, nec Generoſo moleſtiam creare. At iſte dum exiret obmurmurans, *Etiam Feli licitum* (inquit) *intueri Regem*; quod trito apud *Anglos* adagio dici ſolet.

Nave conſcenſâ littus legunt, ceu Vectim Inſulam petentes.

Veſperi Normandiam attingunt.

Rex navigandi cálentiſſimus.

Terram jam tenebat *Gallicam Regia Majeſtas*; ubi *Deo Optimo Maximo*, Regum omnium Vigili & Vindici, Terræ mariſque Dominatori, Ventorum & fluctuum Pacatori mitiſſimo, gratias inprimis agens, Navarchæ ſe perquam benevolum profitetur; victúmque porrò ſecum ut haberet blandè invitat. Sed ille fauſta omnia precatus, maluit penates proprios & familiam reviſere, quanquam cum periculo. Conſcendit igitur navem, ventóque derepentè converſo, *Poolium*, (quod portus apud *Durotrigas*) eâ ipſâ nocte attigit, ibíque vendidit carbones. *Rex* autem *Rotomagum* profectus, mercatores quoſdam ſalutat, *Sambournum* & *Parkerum*; qui veteribus (quaſi Sanctorum reliquiæ forent) inter ſe partitis, novis *Regem* induunt veſtimentis.

Navarcha blandè dimiſſus, Poolium eâdem nocte appellit. Rex, immutato Rotomagi amictu,

Doctor

ubi forte Doctorem Earlium offendit,

Doctor *Earlius*, Episcopus jam *Wigornienſis*, (qui pridem *A concionibus*, & fortè *Rotomagi* tunc agebat) venit visitatum; quem ut vidit, non statim agnovit: sive Vultus præter solitum obductus, & tempora comarum honore populata *Augustam* speciem obscurârant; sive *Doctoris* mens insperati spectaculi stupore defixa visum hebetârat: certè *Carolum* in *Carolo* requisivit; quoad pleniùs & apertiùs os sacrum contemplatus, jam gaudii certior, ad charissimi *Domini* genua advolutus est, ut seri officii culpam deprecaretur, & erumpentis gratulationis obsequium deferret.

Lutetiam Parisiorum proficiscitur;

Proximo die, è *Lutetia Parisiorum*, quò pernicibus alis fama rei confugerat, *Angliæ Regina*, simul & *Dux Aureliæ*, Nobilium globo stipati, procedunt obviàm gratulabundi, atque in *Civitatem* inducunt magno cum populi plausu. Hunc amplexari, hunc dicere omnes in humani generis decus & delicias asservatum, hunc *Angliæ* spem & columen, hunc ut sartum tectum Deus perpetuò servet, animitùs comprecantur.

cujus incolumitas luculentissimum Divinæ Providentiæ testimonium.

Sic salvus ex insidiis hostium evasit, per quem *Britanni* simul omnes de hostibus triumphamus; cujus capiti sacrosancto nisi Cœlites invigilâssent, diis inferis centies devotum omnino periisset. Quòd inter tot *infimæ sortis* homines, tot *religionis contrariæ*, tot *fœminei sexûs*, quibus effrænis & innata garrulitas, tot *meticulosos*, quibus capitale supplicium horrori erat, tot denique *fractæ spei* & *pecuniarum indigos*, quibus grande lucrum non potuit non esse pergratum, à nemine per duos menses proderetur; Opus planè (si quid aliud) *Divinæ* manûs obstupescendum. Atque hoc sufficere potuit, hoc solum, contundendæ *Rebellium* arrogantiæ, qui toties *Providentiam* crepabant ampullanti voce; hoc Terricolas omnes quàm chara *Deo* sit ejus *unctorum* salus, irrefragabili testimonio perdocere.

Cromwellius à clade *Wigornienſi* triumphantis inſtar *Londinum* ingreditur, præmiſſis captivorum quinque millibus; qui ludibrio ſatis habiti, vel in carceres compinguntur, vel ad *Saccari-molendina* in inſulis *Novi Orbis* amandantur. *Cromwellius præmiſſos captivos Londinum ſequitur.*

Interea *Monckeus* (qui jam *Albemarlæ Ducis* honore merito refulget) copiis *Anglicanis* à *Cromwellii* diſceſſu in *Scotia* relictis, quæ ſex millia numerabantur, præpoſitus, *Sterlingæ* Caſtrum aggreditur, & deditione recipit, cum machinis, apparatu, commeatu multo, armorum quinque millibus, Rotulis, Scriniis, Cimeliis, variis *Regum* monumentis ac reliquiis, ſimul & ſuperbâ inſcriptione iſtâ, *Nobis hæc invicta dedere, Centum ſex proavi.* Grandævum *Levinii* Comitem, uti & *Crawfordii-Lindeſii*, *Ogilbeum*, *Procereſque* alios quamplurimos, dum delectui militum incumberent apud *Ellitium* in *Perthiana* Provincia, *Aluredus* Tribunus inopinatò corripuit; nec minùs *Philippum Muſgravium* Equitem, Prætorem *Sancti Johnſtoni*, cum aliis, delectum facientes militarem *Dumfriſii*. In *Dundeam* verò, quippe auſam obniti, vi & impetu facto irrumpitur; oppidúmque totum victorum libidini & rapinis exponitur: quo triſti exemplo *Abredonium* (ſive *Fanum Reguli*) aliæque civitates commonefactæ, nec non munimenta, ſemet hoſtium arbitrio tradere maluerunt. *Sterlingæ Caſtrum Monckeo deditum.* *Proceres ab Aluredo correpti.* *Dundea victori præda fit.*

Paulò pòſt *Argathelia* Marchio, quaſi pro forma & in ſpeciem, *Regni* partes aliquandiu ſuſtinet; *Montani* etiam: qui tamen mediocres adepti conditiones, herbam tandem porrigunt, cervicéſque ſubdunt *Anglorum* jugo premendas. Nova deinde quatuor in locis conduntur propugnacula, tam arte quàm ſitu munitiſſima, ad quæ maritimo itinere pateret ex *Anglia* commeatui militique facilis acceſſus; Abud *Aeram* nimirum (aut *Videgoram*) *Innerneſſiam*, *Sancti Johnſtoni* oppidum, & *Leitham*; præter *Sterlingæ* Caſtrum in ſupercilio montis *Scotia unitè ſa jam penès Anglos, qui novis propugnaculis ſeſe communiunt.*

montis positum, ac *Edenburgicum* (quod suprà descripsimus.) In omni denique Provincia castello aliquo potiuntur; unde ortâ denuò rebellione *Scotiam* quaquà patet persultandi & perdomandi habeant opportunitates. Sed nec terra *Scotica* victorias *Anglorum* terminare potuit; quin maris iras & rabiem aspernati, penetrant ad *Orcadas Hebridásque*, ac in *Shetlandia*, sive ultima *Thule*, trophæa erigunt.

Orcadásque subigunt.

At quemadmodum collisо capite caudâ sæpenumero minatur Serpens; ità *Middletonus*, Marchio *Huntleius*, Comes *Glencarnius*, *Atholiæ* Comes, aliique, novis belli facibus exardescunt: quas tamen levi negotio extinxit *Morgani* dextera, dum potiorem partem ante coalitionem pessundaret. Abhinc, qui obsequio minùs assueti pro data occasione recalcitrabant, frænos ultro capessunt, pactísque articulis spondent se quietos in posterum permansuros.

Scoti recalcitrant, irrito conamine.

Judicia jam exerceri cœpta per universam *Scotiam*; quem ob finem Judices immittuntur itinerarii, præsertim ex *Anglis*, uti *A. O.* L. D. *Georgius Smithus*, *Johannes Marchius*, *Edoardus Moseleius*; quibus adjiciebantur è *Scotis Craighallus*, *Lockartus*, arq; haudquaquam teticendus *Swintonius*. *Concilium Statûs* etiam ex *Anglis* componitur non-Optimatibus, *Scotis* quibusdam sacerrimis intermistis; imò Provinciis omnibus indicitur conventio, in qua ejurato *Rege* subscribere tenentur *Anglicano* Regimini, & in unam eandémque cum *Anglis Rempublicam* coalescere. Atque tandem *Delegatos* numero triginta mittere jubentur ad *Angliæ Parlamentum*. Neque tamen dissimulandum est, *Anglos* (quanquam è *Scotia*) huic muneri destinatos, exceptis *Argatheliæ* Marchione & *Swintoniæ* Toparchâ, qui duo *Scotorum* soli *Parlamento* semet immiscuere. Interdicitur etiam genti Armorum usus, nec non Equorum, nisi præscriptos

Rerum civilium administratio per Judices plerosque Anglos;

& Concilium Statûs.

Triginta Delegatis suffragandi jus datum in Parlamento Angliæ.

ſcriptos in fines & neceſſarios. Porrò commerciis eorum cum exteris & negotiationibus ſeverè invigilatur, nè quid eo prætextu mali molirentur in *Rempublicam Anglicanam*. Sic, ſic *Anglorum* requiem interpellare profuit, alieniſque ſemet intrudere turbamentis; imò authores eſſe Iliadis, quam nos paſſi ſumus, malorum. Sic *in foveam inciderunt quam nobis excavârant, & caſſibus irretiuntur quos immerentibus diſtenderant*; nec Vindicis aut Liberatoris ſpes ulla, donec olim *è monte Deus* reſpiciat, & caſtigatâ gentis perverſitate miſereatur. *Scotis obtigit quod meruêre.*

Sed *Scotiæ* ſatis vacavimus; eâ itaque relictâ, ad res propriè noſtras regrediamur. *Jarſeia* jam prodeat in ſcenam: huic expugnandæ cum maximo apparatu & copioſo delectu militari præficitur *Haineſius*, qui navigiis ſeptuaginta plùs minùs eò delatus, per tres dies, ab *Inſula* diverſis in locis à *Geo. Cartereto* (qui jam gaudet meritò *vice-Camerarii Regii* officio in Aula) *Inſulæ* Præpoſito rejectus, opinione tamen citiùs victoriâ potitur: Quippe noctu faciens exſcenſionem, & *Regio* militum præfecto *Bovillo* (dum ſtrenuè, ac inter primos arma ciens *Haineſianos* aſcenſu prohiberet) in primo conflictu interempto; alios ſubito terrore conſternatos aufugere cogit. Indè *Inſulani* novorum Dominorum in arbitrium concedunt: *caſtellum* etiam *Elizabethæ*, quod æſtu accidente in rupe ſitum mare circumfluit, tormentis & mortariis quaſſatum, (quorum impetus adeò immanis fuit ut uno ictu ſemel 48 milites vel diſcerpſit vel fœdè laceravit) deditionem poſt duos menſes paciſcitur, quâ, convaſatis omnibus ſuis, *Gubernatori* nec non præſidiariis in *Galliam* tranſire licuit. *Mannia* ſequitur; hæc etiamſi fœmineâ defenſa virtute (*Darbeiæ* ſcilicet Comitiſſæ) id tamen decoris præripuit viris, ut dubium fecerit, uter in *Regia* Cauſa *Georgius Carteretus* Eques Auratus, an *Illa*, victima ſub manibus *Parricidarum* poſtremo ceciderit. *Jarſeiam ſubjugat Haineſius.* *Mannia quoque Inſula capta.*

Devictis

Consentitur in Amnestiam qualemcunque;

Devictis hunc in modum Provinciis omnibus, *Amnestiæ* seu *Oblivionis Actus* decernitur, quo anteactorum omnium memoriâ deletâ, delictis quibuscunque venia donatur. Sed idem tot limitationibus, cautelis, & exceptionum tendiculis angustatus, ut exinde parùm emolumenti cuiquam sperare licuerit ex animo pœnitentiam agentibus. Qualis tamen cunque fuerit, uni ferè *Cromwellio* debebatur; ab illo siquidem rogatus, illius præcipuè instantia apud *Pseudo-senatum* obtinuit; nimirum ut benevolentiæ specie victos sibi ipsi conciliaret, simul & in *Comparricidarum* capita odium quantum poterat atque indignationem accumularet. Quippe *tandem aliquando finem rapinis & depræda-*

sed non nisi urgente Cromwellio.

tionibus imponere par erat. Num adeò delectabantur naufragiis reditu um reique familiaris aspectandis? Jam satis iræ, satis vindictæ datum: criminòsis tandem veniam efflagitantibus, delictis sat supérque expiatis, misericordia & clementia prorsus exhibenda.

Milites livido in Pseudo-senatum animo,

Verùm odia & simultates (quorum semina olim jacta, sed durante communi periculo consopita) *Pseudo-senatum* inter & milites jam emicare; quæ mutuis iris diu cocta, in flammas & incendia exardescunt, ac in perniciem excrescunt internecinam. *Adeò rarâ est latronum diuturna concordia.*

quem hisce onerant criminibus,

Objiciunt milites, hosce viros honoris & dominii quælibet munia sibimetipsis & amicis propriis in perpetuum arrogare, cæteris omnibus consortio prohibitis; bonique publici obtentu, loca proficua inter se partiri, posthabito reipsâ Publici studio. Cui fini adversùs *Regem* arma distrinxerant? capita sua tot periculis exposuerant, in viscera contribulium & amicorum grassati? *Regicidio* (sic triumphos agunt de infando facinore) operam præstiterant? An ut istos suis in sedilibus constabilirent solos? ut isti æternùm & securè otiarentur, per fas & nefas in omnes, discrimine nullo, pro arbitrio dominarentur, & vindictæ libidinique

libidiníque privatæ ſubditos mactarent quantoſcunque? Apagè (aiunt;) meliùs ipſis fore ad gubernium priſtinum reverti, *Carolum Regem* à mortuis *reſuſcitare*, *Regimen ipſius denuò ſubire*, *quippe quem Legibus obſtrictum probè nôrant*, *earúmque ad normam adminiſtrâſſe Rempublicam.* Rogant igitur enixè, ut *imponatur tandem finis aliquis hiſce comitiis*, *novâ ſubrogatâ & æquali Repræſentativâ ſuffragiis boni populi*, *Legéſque reformentur*; & cætera, quibus toties petitis ad nauſeam uſque aures præſtruxerant.

Petebant ſcilicet iſta ſpecioſa bellatores, non ex puro puto Reipublicæ zelo, ſed ut, horum caſſo ac definito imperio, ſuas ipſi imperitandi vices acquirerent; ſperabántque hiſce dicteriis & ſtigmatibus inuſtos, odio etiam populari perculſos, ipſis tandem dominandi licentiam fore conſignaturos. *ſuis tantùm modo commodis invigilantes.*

Pſeudo-ſenatores è contrà, diutinæ poteſtatis dulcedine deliniti, milites jubent *rerum ſuarum ſatagere*, *arma tractare*, *ac juſſa capeſſere*, *ſibimet relictis conſiliis & Reipublicæ curâ*; *nec non novi Regiminis conſtabiliendi munere*; *utpote qui diu huic negotio incubuerant*, *facto progreſſu non contemnendo*, *idémque ad complementum ope divinâ maturè perducerent. Interea nè tumultuentur* monent; *ſibi etenim* (*qui Regem ſolio dejicere potuerunt*) *non animum*, *non vires defuturas effrænes in ordinem redigendi*, *quamvis mallent mitiora experiri.* *Reſpondetur animoſe ſuis ad Objectiones.*

Milites verò, dedignati quòd extra oleas & in aliena verſari provincia crederentur, de publico monentibus reſpondent, *haud mercenarios eſſe ſe milites*, *neque arma ſtipendiorum intuitu*, *ſed Libertatis publicæ*, *induiſſe*; *nec velle deponere*, *quoad fructum communem perſenſerint. Non debere ipſos ampullari nimiùm in Regia cæde*, (ſic nefando Crimine gloriantur invicem) *quippe qui larvarum inſtar & quaſi perſonati adſtititerant*; *ſeipſos virtute ſuâ ſuíſque periculis hanc perfeciſſe*, *cujus illi vel* *Regerunt milites:*

mentionem pertimuissent, absque bellicosis viris hortatoribus, & primis authoribus.

quos igitur magnam partem exauctorandos decernit Pseudo-senatus, at quasi aliud agens.

Pseudo-senatus igitur, plùs jam à servitiis & feriante milite sibi metuens quàm olim ab hoste *Regio*, toto ingenio & viribus eos subjugare, vel speciosè saltem exauctorare, annititur; sed quasi aliud agens, & obtento imparem fore tot desidibus & asymbolis militibus alendis *Rempublicam. Imminuendi* itaque, *sumptûs & impendiorum* specie, *partem exercitûs dimittendam* scisit, *partem dimidiâ stipe privandam, variásque in provincias distrahendam:* quò simul & rebellonem molientibus *Regiis* præcaverent, suóque militi omnem novandarum rerum opportunitatem abriperent.

Subolet hoc militibus, cósque pupugit intus & in cute quòd de fastigio deturbandi jam erant, unde perpingues receperant reditus, & tantùm non imperii participârant: gravatè ferunt stipendiis orbari, nec ampliùs in provincias pro more dominari, nec, inter supprimenda seditionum initia, prædis & rapinis emolumento proprio consulere. Igitur nolunt exauctorari aut ab invicem divelli *Præfecti* militésque, reciprocè prætexentes *Reipublicæ* commodum. *Petitionem* etiam (cujusmodi olim exhibuerant) propositis haud absimilibus adornant, *responsúmque festinantiùs dari comprecantur; nec enim arma deposituri, quoad abolitis vetusti Parlamenti reliquiis, Repræsentativa æqualibus suffragiis eligatur: atque expeditiorem in progressum, ut nonnulli Exercitûs Præfecti, Delegatorum instar, Comitiis intermisceantur, aut saltem cum Parlamenti Delegatis de Propositis disceptaturi considant.* Astipulante *Pseudo-senatu*, duodecim ex utraque parte viri conveniunt, & in commune consultant; ubi *Oliverius Sanctjonesius*, Juris municipalis præ cæteris guarus, nodos in scirpis investigando, & quæ suâ luce patebant offuscando, adeò conturbavit rudes bellatorum animos, ut unum circa vocabulum binos ultrà menses comperendinarent.

Abnuente milite, novamque Repræsentativam postulante,

pari utrinque mora in commune consulitur,

a nullo cum fructu.

Hæc

Hæc etiam *Proposita* eventilantur à *Pseudo-senatu*: sed quoniam longum esset singula memorare, circa *Repræsentativam* quàm acriter digladiati sunt contrariantibus è diametro sententiis, ego paucis expediam. Quidam ad hanc normam cingi volunt, ad aliam alii, ad neutram nonnulli. *Presbyteriani*, qui rari assidebant imminsti, ad *Ligæ* & *Fœderis* modulum conformandam statuunt; severâ scilicet quoad mores & Religionem inquisitione priùs institutâ. *Utopiani* è puriori-bus, frequentes per cribrationes ulteriùs depuratis, quasi *Oligarchiam* nescio quam somniabant. Alii *Rotationem* quandam præhabere, ut gubernandi munere per vices unusquisque fungeretur. Porrò de *Tempore* haud mitiùs litigatùm. Hi periculi plenum rebantur, imò dubio procul exitiale, quemcunque abrogationis terminum assignare, novámque *Repræsentativam* introducere. Illi, non nisi post tres, quatuor, aut quinque annos ejusmodi mutationem fieri volebant. Qui verò jam rerum potiebantur, consultissimum ducunt, ut mortuis & ejectaneis novi succenturientur *Senatores* quasi insititii. Atq; in hanc sententiam pleraque propendebant suffragia; hoc evestigio sciscere pronum erat, etiamsi *Præfectis* hesternâ nocte contrarium privatim promiserant, novam scilicet *Repræsentativam* sese de integro fabrefacturos.

Discrepant inter se Pseudo-senatores de Repræsentativæ modo, uti & de tempore;

seipsos haud temere abdicaturi.

Istud simulac inaudiverat *Cromwellius*, præceps fertur ad *Senaculum*, jussis ponè sequi denis aut duodenis militibus, ac pro foribus præstolari. Ipse *Fleetwoodio* unico comitante ingressus, in hæc verba *Oratorem* alloquitur; *Satis illusum à vobis populo, satis affinium privatisque prospectum commodis; perdiu hæc subsellia occupantes, Reipublicæ instituendæ, Legum reformandarum, boni communis procurandi obtentu, patriæ imposuistis; dum interim invasistis tantummodo Reipublicæ bona, in omnia quæstuosa & honorifica munia vosmetipsos aut affines*

Cromwellius involans, & rem malè fide gestam, aliáque horrenda crimina in os objiciens,

veſtros ingeſſiſtis, in fomentum luxuriæ & impietatis. Dein pede propulſans humum, quod ſignum erat militibus foràs expectantibus) *Proh pudor!* (inquit) *ſurgite abhinc ocyùs, locum date honeſtioribus, & fide meliore officia præſtituris.* Cùm verò ſinguli, ſubitaneo terrore conſternati, obmutescerent, unus interpellare auſus eſt, *Excellentiæ Tuæ cum juſtitia malè conſtat, ità generatim & promiſcuè, abſque ulla probatione, crimen omnibus impingere.* Quo ille commotior, unum pallio prehendens, *Tu Mœchus es*, ait; alium, *Adulter tu:* tertium, *Tu ganeo & ebrioſus*; quartum, *Tu depeculator:* & irruentibus illico ſclopetariis, omnes excludens, abrogari *Comitia* jubet. *Oratorem* interim ſurgere neſcientem, leviter è Cathedra elevatum, *Harriſonus* expulit. Sic monſtrum illud multorum capitum, ingens & horrendum, tot cædibus infame, cujus boatu tota contremuit *Europa*, uno ſpiritûs ſui anhelitu, nemine reluctante, imò plaudente omni populo, diffiavit *Cromwellius.* Sic *parta peſſimè Imperia peſſimè dilabuntur.* Quin & iſtud accedebat in cumulum pœnarum, quòd ludibrio fierent, inſcriptione illâ foribus affixâ, *Ædes hæ conductitiæ ſunt.* Etiam trivialibus poetaſtris irriſi, qui inter affluentis plebeculæ circulos in Urbe media *Duodenos Senatores Aſſe venales* palàm cantillarent. Poſterâ luce, *Concilium Statûs* & qui *A Sacris* erant à *Cromwellio* pariter profligantur; nè *mali corvi malum* ſuperſit *ovum.*

Abſcedere jubet omnes;

ceſſantéſque accitis militibus expellit è Senaculo,

& deridendos propinat,

Hoc exoptatiſſimo facinore *ſcelerum* ſuorum ità delevit memoriam, ut *Soter* potiùs audiat pro tempore; lætis populi acclamationibus & feſtivis ignibus, quàm gratum erat immani jugo levari humeros, abundè teſtantibus. Libertatem *Dacis* agnoſcunt, qui crimina vulgò propalata Dominis impotentibus in os objicere non reformidavit; paucis interim colligentibus, ipſum dum jam accuſet quos antè prætulerit, tum prætuliſſe quos aliquando

exultante populo,

& ipſi pluriùm applaudente.

aliquando accuſaret. Nimirum ità *Senatum* perpurgaverat, ut abjecto flore, fæcem & purgamenta ſuos in uſus reſervaret, quando voluerit abjecturus. Ipſi quidem *Pſeudo-ſenatores* publico odio cooperti, domum, ut erant juſſi, triſtes receſſerunt; quorum nempe arbitrio ſtare præoptaverant, eorundem arbitrio neceſſe eſt ruant; & quando quæſtum iſtum occepiſſent morem ſatellitibus ſuis gerendi, planè recipienda & muſſitanda eſt militum injuria. Sed alium patronum reperiunt neminem. *Reſpublica* ſanè non indoluit tanquam clauſæ legum officinæ, ſed velut effractæ latronum ſpeluncæ publicis triumphis inſultavit.

At eam tamen manet ſervitus etiamnum triſtior, *Cromwellio* jam, ceu *Archiſtratego*, potentiam ſupremam arrogante. Cujus tamen affectatæ ſuſpicionem ut procul amoliretur, ſenſimque prenſando ſecuriorem redderet ac ſolidiorem, ſimul & *Democraticis* palpum obtruderet, communicato cum *Præfectis* conſilio, decernitur, *Summam rerum ſelectis undique ſanctis & piis hominibus, numero centum quadraginta quatuor, per ſex menſes eſſe committendam; quos penès foret omnia temperare, atque eâ prudentiâ regere, ut vitiis planè deletis omnibus, concordia læta & pax alma Genti affulgeret.* Igitur, aſtipulante *Cromwellio*, Præfecti Exercitûs, è Sanctiſſimis quos nôrant vel inveſtigare poterant uniuſcujuſque *Comitatûs* & *Municipii*, totidem Sanctos evocare, (gregariis inſuper honeſtioribus, aut potiùs pragmaticis, quoſdam nominare permiſſis) quos jam clavo admovent de arduis trium *Regnorum* negotiis conſultaturos: homines maximam partem illiteratos, ex ima fæce, proletarios; at eoſdem *Zelotas*, *Catabaptiſtas*, *Chriſtocraticos*, *Democraticos*, *Fanaticos*, & (ut unico verbo expediam) ex omni Secta *Turbones* nequiſſimos. Hiſce tamen intermiſcebantur (quos ille fidos feceran beneficiis & maximè obnoxios) *Cromwellii* calidiores

Deliberatur quid porro agendum.

Præfecti Sanctos admovent ad gubernacula,

è fæce vulgi, & è qualibet Secta evocatos:

lidiores assecłæ, qui cæteros ex occasione moderarentur, & insana molientibus frænos injicerent.

qui electo Oratore,

Hisce in *Comitiorum* ædibus subsellia sortitis primaria cura est in *Oratorem Rouseum* quendam diterionem udscire, dein & quo *Titulo* cohonestarentur statuere; multâque super ea re disceptatione præmissâ, tandem *Angliæ Parlamenti* nomen induunt. Quibus peractis ad opus accinguntur. At, quanta & qualis nascitur mox confusio! quam *Cromwellius* & reliqui sagaciores indubiè futurem præsagire, atque in sinu ridere, quòd in scopulos impingentes, & difficultatum tyrtibus impliciti, gubernacula, communi omnium plausu & gratulatione, uni *Cromwellio* traderent excipienda.

Parlamenti Angliæ nomen induunt;

& mox amentiam suam abunde produnt, in Ministros, Academias & Nobilitatem pessimè animati.

Hi *Christi* in terris *Monarchiæ* viam sternere decreverunt, præsentiam ejus personalem, quasi mox instantem, vaticinantes: ideóque *Sacerdotale munus*, uti *Pontificium*; *Decimarum* solutionem, uti quæ *Judaismum* redoleret; *Leges Angliæ*, ceu *Normannici* jugi reliquias; *Academias* & *Scholas*, quasi *Ethnicas*, futilisque doctrinæ & curiositatis nocivæ seminaria; *Nobilitatem* denique & natalium discrimen, tanquam *Juri naturali* juxtà ac *Christianismo* contrarium judicant: hæc omnia penitus evertenda conscivêrunt, ac radicitùs evellenda. Quod & reipsâ fecerant procul dubio, nisi pauci illi qui intererant meliùs animati posuissent obicem.

Curiæ omnes cassas pronuncian.

Reverâ tamen *Cancellariam*, omnésque Justitiæ *Curias* in *Aula westmonasteriensi* celebrari consuetas, pronunciant cassas. Et uno vel altero Statuto potissimùm hæc portenta Senatorum inclaruerunt. Quippe *Connubiale vinculum*, quod ab ipsis *Ecclesiæ Anglicanæ* incunabulis non nisi per *Curiones* astringi consueverat, *Eirenarchis* omnino demandârunt: quasi in re tanti momenti nihil opus foret aut solenni prece, aut *Ecclesiæ* benedictione.

Eirenarchis Connubia demandant.

Trinam

trinam insuper *Sponsaliorum publicationem*, quæ fieri semper solebat inter officia Divina celebranda, liberam jam sive in *Templo*, sive in *foro Mercatorio* perficiendam reliquerunt. *Registro* etiam inseri statutum est, non *Baptismum* Infantulorum, sed *Nativitatem*; ut vel indè scias cujus farinæ fuerint hi novi *Reformatores*.

Cùm autem insaniam suam sat ostentare populo, metúmque simul & odium cæteris incutere permiserat hosce *Cromwellius*, pars ea cui mens obtigit sanior, unà cum *Oratore*, indicto die eum conveniunt, Authoritatem supremam ad pedes ejus denuò provolutam ille ipse ut suscipiat enixè obtestantes. *Cromwellius* ore tenus mirari, abnuere, procúlque amoliri: tandem verò impetrari hoc ægrè permisit; eâ tamen lege, ut formula hujusce rei manibus subscripta & sigillis subsignata traderetur. *Saniòr pars reluctanti Cromwellio clavum imperii tradit*;

Hoc peracto, etsi reluctarentur minores Exercitûs *Ductores* & *Democratici*, qui ex isto Regimine quæstuosa sibi pollicebantur munia, necnon communicatam dominandi licentiam, saltem stabiles & perennes in Exercitu Præfecturas; *Lambertus* tamen, qui secundum in præsentiâ gubernii locum, in posterum verò supremum sibi promiserat, sub humili pallio profundam tegens ambitionem, reliquis non suasor modò, sed & author evasit *Præfectis*, ut ejusmodi *Monarchiam* conquerent, imò unicè quæritarent ac amplexarentur. Jámque sordet *Reipublicæ* nomen, & *popularis Status*, quem pridem crepuerant, evilescit: unius gubernatio unicè placet, Ἑις βασιλεὺς, εἷς νόμος. Quod olim tot diris tam privatim quàm publicè devovere consueverant, habitâ cum *Præfectis* consultatione, pro Regimine hujusce Gentis denunciatur. Nec id tamen *Regio* sub nomine in se recipere, multis licèt suadentibus, *Cromwellius* adlubescebat, nè Modestiæ scilicet naufragium faceret, ac prævaricari nimis apertè videretur. *astipulante præsertim Lamberto, ejúsque suasu reliquis Præfectis.*

At ille Protector audire voluit, non Rex.

Juncto potiùs tum *Reipublicæ* tum Unius dominio (quæ olim ἀτύπατα) *Protectoris* sub titulo rerum capessit habenas; idque, *Instrumenti Gubernationis* sub titulo, his Legibus, quas hîc loci strictim referre non pigebit.

Quæ fuerint leges novi Regiminis.

Authoritas suprema Legis-lativa penès Unum, populumque in Parlamento, residеat; Executivâ totius administrationis Protectori relictâ, iisque qui A Sacris fuerint, quorum numerus non excedat viginti & unum. Diplomata, Processus & Commissiones, ab eo sub nomine Protectoris *vim suam acquirant; ab eo magistratus omnes, honores & tituli deriventur; eum penès sit omnium criminum condonatio, exceptis Perduellione atque Homicidio. Omnia administrare tenebitur, suffragantibus iis qui A Consiliis fuerint, & secundum hujus Instrumenti tenorem. Militia tempore Parlamenti Protectorem penès & Senatores esto; intervallis autem Protectorem penès & Consiliarios. Pacis & Belli, Induciarum & Fœderum cum exteris Principibus Protectorem penès & Consiliarios jus esto. Legès neutiquam abrogabit novásque scisset absque Parlamento. Parlamentum indicatur ante sex menses, & in posterum tertio quoque anno, aut, si opus fuerit, frequentiùs; cujus abrogandi primis quinque mensibus nullum jus aut facultatem sibi sumat absque Senatorio consensu. Numerus* Anglorum *in Comitiis constet è quadringentis, secundùm æqualem distributionem eligendis;* Scotorum *addantur triginta, totidémque* Hibernorum. *Eligendorum numerus assignetur uniculque Municipio & Comitatui. Indictio Parlamenti fiat sub Sigillo Reipublicæ ad Vicecomitem Protectoris nomine: sex justis temporibus Protector ipse indicere detrectet, Cancellarius indicere teneatur sub pœna perduellionis: ille autem si officio defuerit, Vicecomitibus incumbat id muneris. Peracta Electio reducatur in tabulas à primario Magistratu, & ad Cancellarium amandetur, manu ejusdem subnotata, viginti ante consessum diebus. Vicecomes Prætorve si Prævaricetur, falsam*

indicens

indicens aut illegitimam Electionem, bis mille marcarum summâ mulctetur. Nec eligere poterunt nec eligi quicunque arma adversùs Parlamentum tulerunt unquam. Hibernorum pariter quicunque Rebellioni præstiterunt operam, ut & Pontificii, cadant in æternum ab Electione & jure suffragandi. Omnes contra præscriptas regulas Electiones cassæ habentor, bienniique reditibus mulctentur & tertiâ parte bonorum. Nemo adsciscatur qui annos nondum compleverit viginti & unum; nec nisi notâ fide vir, Dei cultor, bonisque moribus. Nemo jus eligendi arrogato, cui ex Anglicana pecunia ducentæ non suppetunt libræ. Cancellarii graphiarius tabulas intra biduum scribat, curétque Concilio Statûs tradendas, ut judicium fiat de Personis, si qua fortè oriatur quæstio an legitima facta fuerit Electio. Sexaginta Senatores constituant Parlamentum, absentibus interea cæteris. Præter Statas indictiones, Protectori quoties opus videbitur corrogare Parlamentum fas esto. Scita omnia Parlamenti ad Protectorem deferantur, ut assensum præbeat; quem si dies intra viginti non præbuerit, in leges transeant nihilo minùs efficaces. Consiliarii locum si per mortem aut corruptionem vacare contigerit intervallo Parlamenti durante, Protectori liberum esto cum reliquis Consiliariis novum substituere. Reditus assignetur annuus unde per tres Respublicas justa persolvi poterunt stipendia denis Equitatûs millibus, & quindenis millibus Peditatûs, in defensionem; qui navalibus etiam sumptibus sufficerit: hunc autem Parlamento non licebit imminuere aut immutare, sine Protectoris & Consilii consensu. Modò non videbitur opportunum in posterum ut Exercitus alatur, quicquid supererit redituum in fisco pro subitis rerum occasionibus asservetur. Si opus fuerit extraordinarios facere delectus, novásque conscribere copias, ne fiat absque Parlamenti consensu; sed ante subsequens Parlamentum, & novas leges condere, & pecunias deposcere ad præsentis temporis occasiones, istis fas esto. Omnes Sundi, Foreſtæ & Jurisdictiones,

à

à Parlamento antehac non vexundata, sive Regis fuerint, sive Reginæ, Principis, Episcoporum, Decanorum, sive Delinquentium quorumcunque, ad Protectorem spectabunt. Protectoris officium in posterum electivum esto; cujus tamen Regia stirps erit omnino incapax: electio autem ad Consiliarios pertinebit. Pro præsenti Protector esto Oliverus Cromwellius. *Grandia Reipublicæ munera, veluti Cancellarii, Sigilli Custodis, Hiberniæ Gubernatoris, Thalassiarchæ, Quæstoris, modò Parlamenti tempore vacaverint, Parlamento approbante compleantur; in intervallis autem, approbantibus Consiliariis. Religio Christiana, prout in Sacro Codice continetur, eadat in publicam Gentis professionem; & ex publico sustententur qui hujusce curam habuerint; modo tamen alio convenientiore, minúsque invidiæ obnoxio, quàm per Decimas. Nemo mulctâ vel pœnâ quâcunque adigendus in publicæ Professionis consensum, sed suasionibus tantummodo & argumentis. Nemini, qui fidem in Christo Jesu profitetur, suæ Religionis exercitium interdicatur; modò nullam inferat aliis litem aut molestiam: Sectæ tamen tum Pontificiæ tum Prelaticæ nè minimum quidem favoris aut licentiæ permittendum: Legésque omnes in contrarium cassæ sunto. Omnia Parlamenti Pacta & conventus ratihabentor. Pacis articuli & conditiones hosti domestico concessæ firmentur. Protectores ordine singuli juramento astringantur, inter ipsa imperii capessendi initia, pacem, quietem, & salutem Reipublicæ si modis omnibus procuraturum, præsentanea pacta nullatenus violaturum, omnia denique pro virili juxta Leges, Statuta & Consuetudines Angliæ administraturum.*

Jurat in jura leges Cromwellius: mox & Consiliarios eligit ex omni Secta.

Istas in leges jure jurando consentit *Cromwellius*, dein qui *A Sacris consiliis* futuri sint solerter adscisendi; quos quidem summa cum astutia ita sibi attemperare videbatur, ut licèt inter se dispares & ab invicem dissentientes, omnes tamen haberet ille pariter obnoxios. Ex unaquaque

Secta

Secta elegit aliquot primores, quorum operâ usus reliquos ejusdem farinæ sibi conciliaret: *Præfectos* insuper Exercitûs, (præsertim majores;) deinde qui apud populum gratiâ & authoritate pollebant. Erant *Catabaptistæ*, erant *Independentes*, erant & *Presbyteriani*: aderant *Hiberni*, aderant & *Scoti*: intererant *Oligarchici*, *Democratici*, & (donec liberrimo ingenio vis fieret) *Regius* nonnemo. Harum tot támque diversarum Opinionum, Factionum, Nationum, Sectarum, Ipse nullius fidei, nè professionis quidem certæ, omnium tamen unus auriga, peritissimus habenas moliri, & pro libitu suo inflectere, nunc ad hos accedere, nunc ad illos; modò plures comprobare calculos, modò pauciores: siqui frænum minùs audirent, confestim abjungere paratus. Horum consilio suffultus, *Rempublicam* in se recipit administrandam.

Huic tantæ rerum immutationi pauci præ subitaneo terrore reluctantur, plaudunt verò plurimi; qui contrà sentiunt, mirantur, cæcóque volvunt pectore. *Presbyteriani*, *Independentes*, *Regii*, *Neutri*, malunt ejus imperio acquiescere quàm *Fanaticorum* arbitrio æternùm mancipari. Exultabundi *Milites* plurimùm gloriari: à metu ruinæ jam eximuntur *Academiæ*: liberantur jam à periculo *Jura municipalia*: *Nobilitas*, manca licèt, constanetamen sibi videtur: *Presbyteriani*, de Decimis suis & Disciplina (etiamsi non coactiva) securi, triumphos agunt: *Regii* quoque parùm tristantur, certi jam de Singulari persona, Sceptrúmque sperantes & Coronam (unâ vel alterâ factâ conversione) super basin rectam, in Familiam scilicet *Regiam*, postliminiò derivandam. *Ductor* quilibet *Exercitûs* auream crepat ætatem, quasi jam in perpetuum stabiliretur in officio; nec desperat è gregariis quispiam ad summum imperii apicem per gradus pervenire. *Lambertus* autem, aliique *Præfecti*, præter opimos quibus

Quis fuerit sensus hominum in hac tam grandi conversione.

bus in præsentiarum saginantur reditus, in consortium regiminis admitti gestiunt, mox etiam post obitum grandævi *Protectoris* ulteriùs evehendi.

Inter has domesticas conversiones non deerat *Angliæ* hostis externus; Gravis videlicet ingruebat à *Batavis* belli moles, quæ ante biennium exorta, & hactenus continuata, in alterius Gentis perniciem (ni *Deo* aliter visum) terminatura videbatur. Urebant *Belgas Repræsaliæ* literæ, (quibus promiscuè datis, prædones undiquaque exciti, & qui potiùs ex rapto vivere quàm honestè maluerunt, mare totum latrociniis infestantes, navigia plus quàm octoginta corripuerunt) necnon Statutum *Parricidarum*, de *importandis forinsecus nullis mercibus, nisi per naves Anglicanas, aut ejusdem regionis unde merces provenerant.* Et fervebat in bellum is populus præpostero consilio. Quando enim eos penès erat opitulari *Regi* contra subditos arma iniqua & nefaria inferentes, tum neque consilio, nec pecuniâ, nec precibus, nec existimatione, neque adjumento quocunque præstò esse voluerunt, (utinam non dicerentur eorum nonnulli *Rebellibus* auxilia subministrâsse:) Jam cum *Principes* Terrarum sceptra sua & coronas coram *Parricidis* demitterent; sibi capita in eosdem attollenda, cristásque censent erigendas: Vim vi repellendam confestim & sine mora clamitant; poëmatibus adversùs *Regicidas* scelestos & Sectarios personant compita, picturis micant bibliopolarum officinæ. *uliſſingani* potissimùm inepti, qui suas naves debellandis *Anglis* solas sufficere gloriabantur. Verùm non ità sentire *Illustrissimi Ordines.* His trinas in partes discissis, malebant *quidam* non solùm colere cum *Regicidis* pacem, sed & in arctiorem necessitudinem coire: *alii* euntes in sententiam popularem, quantum in se foret repugnare; initâque cum vicinis *Principibus* confœderatione, *Britanniarum Regi* in avitum patrimonium

Bellum cum Belgis.

Ejusdem origo.

Variæ Fœderatorum Ordinum eâ de re Sententiæ:

trimonium restituendo satagere: pars *tertia* se medios gerentes, propriis velificari commodis, nulla intermittere negotiorum officia, quibus mercimonii & liberi maris usum demereantur; interim si minùs amicè se gerant *Parricidæ*, atque rationibus haud æquis insistant, classe centum & quinquaginta navium instructissimâ protinus obruere.

Hæc demum obtinuit; proptereáque *Pacificatores* deliguntur quatuor; *Catzius*, *Schaepius*, *Perrius*, & (qui *Legatus* apud *Anglos* diu permanserat) *Neoportus*. Illi Tractatum instaurant quem abruperat *Sanctjonesius*, eodem ab Articulo exorsi ubi ille desierat. Hinc *Oligarchici* pœnitentiam agere videntur præteritorum; atque in unam tandem cum *Anglis Rempublicam* coalituros ominantes, blandos & faciles se præbent, porrectisque ulnis amplexantur. Dein mentionem injiciunt *Legati Belgici* (nequaquam tamen bellum denunciantes) de centum & quinquaginta navibus quas habebant in procinctu ad sulcandum pelagus, piratas capiendos, & navigationem sartam tectam conservandam; nihil verò mali velle nostris inferre, imò nè cogitare quidem.

Quarum mediâ vincente, Pacificatores in Angliam immittuntur.

Æstuante autem *Tractatu* inauspicatò contigit (utra ex parte μῆλον ἔριδος, aut fax belli injecta, nescio) ut ingens *Blakium* inter & *Trumpium*, utriusque gentis *Thalassarchas*, pugna committeretur. Fertur à nostratibus, aplustre seu summi mali verticem nolle *Belgas* demittere, quod in prærogativæ nostræ testimonium & venerationis specimen ab omni peregrina nave vendicamus; & *Trumpium*, inani tormenti displosione hujus admonitum, primam vim infestam intulisse, idque *Magistratûs* sui jussu. Cæterùm, undecunque orti essent irarum stimuli, detonabatur utrinque grandibus tormentis mugientibus, post meridiem, vicesimo quarto *Maii*, Anno salutis humanæ supra mille-

Fervente Tractatu atrox pugna committitur.

milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo ſecundo; donec prælium cæca nox dirimeret, quaſi horrendum ſpectaculum ab oculis mortalium amolitura. Ab hac pugna *Belgæ*, noſtris licèt ferè duplo numeroſiores, duabus tamen deſideratis navibus, parili, ſi non majore clade, receſſerunt. At, cùm iſto inopinato inſultu nullam reportare poſſent victoriam, *Tractatores Belgici* deprecantur omnem offenſam, quaſi fortuitò pugnatum fuerit, ipſis nihil minùs cogitantibus. Continuata verò utrinque bellandi præparatio; noſtris quidem nullatenus ingrata, utpote certis tamdiu certamen protrahendi, dum ad Coaleſcentiam adducti *Belgæ* porrigerent herbam, vel (cujus ſpem indubiam excitabat portuum noſtrorum opportunitas, & frequentia navium bellicarum cum apparatu) ad incitas redacti, victorum arbitrio læti obtemperarent. Utraque pars obfirmabat animum, paratis quæ in mutuum exitium facerent univerſis. *Belgæ Danos* invitant ad belli conſortium; qui idcirco claſſem *Anglorum* in *Suntæ* freto (eſt id maris *Baltici* oſtium) retinent primùm, dein *Hafniam* deferunt, malis, pice & cannabaceis onuſtam, quibus tunc temporis impensè indigebant *Regicidæ*; facto tamen ex *India Occidentali Scotiæque* borealibus haud levi ſupplemento. *Rex* inſuper *Angliæ* agmen quadratum navium *Anglicanarum* in auxilium offert; cui tamen copiam vexilli ſuper mali verticem non niſi ſuis in portubus geſtandi faciunt, nè vulnus inter duas *Reſpublicas* fieret immedicabile. Utraque pars plures identidem cogit navales ſocios, naves inſtruit, nauticam auget militiam; imò terreſtribus copiis claſſis utraque adimpletur. Deſperatâ jam pace, retro cedunt *Pacificatores*; pugnatúmque ſecundò & tertió. Nuſquam priùs ab omni ſeculorum memoria, non dicam per *Europam*, ſed orbem terrarum, tanto boatu tormentorum, tanto fremitu virorum, tantis viribus, animis, armamentis,

Deprecantur offenſam Belgæ.

Danos tamen ſuppetias poſcunt:

Confligitur iterum iterúmque.

tis, tantam in ſtragem & perniciem gentium, prælia ſunt commiſſa maritima; ſed fortunâ *Belgis* jugiter novercante: præterquam quòd in mari *Tyrrheno*, ad *Livornam*, *Jo. van Gaelen* (qui crure tùm temporis confracto tormenti impetu occubuit, *Trumpiúmque* juniorem ſucceſſorem habuit) binas obruens naves, tertiámque capiens, (poſtea tamen ſtratagemate receptam) noſtrorum incuriâ ſuperior evaſit. Tunc autem orbe noſtro converti cœpto, cùm *Cromwellius* imperii clavum arripuerat, *Stonii* & *Dolmani* (qui *Angli Belgarum* partibus ſtudebant) officiis intervenientibus, novi *Pacificatores* quatuor denuò accedunt, *Beveringius*, *Jounſtallius*, *Neoportus*, *Perriúſque*, inprimis ſpeculaturi quid iſta rerum viciſſitudo compendii allatura ſit, utì & pace condicturi.

Tandem Pax quæritur, Cromwellio jam Regni habenas moderante.

Ter jam devicti *Belgæ*, ſat ſupérque vires & animos *Anglorum* experti ſunt; captis mille ſeptingentis navibus mercatoriis, bellicis multis ſubmerſis laceratíſque, cæſis compluribus navium Præfectis, commercio & navigatione interceptis, gliſcente denique inter populares ſeditione, penè dixeram Rebellione. Sed quartum & noviſſimum prælium præ cæteris omnibus luculentiſſimè oſtendit ex qua parte ſtaret victoria; quando carcere, infamiâ, morte, ob malè rem geſtam, haud pauci mulctarentur; alii præmiis, promiſſis, & manubiis porrectis etiam ſpiritûs vini plenis hauſtibus prolectabantur: & quaſi hujus in alea certaminis fortuna *Belgii* verſaretur, ultimíſque conatibus extrema quælibet in vindicias patriæ molirentur, diſciplinam reſtituunt, naves fabricant validiores, machinas fundunt in longinquius ejaculaturas, hominéſque fidiſſimos, egregiæ virtutis & audaciæ, præficiunt; imò & ex *Ordinibus* nonnullos delegatos circumvehi curant, ceu ignaviæ vel fortitudinis teſtes oculatos. Tandem è *Texelo* ac *Wielinga* fluminibus, (ni mavis Sinuum nomine indigitare) (opperiente ibidem per ſex menſes

Quartum prælium Belgio funeſtiſſimum.

menſes claſſe *Anglicanâ*, cui *Monckeus* tum præficiebatur) ſolventes, vela noſtris obvertunt: cum navibus quot apparari poterant magno impetu concurritur; eo tamen poſt diutinam conflictationem ſucceſſu, ut *Trumpius* cum Prætorio in hoſtile agmen fortiter invectus pilâ pectus transfixus occumberet; vir ingens animi (nam & in hoſte laudanda virtus) & maritimorum ſcientiſſimus. Hujus necem fœda ſtrages ſimul & fuga conſecuta eſt; viginti ſeptem navibus *Belgicis* eo in prælio aut aquâ deletis aut igne, duobúſque millibus ſociorum navalium & militum interemptis, mille captis cum ſex *Capitaneis*: cum è noſtratibus quadringenti non ultrà milites uno cum navigiolo deſiderabantur; è ſeptingentis autem vulneratis plerique poſtmodum convaluerunt.

cæſo Trumpio,

duobúſque præterea millibus,

Hiſce malè adeò ſuccedentibus, *Belgæ* Fœdus cum *Cromwellio* (*Danis* etiam in pacem aſcitis) depaciſcuntur. *Coaleſcentiæ* cùm leviculam fecerat ille pro forma tantummodo mentionem, eámque rejicerent *Belgarum Delegati*, prætermiſit ſtatim intactam, ad alia collimans. At *Beveringius* & *Neoportus* *Hollandiæ* & *weſtfriſiæ* nominibus daturos ſe operam privatim pollicentur, pactíſque ſe aſtringunt, *Quod neque Auriacum Principem* (in cunis etiamnum vagientem noxæque vacuum Infantulum) *neque ejuſdem Lineæ quempiam Provinciæ ſuæ Præfectum, Vicarium ſive Archithalaſſum electuros: & quantum ad ſuæ Provinciæ Ordinum ſuffragia attinet, ut D D. Ordinum Generalis militiæ præficiatur nunquam permiſſuros.* Cui tandem ut aſtipulationem ſuam attribuerent *Groningæ* Ordines, obtinuerunt, reclamantibus nil minùs cæteris *Provinciis*.

Fœdus init Cromwellius cum Belgis Daniſque:

Fabam inſuper cudit in Auriacum Principem.

Sed Pax *Belgis* conceſſa penè noſtram interverterat. Nautæ enim & navales ſocii queritantes ſe defraudari ſtipendiis promiſſis, tumultuari, & ſeditionem agentes ad *Aulam albam* ingenti numero conglobati

Nautæ ſeditioſi.

conglobati cum fremitu & minis advolare, nec non increpationibus mordacibus postulare. At *Cromwellius Præfectis* nonnullis stipatus subitò occurrens, strictis gladiis quosdam nautas occidendo, dissipatis cæteris, tumultum composuit.

Tres naves Hanseaticæ sistuntur.

At nè sic quidem mittere *Belgas* fas est. Accidit enim ut cœptis cum *Belgio* bellis, tria navigia, quæ *Salvatoris*, *Sampsonis*, & *Sancti Georgii* insignia gerebant, ab *Hamburgo* & *Lubeca Hanseaticis* civitatibus, mercatoribus quibusdam *Amsterodamensibus* (sed falsis sub nominibus,) operam locabant, oneribus conducendis à *Sancto Lucaro Hispaniæ* (quæ *Guadalquiviro* (olim *Bæti*) flumine recipere debuerunt) ad *Amsterodamum*. Sed oneratæ naves contrariis agitatæ procellis ad *Dunas* nostras applicantes, in *Celoces* nostras ventis formidolosiores impegerunt. Quas excutientes *Aurei velleris* prædivites deprehendunt, (quadringentis millibus librarum sterlinarum, quà lateribus argenteis, quà gazis aliis pretiosis, onustas ferunt) & sistunt donec certos prædæ *Parricidas* faciunt. Illi autem in *Thamesin* flumen deduci jubent: ubi *Hispaniarum Legato Don Alonso de Cardenas* Argentum & merces inscripta simulantur, qui omnem lapidem movet ut liberata dimitterentur. At *Parricidæ*, obtentu Justitiæ exquirendæ, foro *Thalassiarchæ* examinanda subjiciunt: quod comperendinando in longum protrahit litem; donec lateres argentei, necessitatis publicæ prætextu, è navigiis extracti, & in *Turri Londinensi* procusi, *Olivero Cromwellio* tum dominante, fisco cum cæteris bonis adjudicarentur.

& adjudicantur fisco.

Lusitano reconciliatur Cromwellius.

Transeamus jam ad *Lusitanos*; quorum *Regis* excusationem boni consulit *Cromwellius*, factique quam præ se ferebat pœnitentiam: proinde *Saccaro* naves onustas, repensatis nostratium damnis, dimittit; inito præterea Fœdere; cui corroborando *Medowus* unà in *Lusitaniam* redeunte cum *Legato* ablegatur.

Legati Frater Don Pantaleon Sà,

At non omiſerim hîc loci *Legati* Fratrem, *Don Pantaleontem Sà*, cui redire in patriam neutiquam datum. Ille ſiquidem in *Periſtylio novo Londinenſi* ſub noctem deambulatum prodiens, ſibíque dedecoris aliquid à *Gerardo* quodam illatum dedignatus; ſequente veſperâ, ut ulciſceretur injuriam, eundem locum Fratris (*Legati* ſc.) famulitio ſtipatus invadit, ſtrictíſque gladiis ac ſclopetis viros fœminis intermiſtos aggreditur: indè ſublato clamore, Tribunus *Mayo Hibernus* exerto gladio in authores tumultûs *Portugallos* ſolus invehitur fugátque. Manè tamen proximo *Pantaleon Sà* ex ædibus Fratris abreptus, homicidii, ob *Greenwaii* cujuſdam cædem, qui innocuus & inopinus eo in tumultu occiderat, poſtulandus; ſiſtitúrque brevi coram ſummo *Angliæ Juſtitiario Rolleſio*, aſſidentibus & quibuſdam *Juris Civilis Doctoribus*; qui etſi de privilegiis *Legati* longam præmitterent diſceptationem, reus tamen à *Judice* pronunciatur. At carcere ſubinde dilapſus Amicæ cujuſdam adminiculo, ſed iterum, ſive ab Amico ficto proditus, ſive cuſtodum curioſâ indagine deprehenſus, ad collem *Turris Londinenſis* ſexto pòſt menſe ſecuri percutitur; vultu antè impalleſcente, quaſi umbras mortis perſentiſceret priuſquam emoreretur.

ob admiſſum Londini homicidium,

ſecuri plectitur,

unà & Gerardus ob aſſertam cauſam Regiam.

Eodem tempore locóque, quantumvis causâ & fortitudine diſparibus, fatum obtigit & *Gerardi*. Quippe ille coram *Supremo* (utì vocitabant) *Juſtitiæ tribunali Regiæ* cauſæ aſſertor condemnatur, eodémq; pegmate prior plectitur imperterritus, & alacritate plenus, quo ſecundo loco *Portugallus*. Ità morte ſuâ conciliati ambo videbantur, qui nuperrime ſua invicem impetebant viſcera.

Vowellius ob eandem laqueo peremptus.

Vowellius Ludimagiſter idem funus habuit, etſi ſuſpendio necatus; qui ſupremis Juſtitiæ Curialibus in os injuſtitiam fortiter objiciens, Judices ſimul cũ *Cromwellio* corã tribunali Summi *Dei* provocavit,

vocavit, qui tribuet unicuiq; ſecundùm opera ſua.

Sed ad *Regem* noſtrum revertamur, qui *Louvres* pago *Pariſiorum* hoſpitio exceptus, non ſegnis indoluit infortuniis; ſed omnia pertentabat, quibus in melius rebus repararis, iniquam propitiâ tandem fortunâ commutaret. Favorem *Regium* modis omnibus aucupatur, *Cardinalis* etiam, & *Principum*. *Hiſpanum* & *Gallum* inter pacem reſtituere conatur; ſed caſſo labore, *Cardinale* nimirum operam intervertente. *Principibus* exinde *Galliæ Regi* (qui *Cardinalis* cauſâ parùm conveniebant) reconciliandis, nunc huic perſuadendo, nunc illos mitigando, navat operam. Tandem *Lotharingiæ* Ducem (vires cum *Galliæ Principibus* adversùs *Gallum* conjungentem) induxit, ut è *Gallia* pacatè emigraret, quamvis iram & vindictam totus in introitu ſpiraret. At hoc noſtro *Regi* carò conſtitit: dum enim *Ipſe* cum *Duce Eboracenſi* colloquia privatim cum *Lotharingio* miſcerent, *Beaufortii Dux* ſuperveniens fortè, adverſæ Factionis *Principibus* palàm fecit; qui, quòd poſtea partes eorum deſeruerat *Lotharingius Regi* vitio vertentes, neſcio quæ ſcommata & calumnias in ipſum totúmque famulitium *Galli* congeſſerunt. Iſtis aliquantulùm commotus, ad *Sancti-Germani* oppidulum recedens commoratur, donec *Burdeauxium de Neuf-ville* de pace cum *Cromwellio* arcta tranſegiſſe inaudiverat. Deinde in *Germaniam* per *Leodium* & *Aquiſgranum* profectus ad *Coloniam Agrippinam*; cujus *Prætor* & *Senatores* congiario opiparo invitantes, omnibus officiis benevolentiæ grati adventûs indicia teſtantur.

Rex Angliæ Gallum omni officio promereri ſtudet;

indignis tamen modis habitus,

migrat ad Coloniam Agrippinam.

In *Anglia*, *Regii* quò ſe verterent initio neſcii, omnem verò volvunt lapidem, ut priſtinum in ſtatum *Regem* reſtituant, & excuſſo tyrannidis fræno ſuam demum vindicent libertatem. *Parricidæ* pauci quidem horum præ multitudine, ſed qui

Sui interim in Anglia movent omnem lapidem,

tamen dolo præpollebant, & victoriâ potiti, arma pecuniámque occupabant; clancularíis insuper & exploratóribus adeò scatentes, ut omnibus graves incumberent; nec privatim intermiscere sermones & consilia, imò nè mussitare, licuerit.

removétque Cromwellius.

Hinc omnia molimina & libertatis indipiscendæ conatus antevertuntur. *Presbyteriani* etiam, *Regi* licèt bene volentes, maxima tamen ex parte suis votis pertinaciter adhæresce re, neque cum *Regiis* communicare consilia, nec in unum coire sive confœderare, odium vetus imis infixum medullis potiùs gerere. *Regii* nihilominus confabulandi opportunitates gradatim nacti, per fidos nuncios, per cyphras & abstrusos characteres, per signa mutóque digitos mutua communicando consilia, hortando, animando, excitandóque, *Cromwellio* contranituntur. Quidam audaciores jussa ipsius apertè detrectare; multi ægrè obsecundare, prætextu Legis contrariæ; multi aliis coloribus undique conquisitis: hi partibus *Presbyterianis*, illi *Democraticorum*, alii *Anabaptistarum* simulantes se addictos, interturbare, omniáque miscere.

Mutuis tamen hortaminibus aditum comperiunt.

Res tandem per Delegatos agi cœpta,

Tandem *Delegati Regii* per universam *Angliam* institui cœpere; *Superiores Londini*, *Inferiores* in singulis *Comitatibus* aut *Provinciis*; instructi authoramentis, quibus res suas procurare fas erat, seséque invicem & *Regiam Majestatem* per intercommeantes Emissarios, de principio & progressu negotiorum, déque rerum opportunitatibus facere certiores: hisce autem *Presbyteriani*, sed pauci, intermiscebantur. Concessa est his *Delegatis* alios post alios in confœderationem paulatim pertrahendi facultas: quod hoc pacto moliuntur.

quàm cautissimè;

Unusquisque, prout potuit, compertæ fidei sodales suos de insurgendi decreto, locóque & tempore, consilii participavit: sed nonnisi clanculùm, atque uno solo simul præsente; nè si rem in posterum evulgari contingeret, inveniri testes adversùs quempiam possent plures uno. Ità negotium

gotium per innumeros homines disseminatum est, ipsâque multitudine formidandum.

Pauci *Nobiles*, aut *Majores* aut *Minores*, quin conscii facinoris astipularentur; & licèt nonnulli subire detrectarent periculum, fidem plerique servabant. Imò *Democraticorum* complures, qui jam *Cromwellii* Tyrannidem acrius aversabantur quàm legitimum *Regis* dominium, ad eandem sententiam accedunt; nominatim *Overtonus*, qui *Scotiæ* olim præfuerat, & *Wildmannus*, ambo primarii. Spes erat, *Democraticorum Regiorúmque* consociatis copiis vincendum, aut saltem ad æquiora cogendum, *Cromwellium*; deinde *Regios*, conversis in eos armis, ex facili debellandos. Ferebatur enim duo millia Equitatûs Peditésque innumeros huic militiæ nomina dedisse ex parte *Democraticorum*.

conspirantibus etiam & Democraticis,

urbium & *Munimentorum Præfecti* spem faciunt, in Confœderationem se concessuros: de machinis quoque prospectum, diésque præstituitur unus, alter, tertius insurgendi; cùm in omni pariter Comitatu arma simul induti distraherent undiquaque hostem, & quò se verteret ignarum pessúndarent.

urbiúmq; Præfectis nonnullis.

At ista non fugiunt *Cromwellium*, qui nervos omnes intendit & virium & ingenii, ut negotii totius texturam & ichnographiam penitiùs introspiceret, in apertum doli conscios produceret, præsertim ut Proceres & melioris notæ viros intelligeret, consilia interverteret, atque insurgendi tempora, supposititia substituendo, conturbaret. Isto modo *Cornaviorum* ac *Salopiensium*, immaturam admodum excitando, suppressit conjurationem. Sed *Brigantum* in agro *Eboracensi*, apud *Hessami* planitiem, ingenti numero conventus indicitur, inter quos & ipse *Fairfaxius* præsentiæ suæ spem feciisse dicebatur. Sed ille dolis & fraudibus *Cromwellii* circumseptus à molitionibus abstinere. Ibi *Rocheſtriæ* Comes (quem sub *Wilmotti* Baronis

Verùm Cromwellius consilia expiſcatus, facilè intervertit; aliis inmaturè.

nomine sæpius memoravimus) atque *Nicolaus Armorerius* Eques tempore præstituto conveniunt, ut se belli duces reliquis præstarent. At hi ambo paucis comparentibus, & plerisque præ metu dilapsis, illicò in fugam semet conjiciunt, & apud *Cattieuchlanos Alesburgi* à *Parricidarum* administris comprehensi, ægrè è manibus eluctantur. *Henricus Slingsbeius* & *Richardus Malevererius* Equites cum aliis deprehensi, custodiæ mandantur. Inter *Coritanos* etiam, prope *Nottinghamiam* in *Limpida Sylva*, (vulgò *Sherwoodi Forresta*) ingens comparuit eâ nocte populi frequentia. Cæterùm quâ indiciis proditi, quâ metu proprio perculsi, *Ductoris* etiam super electione discissi, aufugiunt omnes; quorum comprehensi non pauci, carceris tædio luunt operam. Eodem tempore inter *Belgas Wiltoniæ* circiter trecenti, sub auspiciis *Wagstaffi*, Instructoris Exercitûs, insurgentes, in *Sarisburiam* irrumpunt, ubi tum temporis *Comitiis* (nostrates *Assizas* appellitant, consessus videlicet Judicii stationarios, coram quibus in omni Comitatu bis è carceribus annuatim rei sistuntur, & civiles causæ determinantur) duo Regni *Judices* intererant jus reddituri: in quos manus injecerunt, humaniter tamen dimittentes. Exinde huc illuc paucos per dies divagantur, copias auxiliatrices frustrà opperti; quoad ex ipsis multi tandem disparuerint, cæteríque à *Crookii* cohorte in stativis opprimerentur, incolumi *Wagstaffo*, tenebrarum beneficio, evadente. *Londinum*, *Cantium* cæteræque *Provinciæ*, alienis malis condocefactæ, à rebus turbandis in præsentiâ sibi temperârunt; neque tamen clam esse potuerunt *Cromwellium*. Comes *Oxoniæ*, Barones *Willoughbeius de Parham*, *Neoportus*, *Comptonus*; Equites etiam *Littletonus*, *Peytonus*, *Packintonus*, *Ashburnhamus*, *Russellus*; *Leggus*, *Robertus Philippius*, Tribuni; *Halsteius*, aliique, quibus recensendis jam non vacat, innumeri, correpti, carceris diuturni squalore (ad

aliis timidè insurgentibus;

Nemine non ipse suâ frustratæ.

Plurimi viri primarii carcere multati;

(ad Insulas aliquot relegatis) macerantur: *Democratici* quoque *Wildmannus*, *Overtonus*, (necnon idem circa tempus *Vaneus*) captivi detinentur.

In captivos omnes, adversùm quos liquidò de facto constitit, severè demum inquiritur. Generosum sanguinem effudere complures, securi apud *Sarisburiam* percussi, & *Exoniæ* aliquot, *Penruddockius*, *Grovius*, *Lucasius*; & alii, quos æternitati commendare par esset, suspendio periêre, statuas promeriti. Sed in raros præterea pœnâ capitali animadversum est, quippe flagrante crimine non deprehensos, aut multitudine immunitatem præstante, aut denique uno in silentium alteri profuturum perquam obstinato. *extremo supplicio haud pauci.*

Porrò, quo jam modo res innotuerit *Cromwellio* docebimus Lectorem. *Angariis* & *Veredariis* publicis (quos omnes ferè sibi obnoxios habuerat) potestatem fecit dubios sistendi, suspectorum literas resignandi, clàm legendi, &, si manifestò molitiones novas spectarent, ipsi renunciandi; si ænigmaticè quid scriptum, codicillos describendi, donec certam ansam haberet captandi, vel notam suspicionis inurendi. *Tabelliones* & *Nuncios* omnes observavit, aliquando corripuit in transitu per alios, & à capite ad calcem excutiendo, minis carceréque terrens, mero multo & aliis machinis torquens, abdita & secreta expiscatus est. *Corycæos* plures & *Subauscultatores* multos itaque dispersos conduxit; clancularios quoque inter ipsos *Regios*, qui palàm jactitabant causam & defensionem *Regis*; egenos tamen & subleste fidei, qui rimantes quæcunque poterant secreta, referebant. Sed hi parvi momenti, res publicè notas, & quandoque sibi invicem contrarias, detegere assueti. Grandem sibi adscivit & palmarium proditorem, nomine *Manningum*, ujus pater in *Regia* causa tutanda conciderat; pse quoque olim sub *Rege* meruerat, ac pede *Cromwellii artes explo-ratoriæ.* *Proditores Regis immisti.* *præ cæteris Manningus in Aulam regis versatus.*

vulneratus est; generoso sanguine oriundus, & Religione *Pontificius*: qui tamen ut acceptior fieret, gradúmque futuræ proditioni poneret, Deo velut illudere ausus, Sacram Synaxin juxta Ritus *Anglicanos* suscepit. Hunc dolo & illiciis totum in suas partes traxit *Cromwellius*, qui *Regis* in famulitium & Aulicorum consortium sese insinuârat, obtentu suppetiarum, quas ad sex millia librarum annuatim à *Regiis* erogaret, *Cromwellio* interim pecunias istas clanculùm numerante. Hoc istè obductus pallio, *Regis* & Amicorum consilia securè expiscatur, & hebdomadatim enarrat; usque dum tandem (uti nulla diu celatur Proditio) suo se sorex prodit indicio, atque tot fortium virorum necis reus, tenui suo, quo solo potuit, cruore horrendum scelus expiavit.

cui tandem jure optimo nex illata.

Cromwellius indicit Parlamentum e solis Plebeiis;

Sed *Parlamentum* indicitur *Londini*, neutiquam tamen more majorum. *Communes* (ut vocantur) sive *Plebeii* soli ad Comitia *Regni* totius invitantur concelebranda; nec hi tamen liberâ totius populi electione suffulti. Priusquam autem *Senaculum* ingredi liceret, *Cromwellius* in hunc sensum alloquitur viros: *Misera Reipublicæ facies, domi forisque jactatæ, ante susceptum à nobis imperium; inimicitiæ cum Belgis internecinæ, cum Lusitano Galloque bella, cum Hispano & Sueco pax bello finitima: Jam verò cum plerisque concordia firmatur, cum cæteris brevi ineunda rationibus Angliæ commodissimis, Procerum & Nobilium ordo vacillabat, ad Æqualitatem omnia reducendo; Ministerium sive munus Sacerdotale tantùm non abrogatum; Leges avitæ propemodum damnatæ: Jam autem in vado est Dynastarum præeminentia, Ministris Decimæ, Legibus vires asseruntur, ab optimis Judicibus administratis; Academiis etiam fundi sui, quibus infruniti homines inhiabant. Hæc vobis in Reipublicæ bonum sunt ratihabenda scitisque appropriatis in seculum stabilienda; ad hæc vestro opus adjumento, hæc vestræ curæ demandamus.*

ubi sua crepat benefacta.

quibus petit à Senatu stabilimentum.

damus. Ista præfatum *Cromwellium* nullâ (ut assolet) gratulatione excipientes, consultatum recedunt *Senatores.*

Lentalio in *Oratorem* denuò ascito, *novi Regiminis Instrumentum* primò aggrediuntur, cujus omnes in examen vocant & excutiunt Articulos, primo plurimùm inhærentes eventilando. *Præfecti Exercitûs*, qui *A Sacris Consiliis*, omnésque *Cromwellii* clientes strenuè reclamant, aientes, *Instrumentum illud pro suppositò & basi Regiminis accipiendum, nec ullo modo in jus vocandum; quippe cujus authoritate Consessus celebratur, contra Naturæ dictamen fore, Rationisque supremam authoritatem, si coram Judice sisteretur.* Etiam interminantur plurimi (potissimùm *Lambertus*) ipsos, nisi hoc *Parlamentum* suis statuminaret calculis, secundum, tertium, quartúmque indicturos, donec publico tandem assensu comprobaretur. Verùm enimverò contrarium tuebantur mordicùs *Democratici*; *Gubernium dolo & vi partum* regerentes, *non jure*; *nec ullo populi suffragio libero suffultum*; *exinde insidias libertati Reipublicæ strui, viámque sterni ad gravissimam tyrannidem.* Imò unus eò provectus est audaciæ, ut palàm pronunciare non dubitârit, *è Regia potiùs stirpe adsciscendum aliquem ad Monarchiam tam propè accedentibus, quàm sibi Sceptrum & Coronam* Cromwellius *arrogaret.*

Illi potiùs Regiminis Instrumentum vellicant,

renitentibus Præfectis Aulicisque,

urgentibus tamen Democraticis.

De hisce dissertationibus commonefactus *Cromwellius*, accedit ad *Senatum* indignabundus, monétque, *non huc ideo accersitos esse, ut omnia quasi pristinum in chaos confundendo redigerent, & de novo miscerent, sed super basin præpositam & fundamenta irrevocabiliter jacta fabricam ut extruerent: Authoritatem quâ gaudebat, ipse in dubium vocari haud posse, nisi & propriam unà labefactarent potestatem; quippe ab Ipso traxisse originem Consessum hunc Senatorium, ab Ipso consultandi privilegium accepisse: Sibi soli jus in figendis fundamentalibus competere; ædificiis altiùs attollendis & expoliendis adesse Ipsis facultatem:*

At istas dissertationes severè inhibet Cromwellius,

facultatem: Ratum esse sibi, imperium & authoritatem supremam penès unum sustentare, Comitia tertio quovis anno indicere, non ultra quinque menses absque ejus consensu duratura, &c. Hæc violare aut innovare, nec Protectorem penès nec Parlamentum fore; in cæteris pro suo arbitrio & boni communis ratione statuere licere.

Singulisque Senaculum ingressuris necessitatem imponit assentiendi Regimini.

Sed quia monita non sufficerent, vim placet adhibere. Posterâ luce, pro *Senáculi* foribus excubante satellitio, nemini patebat introitus qui non subscripto nomine sequentibus astipularetur: *Ego fidelitatem præstabo Domino Protectori; nec ibo unius Regimen immutatum.* Plures, quibus fastidio fuit iste bolus, confidendi privilegio abdicantur: nihilo minùs tot *Democratici* scrupulum *Obligationis* devorârunt, quot Factiones ambas in æquilibrio ferè, *Democraticam* & *Cromwellianam*, suspenderent; utrique parti se conjungentibus qui clàm *Regi* bene volebant, simultates insufflantibus, &, quantum fieri potuit, partes inter quas hæc seriò agerentur acriùs committentibus.

Operam tamen omnem perdidit.

Verùm irà sibi invicem officiunt, ut quinque mensibus jugiter altercando attritis, res suas *Cromwellius* hisce in Comitiis nequicquam potuerit promovere.

Ruinam ejus machinantur Democratici militares:

Nec in *Senatu* solummodo vigent Spiritus *Democratici*, sed & in *Exercitu*. Hi enim intermistis consiliis machinantur, quo modo *Cromwellium* comprehensum sisterent coram *Senatu*, & perduellionis reum condemnarent; arbitrati nimirum, si manus injicientes captivum eum facerent, extemplo fore rerum conversionem, crista clientelâ & fautoribus ejus demittentibus, angulósque & latebras disquirentibus. Certè *Præfecti* trium Equitatûs millium, & qui Peditatûs manui non contemnendæ præerant, ea de re apparanda & ordinanda propinquis in ædibus *Somersettanis* alibique sæpiuscule convenerunt: sed anteaquam in procinctu res foret, pervenit (prodente *Prideo*)

quod ille suboleus, mox abrogat Comitia.

in

in aurem *Cromwellii*, qui *Comitia* properantiùs abrogando, admolitiones iſtas antevertit, *Præfectoſ*que militari Sacramento in poſterum ſolutos exauctorat.

Interea *Suecos* Legatione ſplendidâ perfunctos, & æquali magnificentiâ tractatos, dimiſit *Cromwellius*, pace jam firmatâ, & ſpe inſuper factâ propinquioris nexûs amicitiæ. Cum *Gallo* etiam paciſcitur, ſuppetiáſque ſe aliquando miſſurum, ſi per *Angliæ* res liceret, pollicetur. *Cum Sueco firmat pacem, Gallóque.*

Verùm enimverò conatibus hiſce deerat adhuc ſpecioſus *ſupremæ Authoritatis* prætextus. *Collectiva* ſuffragia denegârant *Comitia*; ſupplendum itaque reſtat, *univerſo populo corrogato*, per *Diſtributiva*; & à *Præfectis* initium commodiſſimè ſumendum. Igitur à *Scotiæ* Ductoribus, per ſingulas ſeorſim Legiones, gratulatoriæ *Petitiones* adornantur, quibus *Domino Protectori* congratulari lubet ob mutatum in melius *Reipublicæ* regimen. *Mactè* jubent, *cœlóque monſtrante viam in ſuſcepta Provincia progredi* hortantur; *ſe ſequi paratos* aiunt *per omnes difficultatum ſalebras, illúmque fortunarum juxtà & vitæ diſpendio defenſuros.* At *Præfectos* inter *Anglicanos* excuſationem quandam comminiſci præſtabat; *quaſi* videlicet *Malignantes & Patriæ hoſtes jam triumpharent, ac ſi ſolutis compaginibus, & ſimultatibus unà gliſcentibus, Exercitus quaſſaretur, & mox Duci Cromwellio abrenunciaret. Ejuſmodi ergo Petitionem concinnari oportebat, quâ Protectori applaudendo contraſentientes redarguerent.* Ægrè quidem hoc obtinuit per *Democraticos*; tandem verò (nonnullis Subſcriptionem detrectantibus, qui malebant ſe livori & vindictæ *Cromwellii* totos objicere, quàm turpi obſequio populi jus & privilegia prodere) ferè omnes in *Petitionem* conſentiunt. *Exercitu* chorum ducente, ſequuntur *Municipes & Provinciales* quidam; atque hi, œſtro neſcio quo perciti, tot tantíſque virum onerant præconiis, ut dum alios verborum lenociniis exuperare *In Authoritatis ſtabilimentum Petitiones gratulatorias adornari curat à Scotiæ Ductoribus, deín à Præfectis in Anglia, mox à Municipiis quibuſdam.*

uperare ſatagunt, Blaſphemiæ crimen incurrunt, dotéſque *Deo* peculiares Huic ore prophano attribuere non erubeſcunt.

Juſtitiæ cultor videri voluit,

Juſtitia interim (nè præter meritum vapulet) ad priſtinum ferè decus & ſplendorem inſtituitur, tum diſtributiva tum commutativa; *Judicibus* officio ſuo ſecundùm æquum & juſtum procul ab avaritia perfungentibus; *Legibúſque* in Foris (paucis exceptis, atque ubi *Cromwellio* ipſi vel ſeritur vel metitur) vim ſuam in univerſos exerere permiſſis, abſque omni mora vel obſtaculo. Mores

rigidúſque morum cenſor,

item hominum externè ſaltem in melius reformati, ſive fomentis luxuriæ reverâ ſubductis, ſive Legum antiquarum, ſed de novo ad executionem revocatarum, metu. Aula etiam ſua ad normam ſeveram ordinata; neminem hîc ebrium mœchúmve, nullum hîc publicè reum repetundarum ſine animadverſione gravi deprehendere fuit. Mercatura etiam jam exerceri cœpta: Pax alma (uti verbo dicam) quà patet *Anglia* efloruit.

& Cleri fautor,

Inter *Eccleſiaſticos* etiam præcipuam ſanctimoniæ opinionem conciliare ſibi ſtuduit; *Cleri* enim amantiſſimus præ cæteris mortalium videri voluit; quamvis nulli *Sectarum* albo nomen ſuum inſcribi paſſus, nullius juratus in dogmata: *Independentium* reverâ placitis propenſior, ſuis rebus ità ſuadentibus; at *Orthodoxis* & ad normam *Anglicanam* reformatis ſeverè inimicus. *Cleri* optare ille pacem, & ut in unum ovile ſub uno paſtore Chriſto convenirent, mutuóque ſemet affectu

cujus tamen diſſidia dum ſopire videbatur, clàm inſufflabat:

demum amplecterentur, unicè ſuſpirare; dum acriùs inter ſe committeret ex occulto, & exortas ſemel circumferret ſcintillas, latiúſque ſpargeret. *Presbyterianos* inter & *Independentes* ſpecioſa procudit reconciliationis propoſita; ſed inſtante conſenſu, longiùs eoſdem diſſociavit: *Scotorum* etiam *Remonſtrantium* & *contra-Remonſtrantium* internatas controverſias modificandi & pacandi

obtentu,

obtentu, latissimè dispersit igniculos atque in flammas insufflavit. *Fanaticis* omnibus frigidam per vices infundere solebat, ut scrupulis suis contumaciùs inhæresceret cerebrosi; quorum si potuerit ad suum genium attemperare quempiam, in secreta penetrando, mollem se præbuit & sequacem in opiniones & apices Religionis cujuscunque. Cæterùm lactare pariter omnes beneficiorum spe, ac officiis demulcere, ità tamen ut nôrint fræno non obniti; secùs, graviter irasci, minisque intonare. *Presbyterianos*, si capita præ aliis altiùs attollere, si vicinis molestos se gerere, si Gubernationis fræna mordere, aut in civilia negotia semet ingerere conspicaretur, interminari, omnia mala Sectæ denunciare, tum *Catabaptistarum*, *Tremebundorum*, & *Fanaticorum* cæterorum habenas laxare, (quibus volupe erat concionantibus obgannire, & inter sacra celebranda insulsis alloquiis perturbare;) atque istiusmodi pecudum armentis molestiam creabat intumescenti *Presbyteriano*. Imò gestientem audivere multi, quòd fastuosam eam Sectam, (ità privatim appellare consueverat) quæ neminem se præter tolerare potuit, ad bonam frugem perduxerit, adeò ut licentiam ab eo supplices petierint, concessámque gratulati fuerint, proprios inter cœtus, & eos quibus ultrò subjacere placuit regimini, tum concionandi, tum reliqua officia divina ritu suo peragendi.

Presbyterianorum fastum solerter reprimens.

Episcopatui & *Liturgiæ Anglicanæ* addictis (quamvis publico hujus usui interdiceretur) privatim & in ædibus conductitiis copiam indulget suarum Formularum. Doctorem *Brownriggum*, Episcopum, aliósque doctos viros, quos olim nôrat *Cantabrigiæ*, (dum ibi loci morari illis per *Senatum* licuit) non fovere modò, sed etiam deperire videbatur, visitare illum frequentiùs jussos: iisdem tamen discedentibus, moris erat obliviscì, calumniari, illudere. Si quos *Regiæ* Causæ velificari, aut

Livido erat in Ecclesiam Anglicanam animo; etiamsi paucos demulcere solitus.

aut in Ipſum fabam cudere ſuſpicaretur; tum eundum ad Inſulas *Orbis Novi*, tum piſtrina & catenas intentare, tum verbis corripere, Sacra interturbare, coram Præfectis aut Eirenarchis ſiſtere, nec, niſi vadimonio pro pace colenda moribúſque inculpatis dato, libertate donare. Verùm utcunque ſe res habuerit, etiamſi triſtis videretur atque deplorandus *Eccleſiæ* ſtatus, non eſt diſſimulandum nunc mitiùs agi quàm ſub aliorum præterlapſo rigore ac tyrannide.

Independentes in ſinu fovebat;

Independentes præcipua honoris & quæſtûs loca ſortiuntur, quos ille familiaritate ſuâ cohoneſtare voluit; iiſque tandem congregandi facultatem indulſit apud Xenodochium *Sabaudienſe*, ut illuc ex omni Provincia convolantes Eccleſiarum *Independentium* Antiſtites ſive Myſtæ, *Fidei* ſuæ *Confeſſionem* adornarent, abſurdáſque ſimul opiniones (quibus eos inuſſerant nonnulli) procul amolirentur: ſed præſertim & reipsâ, ut ſuas oſtentarent copias & vires, ſibíque invicem omnes innoteſcérent atque conſociarentur. Hunc autem *Conventum*, etiamſi non niſi *Richardo* rerum habenas tractante concelebrârint hi viri, *Oliveri* tamen ſub faſcibus impetrârant.

ſed nec Fanaticis inimicus, nec Romano-Catholicis.

Fanaticis quibuſcunque ſuum non prohibet cultum. *Pontificios* (etſi publicè deteſtari & odio plùs quàm *Vatiniano* proſequi videri voluit) aliquos ſibi admodum familiares habere, & officiis multis animos demereri. Imò ſemel fervebat cum iis negotiatio de *Toleratione Religionis* univerſali concedenda, tertiam partem redituum (quâ per Leges noſtras mulctantur) pro certa pecuniæ ſumma ignoſcendo. Sed quoniam de pretio non convenire poterant, ac populo ingratum fore, & novis rebus daturum originem ſubolfecerat; re infectâ pro tempore ſatius deſerere habuit. Quidquid autem eo in negotio peractum, omnibus *Miſſæ* ſuæ copiam clàm dedit, & nunquam majore licentiâ vel audaciâ graſſati ſunt tum *Jeſuitæ* tum *Sacrificuli* (quibus

(quibus Lege cautum eſt, nè capitis periculo intra *Angliæ* pomœria pedem inferant) in Caſtris, in Foro, in Pulpitis (imò ad promotiones patebat aliquibus acceſſus) adeò ut inter inſtabiles & malè fundatos opimam Neophytorum meſſem comparârunt.

Conventum indixit ex Laicis & Clericis, tum *Presbyterianis* tum *Independentibus*, necnon *Anabaptiſtis*; penès quos erat de Promotionibus & Beneficiis Eccleſiaſticis ceſſione, privatione, aut morte vacantibus, competitores ſiſtere, ad examen vocare, de moribus juxtà ac eruditione, inprimis de *Sancti Spiritûs inhabitantis indiciis*, quandoque & de Civilibus (veluti, *An arrideret Status Politicus*) interrogare. Hiſce licitum erat aut admittere ad curam animarum, aut arcere, nullo prorſus Ordinationis habito reſpectu. Non referam quantum, pro uniuſcujuſque ingenio, in hoc genere officii, prenſationibus, pretio, pollicitationibus, præmiis *Simoniacè* tranſegerunt: etiam & Laicis, Militibus, propolis, propudiis, decoctoribus permiſſum ſacra pollutis manibus contrectare, cum ſacri Ordinis hominibus quibuſdam intermiſtis, & concionandi peritis.

Concionatorum Cenſores creat ex omni Secta,

in rem ſuam fœde attentos,

Seculares officiis ſpecioſis & uniuſcujuſque genio accommodatis prenſat ac demeretur. *Nobiles* & *Dynaſtas* (nam & cum perpaucis aliquantulum ipſi intercedebat neceſſitudinis) jocis oblectare, acroamatibus cum iis decertare, genialibus comeſſationibus, Muſicâ, Aucupio, & Venationibus excipere. *Pios* autem & Sanctimoniam profeſſos ſanctis colloquiis, Precibúſque (ubi opus eſſet) & commentationibus ſacris; divinam ſuſpicere Clementiam, oculíſque & vultu ſimul ad cœlum ſublatis, manu pectori admotâ, *Numen* verbo tenus venerari, imò lacrymas exprimere atque ſuſpiria. Ruri cùm ageret, è Vivario ſemel in anno vel ſæpius venatum expoſito cervo, numíſque

Favori omnium pro cuiuſque genio velificatur; Nobilium,

Sanctimoniam præ ſe gerentium,

Ruſticorum,

misque aliquot ad vinum combibendum porrectis, eos qui viciniam incolebant exhilarare.

Militum quoque;

Minores Ductores congiariis frequentiùs devincire: nonnunquam in media cibatione, fame nondum pacatâ, gregarios milites pulsatis tympanis intromittere ut semesas raptarent reliquias. *Robustos* ac verè militares nocivis & validis exercitiis tractare; veluti prunâ candente nonnunquam ocreis injectâ, vel culcitris hinc indè in capita vibratis. Semel autem præludiis hujusmodi probè lassos & risu laxatos *Præfectos* ad cordis apertionem provocavit; eóque modo ab incautis elicuit arcana quædam, quæ perpetuis tenebris optabant postmodùm involuta; dum ipse, sententias omnium scrutatus, celaret suam. Nè pigeat lectorem quòd istiusmodi minutias adnotaverim; quorum quidem nulla foret habenda ratio, nisi à leviculis hisce planéque deridendis magna rerum momenta dependerent. Omnia enim quæ isto artificio captare potuit, in mente reponebant, quoad ipsi proferre vacaret, usibúsque suis pro re natâ adaptare.

ad sua semper emòlumenta limo oculo prospectans:

Dives promissis, at idem donorum tenacissimus; nunquam enim aut Munus aut Officium quodcunque impertiebat, quin sui commodi bilance librârat priùs exactissimè, ut uberrimos indè fructus perciperet; uti cùm populares suos, aut sagaciores, aut ad omnia obeunda promptissimos evehere dignaretur. Omnium animos, vel ipsorum hóstium, penetrare doctus & circumflectere, dispositis circà tendiculis, artificiis & fallaciis. Si quem irretiri viderit, eundem ingratis muneribus objicere solebat, veluti Tributis exigendis, aliisve hominibus deferendis & accusandis; atque ità cæteris invisissimum reddere nitebatur: sin ex toto inflecti & ad ingenium ipsius conformari noluerit, tum res suas sibi habere jubet, & perire diuturni servitii tempora.

Nemo

Nemo ſubtiliùs in mores hominum introſpexit & ingenia, quibuſcum res habuit agendas, vel maturiùs in cute cognoverit; nemo plures callebat; imò per univerſam *Angliam* ſi quis egregiè facultate quâvis polleret, ejus non potuit latere naſum. Omnia animi ſui *Pathemata* ſeu Affectus in promptu habuit & ad nutum: flendi gnarus, cùm amici lacrymas conſpexerit, ſine dolore tamen; in ſinu gerere videbatur, omnibuſque humanitatis officiis proſequi, quem tamen odio habebat; exæſtuare quandoque & immaniter debacchari, rixáſque ad pugnam uſque ciere; poſterâ tamen luce pœnitere iratum, & exinde captare anſam blanditiæ accumulandi. Sed de *Tyranno* ſatis; pauca jam de *Rege*.

ſubtiliſſimus morum perſpector,

ſummúſque diſſimulandi artifex.

Coloniæ Agrippinæ non diu commoratus erat, priuſquam fama percrebuerat de Fratre ſuo, *Duce Gloceſtriæ*, quem adhuc impuberem trans mare miſerant *Parricidæ*, nec alium ob finem (prout creditum à multis) quàm ut Fidei ſuæ *Religioniſque* naufragium faceret. Verſabatur ille quidem in ſummo diſcrimine medias inter *Pontificiorum* catervas, qui *Circæa* pocula porrigebant, comminantes iram Dei æternam pœnaſque temporales, niſi *Fidem Romanam* amplexaretur. Quamvis autem egregiè ſtaret in acie contra iſtos veteratores, & exemplo inaudito *Religionem* orthodoxam ſtrenuè propugnaret, *Regia* tamen *Majeſtas* de molli & cerea ætate metuens, nè tandem aliquando cederet, aut horum importunitate victus, aut maternis allectus blandimentis, *Marchionem Ormondiæ* in *Galliam* amandat, cum literis dehortatoriis pathetice exaratis, qui è manibus & cuſtodia *Reginæ Matris* perduceret ad *Coloniam Agrippinam*. Ex *Hollandia* quoque ſimul adventavit *Maria Princeps*, multique præterea *Nobiles*, qui cum *Rege* viſitatum *Principem Neoburgicum Duſſeldorpiæ*, nec non

Rex Carolus fratrem Gloceſtriæ Ducem è Gallia accerſit,

nè impuber in Pontificiorum caſtris de Religione ſua periclitaretur.

non *Episcopum Moguntiæ*, processerunt. *Sueciæ* quoque *Reginam*, *Italiam* versùs peregrè proficiscentem, non procul à *Francofurto ad Mœnum Regia Majestas* salutavit. *Sorori* dein *Principi*, ad *Spadanas* aquas deductæ, valedixit, atque ad notum hospitium *Coloniæ* revertitur. Quo in loco, ut Astrologicis prædictionibus fidem concilier, *Episcopus Avenionensis* ex *Gallia* Schema misit ad *Regem*, opus *Onealii* cujusdam Mathematici, quo *Regem*, triumphantis instar, in *Angliam* intraturum pro certo pollicebatur. Anno supra millesimum sexcentesimum sexagesimo, (quod postea vidimus & mirati sumus revera præstitum, exultante supra modum universo populo:) utrùm ex *Artis* suæ documentis, an fortutiò ista prædixerit, in medio relinquo. *Rex* nihilo seciùs animum in *Angliam* gerit intentum, cuilibet prospectans opportunitati, quam fronte captaret, vel ad res suas promovendas prudenter converteret.

Restaurationem suam prædictam cernit ab Astrologo quodam Onealio.

Cæterùm, dum ille magna cum animi tranquillitate res adversissimas perferret, nulla prorsus *Cromwellio* res inter prosperas aut quies aut securitas, ex quo tanto impetu detonuerat novissimus turbo; sive stimulis Conscientiæ agitatus, sive periculis confertim ingruentibus perterrefactus, continenter se gessit inquietem. Interdiu vultu erat intento ad nova & inusitata spectacula; cujuscunque peregrini, præsertim gaudentis, gestus, mores, habitum, linguam, etiam & gressum acriter animadvertebat: nunquam ex ædibus prodibat nisi multo stipatus satellitio; quin & interiùs loricatus armisque offensivis, gladio, acinace, sclopetis abundè instructus; nunquam rectâ, regiâ, vel eâdem viâ repetitâ, nunquam non incitato gradu & præproperè pertransiens. Intra ædes, quot seris, quot clavibus comprimuntur fores? Rarò ter aut sæpius eodem in cubiculo pernoctabat; nec

Cromwellium mordacibus curis jugiter exagitatus,

nusquàm se tutum autumat.

nec in ullo quocunque quod duobus tribúſve non patebat poſticis, circumcirca diſpoſitis exploratoribus.

Liceat unam rem exponere, ridiculam quidem, ſed à qua mortis ſuæ penè momentum penderet. Quia nephriticus erat, ac arenulis multoties vexatus, varia nonnunquam ingurgitabat potulenta; deinde vehementiori aliquo & multiplici motu corpus agitabat, putà equitatione, aut in carruca, ut impetu facto veſicam exoneraret. Uno igitur die *Tourloum* (qui *A Secretis*) evocavit, ut eum privatim comitaretur in Vivarium (vulgò *Hide-Park*) non ultra lapidem ab urbe *Londino* diſſitum, atque ibi carpento ſemet exercitarent. Eò cùm deventum eſſet, ſellam Rhedariam carpenti conſcendit ipſe *Cromwellius*, quod trahebant à *Comite Oldenburgico* dono nuperrimè miſſi ſex equi generoſi. At flagellum ſimulac vibrare cœperat, currus non exaudit habenas; verùm excuſſo qui primo inſidebat equo & regere debuit Equiſone, fræna mordent ſimul omnes, & regiminis impatientes, dominíque ſui neſcii, novum aurigam è tranſtro decutiunt in temonem; & inde extra jugum jactantes, humi dejectum paludamento implicato raptant; uſque dum vulneribus haud paucis mulctatus, ſclopo quod tectim geſtabat ſponte exonerato, & lacero tandem paludamento, liber evaſit ex ipſis lethi faucibus; Prætorianâ cohorte (quæ ſtabat extra Vivarii pomœria) ad opem ferendum accurrente. *Divino* Numini non ità placuit *Anglorum* hanc *peſtem* extingui; quanquam non procul aberat debita criminibus ſuis pœna, ut vivus ab equis effrænis diſcerperetur. At Veredariis & poëtaſtris pergratum faceſſit negotium; & per cunctas cœnas haud triſtis Fabula pervagatur.

Exercitandi corpori carpenti ſellam inſcendens.

parùm aberat ut vivus ab equis diſcerperetur.

De novo graſſatur in Regios; quos decimâ bonorum parte ſpoliat,

Inops jam pecuniarum *Cromwellius* diſperſis per *Provincias* militibus liberum commeatum pro ſtipendiis permiſit; & ab Inſurrectione noviſſima captavit anſam, nullo intentato, nedum probato crimine, omnes eos qui *Regis* causâ paſſi fuerant Sequeſtrum expilandi, *decimâ* bonorum & hæreditatum parte ſolvi annuatim juſſâ; niſi quis fortè redimere ſe totius indictæ ſummæ ſolutione maluerit. Nihil *fides publica*, nihil *Amneſtia* profuit; quanquam ingenti pretio & prægrandi ære numerato conſtiterat, vel pactis Articulis in deditione præſidiorum & propugnaculorum fuerat impetrata: nihil innocentia multorum, qui immiſcere ſe his negotiis noluerunt: uno reatu pariter involvuntur omnes; una neceſſitas ejuſdem æris numerandi.

indiſcriminatim.

Majores Generales Provinciis præficit,

Novi *militares Præfecti* (*Inſtructores Exercitûs* dicti) corrogandis hiſce nummis ubique Provinciarum præficiuntur, numero quatuordecim, diſtrictibus ſingulis, (qui è tribus fortè vel quatuor Comitatibus conſtabant) veluti apud veteres *Romanos Tribuni* militares jure conſulari, ſic hi ſumma propemodum cum poteſtate præpoſiti. Atque nè pecuniarum tantùm gratiâ graſſari viderentur, inquirere iis permiſſum, De omnibus qui olim *Regis* causâ induerant arma, vel eidem

quibus ingens in ſuſpectos facta poteſtas;

cauſæ patrocinarentur; de iis qui arma pridem comparârunt, aut equos veredarios aut angarios conduxêre aut accommodâre; de Conventibus privatis; de iis qui magnis ſumptibus vivunt, at unde ſuppetat ignoratur; de hominibus nihili & erronibus; de quolibet luſûs genere, ad quem ubertim concurritur; de iis qui ſtabilitum regimen averſantur, aut repugnant; de tumultum cientibus aut ſeditionem admolientibus; de iis qui popinis, tabernis, compotationibus indulgent; de *Miniſtris* illiteratis & ſcandalum præbentibus, & *Ludi-magiſtris:* Iſtiuſmodi farinæ omnes inveſtigandi,

veſtigandi, ſiſtendi, & coràm adductos caſtigandi data *Inſtructoribus Exercitûs* vel (ut vulgò audiunt) *Majoribus Generalibus* poteſtas. His etiam ſuperadditi erant ſingulis in Comitatibus, Urbibus & Provinciis, Aſſeſſores, è populi fæce plerumque, (paucis melioris notæ nonnunquam intermiſtis) quibus ex famâ vulgari, notitiâ propriâ, vel ſolâ conjecturâ, deferre alios licuit, ſiſtere, accuſare; & unà ſedentibus, operam dare Inſtructori Exercitûs adjudicanti. Deus bone! quàm ſe baſilicè gerebant! quanto turgeſcebant faſtu, deſpectis præ ſe omnibus cujuſcunque ſtemmatis aut conditionis! At ſævire placuit inprimis adversùs *Eccleſiæ Anglicanæ Miniſtros*, ſatis jamdiu calamitoſos, quibus è laribus & Promotionibus ſuis olim ejectis, per hoſce non licuit homines vel puerulis erudiendis dare operam, quo panem ſibi ſuiſque lucrentur, niſi (quod paucis obtigit, & perraro) Fanatico quodam intercedente. *Regius* autem ſequeſtro, ſive jure ſive injuriâ, ſemel ſyderatis, de novo imponitur *Decimatio*; carceribus, vinculis, deportatione ad Inſulas intentatis, & nonnunquam etiam illatis. Impotens quidem horum dominatio; pro arbitrio & deſpotica authoritate agunt omnia; ſeſe, formularum & usûs forenſis ignaros & contemptores, controverſiarum arbitros ingerere, illáſque in favorem factionis & clientelæ determinare; pœnas irrogare novas & planè inuſitatas; imò & Leges ſciſcere, mediâ nocte è lectulis exuſcitare, in piſtrinum dare, imò homines ingenuos & viculis præpoſitos (*Coneſtabiles* vocamus) flagris exceptos cippis mulctare; *Nobiles*, & nulli addictos parti, imò qui *Parlamento* nomina ſua dederant, etiam qui olim in conſeſſu *Dynaſtarum* hæreditario jure ſedem occupârant, ad ſuffragia ſua in futuris electionibus *Parlamenti* danda propellere. Tandem [immodicâ iſtâ

præſertim in Miniſtros Beneficiis ſuis exutos, quibus etiam puerulorum eruditione interdicitur.

Tandem immodicâ potentiâ, ipſi Cromwellio ſuſpecta, prorſus exuuntur.

dominatione inebriati, *Protectorem* ipsum vix agnoscere, atque grandem in *Tyrannum* recalcitrare cœperunt; unde paulatim fractam potentiam, accedente *Parlamento*, visum est penitus abrogare.

Sub idem tempus Nuncium, unum à Cubiculis, in *Poloniam* amandat *Cromwellius*, qui *Regi Sueciæ* Victorias congratuletur; missis & quatuor equis generosis in pignus benevolentiæ.

Quidam ob Regis causam incarcerati,

Dubium an sint privatæ res narratu dignæ; sed tamen, ut sensus populi innotescat, enarrabimus. *Davisonus*, *Holderus* & *Thoroldus* onerantur suspicione quadam, quòd *Regi* velificârint, eíque introducendo navârint operam: igitur Latrunculatori committuntur, coram *supremæ Curiæ tribunali* brevi sistendi. Copiam interea deambulandi foràs ab illo nacti, militem custodem in secessum aliquem pellectum, & subterfugio eorum nolentem consentire, plumbo trajiciunt. At postea comprehensi, coram *Banci Regii* Judice in *Aula westmonasterienſi* rei peraguntur homicidii; atque *duodecim-Virorum* suffragiis (ea nimirum forma nostratibus arridet, & per Leges licita) capita sua subdunt. Quamquam autem flagrante crimine deprehensi fuerant, ipséque *Judex* condemnandis hisce viris operam suam promiserat; Scrupis tamen nescio quibus in medium adductis, à *Juratis* sive *Quæsitoribus* duodecim crimine liberantur; & re auditâ, ringit *Cromwellius*, qui certissimæ morti apud se addixerat.

ob admissum pòst homicidium sistuntur, & à duodecim Quæsitoribus liberantur.

Pari modo Lilburnius è lethi faucibus ereptus, atque ter Stawellus Eques.

Patrium morem graviter incusat hoc exemplo: memor item *Lilburnii* ante biennium iræ suæ pariter subducti. Fors & *Stawellus* subiit; Eques ille, præter fidem Articulis in præsidii deditione pactam, ter in quæstionem capitis adductus, (immane hoc, nec Legibus concessum, iterum eodem de crimine interpellari) ter albis

Quæsitorum

Quæſitorum calculis morti exemptus eſt. Validiſſimum hoc Tyrannidis ſufflamen, veluti *Juſtitiæ moram*, è medio tollendum ſuadet; queſtus *prophani Vulgi miniſterio ſancta judicia temere committi*; *maxima Legum momenta non ſententiis Jurisprudentum niti, ſed cœtûs omnium ingenuarum Artium planè rudis, etiam communi penè ſenſu deſtituti, placitis & præjudicio ſuſpendi. Magìs intereſſe Juſtitiæ ut per quinquaginta Viros, ex flore totius populi lectos, de capitibus fortuniſque Civium ſtatuatur.* His ille coloribus ſaluberrima majorum inſtituta convellere, novum *Lanienæ* à ſe conditæ commentum tueri. *Objicitur à Tyranno contra morem patrium Duodecim-viralis Inquiſitionis.*

Sed ſciant tam Exteri quàm Poſteri, conſuetudinem hanc duodecim-viralis Inquiſitionis ex æquo & bono petitam, ſingulari *Regum* tum *Saxonicorum* tum *Normannorum* indulgentiæ debitam, ab omni retrò memoria ad nos traductam, hâc ætate, cùm aliquantiſper intermitteretur, publicis deſideriis maximè comprobatam. Æquiſſimi *Plebis* æſtimatores *Plebeii*, *Nobilitatis Nobiles*; ſiquidem ejuſdem loci atque ordinis hominibus ineſt Charitas, abeſt Invidia. Præterea, ſi quos *Prætor* ediderit tibi infenſos, licet etiam atque etiam rejicias. Nec imprudentes appellare fas, facti rationem à teſtibus, rem omnem coràm allegantibus & probantibus, Juris naturam à Judice Legum ſtudiis innutrito edoctos. Cæteras partes ſimplex & incorrupta mens rectiùs examinat quàm calliditas alienæ libidinis adminiſtra. Judices & Aſſeſſores à ſe pendent, in commune conſulunt, Gratiam *principum* cum utilitate publica demerentur. Contrà planè, quos læſus *Victor* in vitam tuam ac bona conſtituerit arbitros, uni *Domino* morem gerentes obſequiis graſſantur. Reos Cives, antè ſervos, jam ut hoſtes (ità ferunt) publicos torvùm intuentur; nec cunctantur *Majeſtatis* convictos, & extremo ſupplicio mulctandos pronunciant. *Aſſeritur mos ille omnium ſaluberrimus.*

Mira ſiquidem Juris compendia ſunt iidem *Actores*, *Teſtes*, *Quæſitores*, *Judices*, aperte dicam *Carnifices*, etiam non rarò *Criminum Authores*.

Oppreſſis à Duce Sabaudiæ Reformatis ſubvenit Cromwellius.

Sabaudiæ Pedemontanæ in regione grave contigit ea circa tempora turbamentum: Dux etenim loci, militibus immiſſis, *Reformatæ Religionis* complures ex ædibus propriis non ſine cæde ac ſanguine exturbârat. Horum in patrocinium aſſurgit *Cromwellius*, literis eapropter ad *Helvetos* & *Galliæ Regem* ſcriptis, miſſóque vicinarum *Commiſſario*, qui & ulteriores iras deprecaretur, eorúmque indigentiam porrectâ pecuniâ ſublevaret. Suppetias enim, eorum tantummodò in gratiam, per omnes *Angliæ* tractus vicatim emendicatas, partim quidem inter eos diſpertiit, maximâ parte in alia tempora & occaſiones reſervatâ.

Expeditio in mare mediterraneum, duce Blakio;

Tunc autem æſtuabat *Anglia*, bellum in occulto coquens: cujus molem primò perſenſit *Mare Mediterraneum*; dein & in *Hiſpanorum* capita detonuit etſi non eâdem ictûs violentiâ. Primæ maritimæ Claſſi *Blakius* præfuit, vela in *Mare Mediterraneum* facere juſſus, ut navales noſtras vires oſtentaret, *Algeriámque*, *Tripolim* & *Tunetum* (ſeu *novam Carthaginem*) circuire, illarúmque urbium, (quæ Piratería potiùs dicenda ſunt) redemptis quos poſſidebant captivis noſtratibus, amicitiam conciliare; abnuentes verò, illatâ vi ad æquiora cogere. *Algeriæ Divanum*, lytro æquali perſoluto, collatíſque ſimul muneribus honorificis, captivos abſque difficultate reſtituit, & Edicto jubet concedi *Anglis* in futurum liberè commercandi copiam. *Tunetenſium* autem, qui ſuperbè reſponderant, caſtigat inſolentiam, oſtonas naves *Porto-farinâ* præſidio (noſtris in ipſum portum irruentibus) in favillas redigens; quo fractis *Infidelium* viribus & criſtis demiſſis, in pacta tandem conſentiunt.

qui cum Algeria facile coiens,

Tunetenſium faſtum, incenſis in ipſo portu navibus, caſtiga.

At

At majorem apparatum altera Expeditio poſtulabat; utpote quæ diſſentientium militum & exauctoratorum è reliquiis coagmentata erat, *Eſſexii* nimirum, *Walleri*, *Maſſei*, &c. quibuſdam tum *Regiis* tum *Democraticis* parciùs intermiſtis. Hi ſcilicet graves domi, & ferè indigi, rerum novandarum occaſionibus invigilabant; ideóq; foris quod agerent inventum, nè aliis moleſti forent, *Angliâm*q; tot capitum diſceſſu ut paulùm exonerarent. Palàm jactitabat *Protectio* immenſam gloriam, divitias, atque dominium latè per *Indiam Occidentalem*, bello in *Hiſpanum* illato, propagandum: neque nervos tantummodo ſuccidi gazis, quibus bellum per *Europam* circumferebat, ſed & ſpirituum influxum omnimò præpediri. Quin & Victoriam ſibi pollicebatur ex facili, parvóque parabilem. Pauci ſiquidem aderant *Hiſpani*, per vaſtum *Americæ* tractum diſpertiti; populóſque indigenas, præ tædio duriſſimæ ſervitutis, credibile erat primâ libertatis facie contra *Hiſpanorum* Tyrannidem inſurrecturos. Oppida licèt munitiſſima, bello tamen imparata, deſuetis defenſioni militibus; imò quamvis promptiſſimo milite gauderent, præcluſo tamen per navigia pelago, terrâque tam *Indis* quàm *Anglis* commeatum prohibentibus, brevi præ inedia interitura. Cæterùm erant in propinquo Coloniæ noſtrates, unde tot millia cœlo victuíque aſſueta ſupplementum præberent annuatim; adeò ut nec miles deficeré poſſet perdomandis Provinciis, nec populus in feliciorem glebam tranſplantandis. Adhæc, ambitionis flammam ſatis ardentem inſufflat acriùs *Theologus* quidam, (cui enthuſiaſticum ingenium *Cromwellii* probè perſpectum.) Hic *Macte* jubet; *Lapidem* eum vocat *è monte ſine manibus exciſum, qui comminuet Hiſpani ſuperbiam, gravíſque incumbet humeris Antichriſti, & viam ſternet puriori doctrinæ per univerſum Orbem diſſeminandæ.* Hâc igitur ſpe turgidus, Ductores & præfectos

Major altera in Orbem novum.

Ratio hujus prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

fectos accerſit undiquaque, prenſat, verborum lenociniis demulcet, diſponit ad navigationem, promiſſis ſervitii anteacti ſtipendiorum reliquiis, aureiſque neſcio quibus præterea montibus. Gregariorum etiam delectum inſtituit, Claſſem ſat magnam adornat; rebus maritimis *Pennium* præponit *Thalaſſiarcham*, terreſtribus copiis *Venablium*, (ambos inter ſe diſſitiſſimos;) adjunctis inſuper *Delegatis*, *Indorum* ingenia, linguas, portus, & locorum opportunitates callentibus, quorum ad arbitrium unà cum *Præfectis* omnia gererentur; mandátque ut abirent ocyùs ad *Inſulas Camercanas*, apparatu bellico permulto brevi ex *Anglia* ſubſecuturo.

Pennius claſſi præeſt, terreſtribus copiis Venablium.

Hiſpano præſertim ſibi metuente.

Iſta dum in *Anglia* gererentur, mirati ſunt vicini *Principes* quò tenderent: *Hiſpanum* verò præcipuè pungebat, qui è *Dunkerka Marchionem de Leda* ſciſcitatum amandat, an pacem cum eo coleret. Ille autem è reſponſis conjecturam rei faciens, properantiùs recedit, at ſerò pœnitens præmaturæ venerationis.

Barbadam primò applicant;

Barbadam, Inſularum nominatiſſimam, intra ſex aut ſeptem ſeptimanas, uſi ſecundo vento, tenuerunt; unde ad *Sancti Chriſtophori* aliáſque circumvavigantes, ad novem decémve millia delectum faciunt; non tam militum, quàm bajulorum, vernarum, flagrionum, maſtigiorum, quos expectatio prædæ, non laboris & periculi militaris, in conſortium elicuerat; magis implendo numero, quàm armis inferendis idoneos. Hoc freti exercitu, (veteranos aliquot interſperſos fuiſſe non inficiabor) apparatu militari nondum ex *Anglia* adducto, ità ut multi haſtarum loco braſſicæ ſtemmatibus uterentur, Inſulam *Hiſpaniolam* adnavigant, ut *Domingâ* urbe capitali devictâ & firmatâ, relictóque ibi loci armamentario, necnon quot potuerint militibus, ad *Carthagenam* porro civitatem in *Americano* Continente proficiſcerentur. Atqui cùm in conſpectum

brevi pòſt Hiſpaniolam, (indè, captâ Domingâ, Carthagenam petituri.)

conſpectum *Domingæ* ventum eſſet, expoſita una pars militum prope urbem, dum cæteri circumflexo itinere progreſſi ex altera ſimul parte impetum facerent, ſignum dari præſtolatur. Hi verò, malo ſuo fato, portum aſcenſioni deſignatum leucis decem prætervecti, alio in loco conſcendunt, & itinere per arenoſam ſylviſque opacis conſitam regionem facto, adeò torrefacta ſunt æſtu ſitíque ipſorum viſcera, ut aliqui præ tædio viarum exhauſtis ſpiritibus mortui conciderint; multos ad placamenta ſitis inveſtiganda palantes hoſtis interemerit: cæteri vix jam ferre gradus aut pedibus inſiſtere valentes, ſuos tandem aliquando conveniunt commilitones. Ibi animos pejùs, quàm ſitis corpora, *Decretum* affligebat, quo *ſub capitis pœna jubentur Aurum, Argentum, & pretioſam ſupellectilem* (ſi quæ hujuſmodi offenderint) *commune in ærarium inferre.* Prædæ ſpes hactenus ſuſtentârat mentes: jam omni ſolatio deſtituti, memoriâ & ſenſu laſſitudinis de novo ſubeunte, ducunt agmina *Domingam* versùs; cùm ſubitaneo ſclopetorum imbre ingruente, ter centum lanceis armati *vaccarum-venatores* æquè ſubitò è latebris erumpentes involant, ordinibúſque fractis, ad ſatietatem, imò ad fatigationem uſque, cædunt. At ſecundo die, refecto prout potuit Exercitu, ſucceſſit opus tentatum paulò auſpicatiùs.

Sed vincuntur, primò ab æſtu ſitíque,

mox ab inſulanis,

Converſis demum agminibus infelici terræ valedicunt, ſexcentis aut ſuprà deſideratis. Dein ad *Jamaicam* vela faciunt, Occidentem versùs, Inſulam peramœnam, quaſi deliciarum hortum; cujus arenâ ſine magno negotio potiuntur, *Hiſpanis* diſceſſum pactis. Ibi verò ſcelerum vindex, dira graſſata eſt in *Anglos* lues, quæ, duobus exceptis militibus, pervaſit atque delevit intra ſex menſes exercitum univerſum. Poſtea paulatim novi militis & commeatûs adventu refocillati, ex omni *Jamaica Hiſpanos* arcent, (quæ ſexaginta leucas in longum

tandem (apud Jamaicam, quò ſe recepérant) à lue.

longum porrigitur, lata triginta,) & de novo ingruentes egregiè rejiciunt; totum ſibi tractum vendicantes, propugnaculis hîc illic in defenſionem excitatis. Sic ſuperbiam & faſtum hominis Divina reprimit Sapientia.

Hiſpano bellum indicente, Cromwellius Gallo fert opem, hîſce conditionibus.

Ut bellum bello rependat, promulgatione indicit *Hiſpanus* adversùs *Cromwellium*: Ille verò cum *Gallo* depaciſcitur, ut *Hiſpanum* alieno periculo & ſumptibus laceſſeret. Pactum eſt ergò, ut *ſex millia Cromwellius mitteret in Flandriam, ſtipendiis Gallicis ſuſtentanda, oppidúmque quod ſecundo in loco contigerit expugnari, cederet in Anglorum ditionem*; *& ut* Carolus *Rex Angliæ cum tota familia exularet è Gallia, nè fortè ſuppetiis quibuſcunque hoſtem poſſet adjuvare.* Iſta præſentiens *Regis* Frater, *Dux Eboracenſis*, qui hactenus *Galli* partes ſub auſpiciis *Mareſcalli Turenii* egregiè tutabatur,

Rex Carolus *invitatus migrat in Flandriam, uti & Eboraci Dux,*

ſervitio renunciat; & brevi pòſt à Comite *Fuenſaldagnio*, tunc & *Johanne Auſtriaco*, *Dux* idem & *Rex* Frater in *Flandriam* invitantur, annuâ novem millium ſterlinarum penſione ſuppeditatâ, quam redux in *Angliam* plenariè rependit *Majeſtas Regia*. *Bruxellas* primò deventum; poſtea *Anglis*, *Scotis*, & *Hibernis* quibuſcunque è *Gallorum* caſtris evocatis, *Eboraci Dux* cum ſuprema potentia præficitur, & *Hiſpano* militat.

qui jam Hiſpano militat.

Judæus Manaſſes Ben Iſrael, Genti ſuæ liberum petit introitum in Angliam.

Eo tempore huc advenit ex *Hollandia Hebræus*, *Manaſſes Ben Iſrael*, Rabbi *Judæorum*, petiítque à *Protectore Judæis* haſce terras incolendi copiam, ſimul & negotiandi, adductis ad favorem conciliandum haud paucis argumentis; utì imprimis ab *innocentia vitæ*, *lucro item ex commerciis*, aliíſque juxta nativas Gentis dotes inventu facilibus. Præcipuas autem deſumpſit laudes ab *Intelligentiæ plenitudine*; *quippe illis innoteſcere Principum omnium deſignationes & molimina, quæ cæcis volutabant pectoribus*; *hæc enarrare in ſe recepit, ſimul & eorum conſilia ipſi nocitura intervertere.* Poſtremò, quod inſtar omnium argumentorum, *grandem pecuniæ vim*

vim in numerato exhibituros affirmat, *millibus aliquot annuatim in ærarium immittendis.* Aureæ pollicitationes cum lucri odore ſuaviſſimo citò animum expugnârunt, exhauſtis præſertim tunc temporis ærariis, ære alieno ad immenſum contracto, quin & circumſpiciente undique *Cromwellio* unde ſuppeterent nummi ſumptibus ferendis. At Cauſatio deerat & honeſtatis color. Indicitur itaque dies, quo convocati *Theologi* ſententiam ſuper ea re ferant: *Quamobrem, cùm Deum precibus veneremur propter Judæorum converſionem, eoſdem tamen à conſortio noſtro exterminemus: quaſi verò metuere Religioni noſtræ debeamus à Judæis, qui tot radiis divini luminis & tanto ſplendore circumcingimur.* Ille certus complurium ſuffragiorum pedibus iturientium in ipſius placita. Sed quæ (malum!) tempeſtas ruebat in oppoſitum! contrà-diſputantibus die indicto quibuſdam *Theologis*, non ſine tacito æſtu ac furore, ut definitionem controverſiæ declinare potiùs quàm promovere, rapido contrariantes orbi, viderentur. Stat illi nihilominus clàm connivere, mercandi per *Angliam* exercitium permittere, Religionémque juxta ritus *Moſaicos* indulgere, nullâ inſpectione publicâ præcedente, nullâ annuâ (ſicuti apud *Pontificios* in uſu eſt) ſubſequente, nullâ comitante præceptione ſive eruditione didaſcalicâ.

Cui, præſertim ob ſpem lucri, auſcultat Cromwellius:

ut conſultis primò Theologis,

quorum alii qui, præter ejus expectationem, contrà ſentiunt.

Sed annum hunc illuſtrârunt præſertim *Montacutii* (qui jam Comes audit *Sandvici* & *Hypothalaſſiarcha Regius*) *Blakii*que facinora. Hi etenim claſſi navali conjunctim præpoſiti, ultra *Gades* & *Herculeas columnas* dum *Iberico* littori invigilarent, in octo prægrandes incidunt *Hiſpanicas* naves; quas adoritur actutùm *Stainerus* cum tribus tantùm celocibus (nec enim præ vento licuit pluribus appropinquare;) ſed è quibus tam atrox intonuit in *Hiſpanicas* tormentorum procella, ut intra tres aut quatuor horas devicerit univerſas: una in fundum depreſſa, alia incendio

Claſſis Anglicana, Ducibus Montacutio Blakióque,

Naves octo Hiſpanicæ gazis onuſtas expugnat; quarum duæ captæ.

incendio corrupta, duæ fugâ elapſæ in Gades, duæ aliæ ad littus alliſæ perierunt, quibuſcum unà perditi ſexagies mille argentei lateres, aliæque immenſi pretii divitiæ. Duæ tamen ceſſerunt in victoris manum, cum ingenti ſignati Auri ad ſexcenta millia & Argenti pondere, palacris emblematibus, aliiſque quantivis pretii, unà cum duobus *Marchionis* filiolis, *Don Joſepho de Sanega*, atque *Don Franciſco de Lopeſio*. Ipſe *Marchio de Baydexio* flammis abſumptus eſt, cum uxore filiâque mox Ducis *Medinæ Sidoniæ* filio nupturâ. Fratres ambo ſuperſtites gratis libertate donantur à *Cromwellio*.

Parlamentum ſecundum è plebe ſola compoſitum, immiſtis Scotis Hiberniſque,

Jam verò *Angliâ* per minores iſtos *tyrannos*, quos *Majores Generales* appellitabant, probè ſubactâ, & eorum tædio (utì ſuprà diximus) obrepente, *Parlamentum* aliud indicitur; non autem antiquo more, ſed è populo vel plebe ſolâ conflatum; triginta è *Scotia*, totidémque ex *Hibernia* evocatis; *Cromwellio* multos prenſante, multorum electiones *Majoribus Generalibus* & ſuffragia intervertentibus; nimirum nè ſcaterent ædes *Democraticis*. Nulli tamen ingrediendi *Senaculum* licentia datur, qui ſe non priùs aſtringeret ſubſcripto nomine *Protectoris* Dominio: *Democratici* autem omnes & ferè *Oligarchici* eo nomine excluduntur à conſeſſu. In *Oratorem* cooptatur *Thomas Widdringtonus* Eques Auratus.

Cromwellio magis accommodum;

Multa *Cromwellio* profutura ſciſcunt: *Nemo mæinabitur Cromwellii necem ſub pœna capitis; Abrenunciandum Regio titulo Caroli Secundi.* Neque hîc ſilentio prætermittendum quòd eo tempore multa in *Regis* præjudicium vulgò jactata: veluti *tabidum eum eſſe, eoque morbo brevi intermoriturum; Melancholicum quoque, & Monaſticæ vitæ deditum, caſſo imperandi deſiderio; Ducem inſuper Eboracenſem eſſe profeſſione Pontificium:* ut eâ ratione incautos credulóſque ad ſua vota prolectarent, omni remoto peccandi fræno. *Vectigalia* renovantur

vantur *maritima & portitoria*; *taxatio* quoque *triennalis ingens irrogatur, in omnes domos novis superedificatas fundamentis, Londini, & intra decem ab urbe lapides*; *quantum est unius anni reditus, mulctæ loco semel indicitur.*

Tandem cive quodam *Londinensi* hortatore, Comitia Regio titulo cum plerisque Regalibus (jam dudum usurpatis) donare *Cromwellium* statuunt; pluréſque *Senatores* ultrò citróque commeantes, ut ille boni consulere dignaretur, orant obsecrántque: quem ille nonnunquam quasi acceptrurum se simulat, aliquando dubius mentis hæsitat, atque tandem per ambages detrectat. *quippe quem Regio titulo insigniri volunt,*

Lectori haud ingratum opus crediderim, si rationum apices quibus ad capessendum Regis titulum, specie tenus reluctantem, intùs verò avidissimè captantem, *Cromwellium* inflectere *Senatores* annitebantur: ego hîc loci strictim adnotavero. Sex aut septem *Delegatis* ornanda sedulò hæc *Sparta* demandatur à *Comitiis*. Urgebant autem hi viri, *Regis titulum ab ipsis hujusce Gentis incunabulis, ultra mille trecentos annos obtinuisse*; *Populo quandoque Regiam personam displicuisse, Regium titulum nunquam abrogatum: Eundem porrò Legibus nostris intertextum, genio populi accommodatum, Parlamenti suffragiis non antecedentis modò, sed & hujusce comprobatum.* Respondet *Cromwellius, Suasoria esse hæc, non cogentia argumenta*; *Protectoris titulum adaptari posse Legibus*; *Providentiam illis obniti, quæ alìò jam nomen convertit*; *Nec absque piaculo posse se tot piis & religiosis hominibus displicere.* Reponunt autem *Delegati, Titulum debere Legibus accommodari, non Leges Titulis*; *imò suspectam esse Titulorum innovationem, ceu Tyrannidis sublatentis involucrum*; *nec nisi post seculum ejusmodi mutationis incommoda sentiri*; *quæ ipsa de causa Regi* Jacobo (*cùm ad hoc Regnum primus accederet*) *ipsius in titulo pro* Anglia Scotiáque, *adductis hisce coràm argumentis:* *quibus cùm ille respondere:* *regerunt satis nervosè.*

que, Magnam Britanniam *inferi, denegatum erat à Parlamento. Non tam ſibi detrectando Regis titulum quàm Genti derogari; cujus honori eſt Regem habere Gubernatorem. Protectoris nomine nunquam deſignatum ſupremum Moderatorem, niſi temporaneum in Regis minorennis cuſtodiam, Regnique adminiſtrationem, eúmque maximam partem infortunatum. Iſtam inpræſentiarum à militibus enatam appellationem Victoriam ſpirare, & ab alio Parlamento jure optimo reſcindi poſſe. Titulo Regis ſemel abolito, inſtabile fore regimen & infidum, & vacillante baſi haud diu duraturum: ter vel quater intra quinque annos immutatum eſſe, & etiamnum ſtuctuare; ut olim populo Romano mali ominis erat Titulo vacillare, qui nec Principis pertulere nomen, nec perpetui Dictatoris, nec Principis Senatûs, donec tandem arbitrium Cæſaris pro Lege habebatur.* At inſtar omnium argumentorum erat *Statutum Anno Edovardi Quarti nono, & Henrici Septimi tertio ubi lege cautum eſt, neminem luituruṁ pœnam arma pro Rege de facto geſtantem, quantumvis injuſtè; eâdémque Lege fretos noviſſimis in bellis plures à partibus Regiis ſtetiſſe quàm ex animi affectu. Providentiam verò quod ſpectat, eam non minùs emicare Regimine in Monarchicum denuò converſo ad evitandam confuſionem atque tumultuantem populum compeſcendum, quàm à Monarchico ad Protectorium nomen innovando. Bonos denique piósque viros Parlamenti decreto velle acquieſcere, quanquam fortè diſcrepare privatim viderentur.* Reſpondenti ſæpiuſcule *Cromwellio* replicant *Delegati*, eandémque ſerram reciprocando diem terunt; at in idem multis ambitiosè utrinque prolatis recidunt.

Argumentum palmarium.

Non minùs interim negotii faceſſunt privatæ diſſentientium interceſſiones; *Leguleiorum* plerique, *Commiſſarii*, ſive *Delegati Magni Sigilli*, *Judices*, *Militúmque Præfecti* quidam, rationibus freti prædictis, orant, inſtant, importunè atque ardenter efflagitant, ut *Regio nomini in ſe recipiendo conſentiat*

Quinam ſtabant pro Regio titulo capeſſendo.

conſentiat. Ex altera parte *Catabaptiſtæ, Sectarii, Democraticique* ſcriptis Literis, Colloquiis, Petitionibus monitoriis aures obtundere, fatigare; *Militum* etiam & minorum *Doctorum* quamplurimi junctis eundem in finem viribus Petitionem adornant. Ille verò, dum hæc fierent, incertos æquè omnes ac dubios animi dimittit; at viros militares increpat oratione perſeverâ, *ſuarum rerum ſatagere* juſſos, *quid enim illis agendum cum Parlamenti decretis? arma curent illi, & intra cancellos proprios modeſtè ſe contineant, miſſis negotiis civilibus; ſin officii & obſequii memores eſſe deſierint, nec Deo nec ſibi rationes quibus eos bonæ frugi faceret deſuturas.*

Qui non minus acriter obſtabant.

Regii manibus pedibuſq; contendunt ut iretur in priorem ſententiam; utpote quam haud exigui momenti credebant ad cauſam ſuam à mortuis reſuſcitandam, dum continua *Democraticos* inter & *Cromwellium* contentionis poma ſpargerentur; de novo etiam introducto *Regis* officio, non aliam fore niſi inter *Familias* binas controverſiam, utra genuinum ſortiretur titulum; unâ indubitati juris potiente, alterâ nullius. Adde quòd palàm hoc faceret, qua de cauſa bellum fuerat magna ex parte initio concitatum, nempe unius *Cromwellii* ambitione. Sed ille, poſtquam omnium opiniones cunctatione ſuâ explorâſſet, modeſtius & è re ſuâ magis eſſe cenſuit, parùm faſtuoſo cum *Protectoris* titulo authoritatem nullis Legibus definitam & pluſquam *Regiam* circumferre, quàm auguſtam appellationem captando ſe mundo deridendum proponere. Tandem condicto *Senatorum* conventu pronunciat, *Non auſum ſe Regio cum titulo in præſentia ſuſcipere imperii gubernacula*; certus tamen futuris in *Comitiis* eundem ſenſim & gradatim invadendi, quantumvis demiſsè ſe gereret in præſenti, & obnixè recuſaret.

Regii in priorem ibant ſententiam variis ob cauſas.

Cromwellius Coronam, quam percupide quærebat, refugit.

Neſcio an memoratu dignum ſit quod ominis inſtar mali plures interpretabantur. Dum *Aulæ albæ* cœnaculum conſcenderent *Senatores*, cum *Cromwellio* ſuper ea re poſtremò diſceptaturi, Filio ipſius natu maximo *Richardo* concomitante, cecidere plurimi deſuper in terram, fractis nimio pondere quibus aſcenderetur pervetuſtis gradibus; multi exinde vulnerati tibias cubitúſque, & inter eos graviter læſus *Richardus* ipſe diu decubuit.

Protectoris titulo (ægrè tamen) à Comitiis donatur,

Sed cùm *Regium* detrectaret *Cromwellius*, *Protectoris Reipublicæ* titulum, quem prior ſuſceperat, ſuperantibus duobus tantùm ſuffragiis, attribuit ipſi *Conſeſſus Parlamentarius*; convenitque inter omnes de *Articulis Regiminis*, paucis (nè nil egiſſe viderentur) in melius immutatis; adjectâque *Procerum* vel *Dynaſtarum domo*, (quorum electionem ipſius arbitrio permiſerunt) *ut hi viri nimiùm feſtinantibus quandoque Populi Comitiis fræna ex occaſione injiciant. Succeſſorem* etiam ſive proximum Hæredem conſciſcendi copiam indulgent. Nemini autem, electo legitimè atque ad ſcrupulos prædictos, *conſeſſu Parlamentario*, prætextu ſub quolibet, interdicendum.

& ſolenniter inaguratur ab Oratore.

Die præſtituto ad *Aulam* procedunt *Weſtimonaſterienſem Senatores*, *Cromwellii Inaugurationem* ſolenniter inſtituturi, & aſtipulationem recepturi. Qui cùm theatrum eo fine præſtructum, circumſedentibus Comitiis, conſcenderat, inſignia Majeſtatis porrigens *Orator Widdringtonus*, *Veſtem* nimirum talarem coccineam, murium *Ponticorum* pelliculis duplicatam, *Biblia Sacra*, *Gladium Sceptrúmque*, ſic affatur ſubter conopeum adſtantem: *Coccineo veſtimento te donant Comitia, Magiſtratûs emblemate, Rectitudinis inſuper & Juſtitiæ, hoc indutus, optimo jure dicêris Togatus. Intermiſcentur ibi colores albus rubérque, Miſericordiæ Juſtitiæque ſymbola; & ſanè duas habeas Tu manus oportet, plectentem & amplectentem. Codex is (in*

quo

quo bene Tu versatus es) *Liber est Vitæ, constátque duobus è Voluminibus, Veteri & Novo; quorum alter Christum velatum exhibet, alter revelatum. Liber est librorum, nec magis ibi vitæ regulas invenies, quàm optima Gubernationis exempla. Sceptrum instar scipionis: Tu eris baculus debilibus, & auxilium pauperculis: Principes appellat Homerus Sceptrigeros. En & Gladium, non militarem, sed civilem; non ad offensionem, sed defensionem; non tam tui ipsius, quàm populi: modo licèt affigere Symbolum istud,* Sum Domini Protectoris ad defensionem populi. *Sacramento* tum dicto, perlectisque *Regiminis articulis*, Tubæ præcinunt, atque *Protector Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ* promulgatur; languidâ mox insequente populi acclamatione. *Hinc intelligas quid & quanta Tyranni potentia, simulata virtus, Juridicorum strophæ, spes blanda, timor sollicitus, novarum rerum studium, & specioſi obtentus, contra jus & fas inter (aliàs) prudentissimos homines potissimâ parte efficere potuerint:* ut in consimili casu verbis utamur alienis. Hisce ità peractis, breve post spatium feriari per tres vel quatuor menses permissum est *Comitiis*, & *Protectori* vacat alterius *Senaculi Dynastas* adscire.

Non oportet autem effrænem illam diversorum Hæreticorum segetem, quæ in dies luxuriabat, intactam hic loci prætermittere. Præter *Arrianismum* contra *Divinitatem Christi Salvatoris*, aliósque horrendos Errores, quos ore prophano coram *Parlamento* impunè defensabat *Biddle* quidam; *Coppii* quoque virulentiam in ipsius *Dei* nomen publicè eructatam; *Fryum* etiam, qui olim *Comitiis* venenum suum interspersit; præter *Erburium*, qui ut Hæresewn portenta dum valeret inter milites & in Urbe impunè disseminavit, ità moribundus in teterrimam *Blasphemiæ* vocem impiam animam exhalavit; *Saltmarshium* insuper, & aliorum examina nescio quot

Colluvies hæreticorum huiusce temporis:

quot ab Inferis revocata, (Enthusiasmo *Cromwellii Ductorum*que obstetricante) prodiit in lucem nova & antehac inaudita *Tremulorum* progenies, è quibus unum primarium stitere coram se *Comitia*: de illo igitur pauca mihi narranda veniunt.

è quibus Naylorum non puduit pro Christo Jesu se venditare;

Jacobus erat is *Naylorus*, (olim sub *Lamberto* meruit) qui pro *Christo Jesu* se gerere non erubuit, voce, vultu, gestu, *Christi* personam imitabatur: & eò tandem insaniæ pervenit, (crescente per plausus multorum & admirationem aliorum audaciâ) ut in omnibus eundem repræsentaret. Nam equinum conscendens pullum, urbem versus *Bristoliam* obequitabat, sternente viam suæ Sectæ populo frondibus ramusculisque, & *Hosanna*, *Hosanna*, ingeminante, *Benedictus qui venerit in nomine Domini.* Sed nec ibi se sistit præceps amentia: Divinam venerationem lymphaticus affectat, quasi posset ille mortuos in vitam revocare, morbosis restituere sanitatem, & ad *Christi* similitudinem jejunare. Tandem *Senatores* continuis incusantium clamoribus defatigati, coràm citatum, flagris ignominiosè cædendum jubent, numellis includendum, & pistrino perpetuo coercendum. Abrogatis tamen *Comitiis* evasit liberum monstrum hoc hominis *Pseudo-senatûs* redivivi decreto.

donec flagris & carcere mulctaretur, qui mille neces meruerat.

Cromwellio struit insidias Sundercomus Democraticus.

Eo tempore periclitatum est *Cromwellii* caput à percussore *Democratico Sundercomo* quodam. Aiebant, ab *Alonso de Cardenas* (*Hispaniarum Regis* olim apud *Anglos Legato*, jam verò in *Flandria* agente) subornatum, in hanc cædem insurrexisse. Domum conduxerat iste sæpius patrando facinori opportunam; sed spe semper evanescente, sclopetum nactus duodecim vel plures simul glandes evomiturum, decrevit è topiario (ubi via publica hortis utrinque positis coit in angustum, apud viculum *Hammersmithum*, non procul à *Londino*) tra-

trajicere prætereuntem *Cromwellium*, dum Basilicam versùs *Hamptonienſem* in carruca proficiſceretur; & equo citatiori ſe repentè ex adverſo proripere. Sed, quia conſcio altero habebat opus, cum tempus profectionis inſtaret, *Toopius* quidam è Prætorianis in ſcenæ apparatum conducitur. At ſicarius prodit ſicarium, *Toopius Sundercomum*; qui perduellionis pœnas ut primus daret, ſtatuto novitio ſiſtitur pro tribunali, & inſidiarum adversùs *Protectorem* condemnatur. Paucis verò horis ſupplicio deſtinatum tempus antecedentibus, mortuus invenitur in cubili, quanquam piſce ſanior videretur, nullis intùs vel extrà comparentibus violentiæ indiciis; de quo varii pro cujuſque ingenio varias comminiſci ſententias tutò potuerunt.

qui ab altero conſpiratore proditus, ſiſtitur, & damnatur:

at Carnificis vim eluſit morte præmaturâ.

Cæterùm *Chriſtocratici* & *Democratici* acriores, conquiſito undiq;e quantum poterant apparatu, contra *Monarchiam* in herba naſcentem arma protinus illaturi, repentè deprehenduntur, capto præter alias res vexillo, cui inſigne *Leonis exporrecti & jacentis* inerat, iſta cum inſcriptione, *Quis ſuſcitabit eum?* Delectúque prorſus impedito, Carceri mandantur *Lawſonus* navalis Præfectus, *Harriſonus* Tribunus, *Richius*, pluréſque Ductores Exercitûs, cum *Danverſio* & aliis, qui *Cromwellii* Regiam Authoritatem nequibant pati. *Lambertus* etiam, cùm ſpe omni ſucceſſionis caſſum ſe ſcito *Parlamentario* animadverteret, prævaricari cœpit, atque ad partes *Democraticorum* tranſire: cujus eum criminis cùm ſemel compertum haberet *Cromwellius*, diplomate confeſtim revocato exauctorat, *Fleetwoodóque* ſummam rerum loco ſibi proximo committit, incongruum ſimul & intutum ratus, ut militiæ præſit ſupremus, qui Regimini civili hoſtem ſe palàm profitebatur.

Inſurgentes Democratici deprehenduntur.

Lamberto exauctorato.

ſufficitur Fleetwoodus.

Cromwellius interim, quò plures *Democraticos* molliter inflecteret, ſibique obligatos redderet, multos horum adſcivit in *Dynaſtarum* conſortium, ut cum ſeipſo Dominii eos participare videretur; ſed iſtiuſmodi homunciones, qui *Proceribus* veriſque *Satrapis* ludibrio fuerint, nec ſplendorem & nobilitatem aut impertire poterant, aut mutuari; reverâ nullius loci aut meriti, ex ipſa plebeculæ fæce. Vultis in medium adducam? Ducat igitur chorum *Prideus*, qui abjectiſſimæ ſortis, inſervierat zythepſario; & ut ſecuriùs adhuc peculetur, Cereviſæ cocturam conducit, *Protectoris* ædibus privatim, & *Claſſi* publicè inſerviens. *Huſonus* alter, qui ſutrinæ nuper incluſus, pedibus aptabat calceos. *Berkſtedus*, qui olim ſubulas, calamiſtra, digitabula venum expoſuit, lucelli causâ dignatus quólibet curſitare; ſed cui jam honorfica *Turris Londinenſis* cuſtodia, *Cromwellio* auſpice, demandatur. *Cooperus*, qui *Southwarkianis* in ſuburbiis propôla, mille res minutulas nundinabatur. *Berrius*, qui anthracopôla; & *Whalæus*, qui arte ſuâ pannariâ caſſus, in *Scotiam* receſſerat uſque ad hujuſce belli tempora. Reliquorum enumeratione ſuperſedendum duxi, nè lectori nauſeam excitarem. Interea quinque vel ſex reipsâ *Nobiles*, antiquo ſtemmate oriundos, pro ſociis adjungit, iiſque in Domo *Procerum* conſeſſum indulget; qui tamen cum cæteris commercari nolunt, atque ad unum omnes detrectant conſeſſum, nè progeniem ſuam polluerent contagio. Alii è Domo Popularium ad hanc *alteram* evocati, ſua præferunt ſubſellia, nec *Dynaſtis* iſtiuſmodi annumerari volunt. Immittuntur inſuper tres Filii *Protectoris*; *Gener* ſcilicet unus, (notandum etenim duas natu minores Filias *Cromwellium* in matrimonium non ità pridem collocâſſe: unam Domino *Richio Comitis* (qui tunc erat) *Warwicenſis* nepoti, atque ille haud diu ſupervixit; alteram Baroni *Falconbergio*

Dynaſtæ Cromwelliani ex ipſa vulgi fæce;

paucis è Nobilitate intermiſtis, (qui ab iſtiuſmodi ſociis abhorrent;)

genero item ſuo Falconbergio & utroque filio.

conbergio (de quo jam loquimur) præter filiam primogenitam olim *Cleypolio* nuptam) dein uterque Natorum, *Henricus* natu minor, quem *Hiberniæ* simul præposuit, & *Richardus* natu maximus: de quo (quia mentionem facturus sum in sequentibus) paucula in præsenti, priusquam novum hoc *Procerum* domicilium reliquero, expedire liceat.

è quibus Richardus ad rusticam vitam amandatus,

Ut suspicionem omnem arrepti ad se suósque Dominii procul amoliretur *Cromwellius*, *Richardum* primogenitum rus amandat, aucupióque & venatui indulgere permittit. Sic ille, vir bonâ indole, comis & affablis, procul à paternis artibus, plebem hospitaliter excipiendo, Nobiles minores communibus exercitiis recreando, cunctis perhumaniter tractatis, præter intercessiones aulicas aliáque id genus præstita officia, non aurem solummodo popularem promeruit, sed melioris notæ complures sibi devinxit. Quem tandem Pater ab hisce ludicris avocavit, & paulatim *Reipublicæ* curis admovit; primò *Commercii Delegatis* assidere jussum, dein *Senaculo* popularis Consessûs immissum, jam autem *Proceribus* accersitum (uti modò diximus) in Domo superiori. Porrò *Cancellarium* creavit *Academiæ Oxonienſis*, nec non sibi ipsi A Sacris atque in Exercitu *Tribunum*; ut non modò populo sed & militibus ostentaretur, útque prensaret omnes, & quantum potuit amicos sibi consuescendo faceret.

tandem creatur Cancellarius Academiæ Oxonienſis patriquesuo A Sacris.

Parlamentum è duobus Senaculis, quibus inter se malè convenit, nothis Proceribus vilì habitis ab Inferiori Domo.

Aderat jam dies quo congregari debuit universa *Senatorum* cohors, tam *Democratici* qui à *Cromwellio* excluſi fuerant initio *Comitiorum*, ob repudiatam subscribendi conditionem, quàm *Proceres* sive *Dynastæ*, qui scito *Cromwelliano* superius complerent domicilium. Sed non poterit non mirari Lector, quanto supercilio novitios hosce *Proceres* despicerent inferioris subselli *Senatores*, Quâ authoritate simul confide-

ent? Cui bono? Quo proposito illuc vocati? contemptim interrogantes. Quin & ludibrio habebant, & scommatibus nescio quibus insectabantur; nec adduci poterant ut commune cum his hominibus quicquam haberent; aut ulla intermiscerent consilia. *Dynastæ* tamen è contrà (uti docuerat *Cromwellius*) adblandiri, assentatiunculis conciliare velle, illecebris propitiari, nihil intentatum relinquere quo mansuefacerent. Sed perstant usque morosi, ad omnia difficiles & refractarii. Quibus rebus à *Cromwellio* perspectis, & præsertim quia novas res moliri *Regios* subintelligeret, *Regique* in procinctu esse nescio quot millia, quibus *Angliam* invadere niteretur, imo & reipsâ hisce terris interesse *Ormondiæ Marchionem*, excitandis Provinciis clàm invigilantem; has ob causas *Parlamentum* istud fictitium & (ut ità dicam) histrionicum protinùs abrogavit.

hinc abrogantur ista Comitia.

Nova Regiorum molimina intervertuntur à Cromwellio, detegentibus clancularibus.

Haud diu fuit, quin turbamenta dilucidiùs comparuerint; *Corcarii* tunc temporis in *Sussexia Burnii* viculi (quis crederet?) sacrificulo seu Ministro, qui tamen apud *Doncastriam* olim *Rainsborii* cœde maduerat, Equite item, (qui notior est quàm ut nominetur, & *Regiis* in castris antè meruit) aliisque pluribus, quos beneficiis suis *Regia Majestas* cumulârat, ultrò citróque *Regem* inter & *Cromwellium* commeando, & clàm prævaricando, consilia expiscantibus, & fœdè prodentibus. Generalis ferè Insurrectio per *Angliam* designabatur, nimirum *Hullæ*, *Londini*, *Sussexiâ*, *Surriâ*, locisque compluribus; cui & ipse *Rex* cum transmarinis copiis à *Marsino* gubernandis præstò esse statuerat. Sed frustrà fit, per clancularios (uti dictum) re totâ *Cromwellio* patefactâ.

Ægrè dilapsus est *Ormondiæ Marchio*, scapham in *Sussexia* Doctoris *Quatermani* operâ conscendens: atqui deprehensorum numerus ingens reatûs suspicione prægravatur; eóque nomine *Suprema Justitia*

Justitiæ Curia (Quis à risu sibi temperaret, modò sanguinis crimen non pollueret?) denuò statuitur, *Listeo* moderante. Coràm sistuntur *Mordantius*, *Comitis Petroburgensis* filius, *Stapletius* uterque, *Woodcockus*, *Slingsbeius* Eques, *Huetus* Theologiæ Doctor, *Mallorius*, *Riverius*, *Dykus*, & alii multi. *Huetus* contumaciæ condemnatur, ob authoritatem *Curiæ* parùm agnitam: *Slingsbeius* autem, quòd olim *Hullæ* incarceratus cum *Waterfio* de propugnaculo *Hullæ Regiæ* in manus tradendo negotiaretur. *Mordantius* absolvitur, unico tantùm suffragio superante; cùm *Prideus* intra quartam horulæ partem adventârit, sententiam suam in contrarium dicturus: adeò in confinio mortis positus videbatur. *Woodcockus* capitis causam egit adeò dexterè, ut sententiam eluderet. Cæteri vel criminis haud comperti, vel *Cromwellii* clementiam, quòd alios incusarent, experti, vel denique perduellionis condemnati. *Huetus* & *Slingsbeius* securi percussus uterque. Alii verò quatuor plectuntur suspendio seminecati, genitalibus & interaneis coràm exectis combustisque, capitibus super Pontem *Londinensem* palo infixis, membris denique quadripartitis, & super quatuor Urbis portas in edito collocatis. *Gregarii* numero turi, carcere diu macerati, tandem dimittuntur, factum ejurantes. Ità qui ob intentatum *Tyrannicidium* triumphalem arcum & honores quidem summos promeruerant, cruentas in manus hostium delapsi, acerbâ & ignominiosâ morte perimuntur.

Complures ad capitis causam agendam pertrahuntur.

Duos insigniores plectit securis, quatuor alios patibulum.

Sed ut istiusmodi motibus præcaveret in futurum, & securiùs firmaret malè partum & infidum dominium, præter milites qui exercitum constituebant, alios *ascriptitios* s. ve evocatos conscribit, scilicet equestrem in omni *Comitatu* cohortem; hanc autem *Volones* ferè complebant, quos aut ambitio dominandi, aut spes ascendendi, aut prædæ aucupium, aut saltem otiosæ atque

Cromwellius alios de nobilitate & plebe nonnullos conscribit Equestrem è voloribus.

desidis vitæ tædium, in istam militiam allexit: iisque præposuit ex affinibus unum clientibúsve. Hi licèt impræsentiarum exiguo mererent stipendio, quæstuosa tamen munera occupando, atque compilando ex omni occasione *Regios*, emolumento proprio abundè consulere posse sperant. Hisce incumbebant *Provinciis* invigilare, foris publicis aliisque numerosis conventibus interesse, privatas hominum concursiones inhibere, taxationes vel tardè vel non omnino solventibus extorquere, hospitio militum grátuito nummísque pœnæ nomine impositis, suspectos insuper deprehendere, domos eorundem rimari, arma si qui habeant nocturnis aggressoribus amoliendis abripere, motus denique, si fortè contigerint, in herba nascentes actutùm obruere.

Blakius iterum, sed jam postremò, in scenam vocandus. Ille maris *Atlantici* vasta scrutatum penetralia hoc anno missus, classem *Hispanicam* subaudivit, aureo vellere prædivitem, in insulam *Tenariffam* præ formidine divertisse, atque in portu *Sancta-Crucensi* stationem peragere velle, donec *Blakius* aut ab inhorrescente hyeme, aut præ cibamentorum & commeatûs indigentia, domum retrocedere cogeretur. Sed eò velis obversis adnavigans, portum formâ lunari comperit, septem circumcirca propugnaculis communitum, duobus Castellis ad cornua dispositis, navésque septendecim proras faucibus objicientes, ut certis ferirent intrantes displosionibus: nec sibi temperare potuit *Gubernator*, quin subsannaret *Anglos*, pungerétque dicteriis. Eapropter *Blakius* cum celocibus portûs limen ingressus, machinis ac tormentis effulminat in Castella cum propugnaculis, donec anfugerent exinde milites, scaphísque invecti nautæ, naves quotquot erant *Hispanicas* igne atque incendio cor-

Blakius ausu inaudito classem Hispanicam in ipso portu Sancta-Crucensi redigit in favillas.

corrumperent. Tum ultione quàm præda ditior, ſecundo uſus eſt vento, qui ſicuti venienti affl averat, ità & promovit excedentem.

Ejuſdem obitus, character & res geſtæ.

At valeat *Blakius*, quippe qui in iſta Expeditione *Hydropi-ſcorbuto* periit. Vir & ab hoſte laudandus, qui ſeverioribus olim ſtudiis probè navatâ operâ, *Magiſterium Artium* in Collegio *Wadhamenſi Oxoniæ* adeptus eſt, vixítque diu quietus apud ruſticos in agro *Somerſetenſi*; donec ingruente Civili Bello, cùm eum *Parlamentarii* quidam prenſâſſent, *Limam Tauntonámque* ad miraculum uſque contra *Regem* tutaretur. Tum navium Præfecturæ admotus *Sillinas* inſulas domi expugnat: poſtea *Thalaſſiarchæ* titulo & officio cohoneſtatus, rebus foris geſtis inclaruit. *Gallicum* enim perdomuit faſtum, *Portugalliam* in ordinem coegit, *Belgarum* vires fregit, totóque pepulit mari, Piraticam repreſſit, bis denique de *Hiſpano* triumphavit; in hoc uno culpandus, quòd *Parricidarum* partibus adhæreſceret.

Danus à tergo laceſſit Suecum Polono jam gravem:

Eâdem tempeſtate gravia gentes inter *Hyperboreas* exorta ſunt diſſidia. *Carolum Guſtavum Suecæ Regem* in *Polonia* graſſantem, à Confœderatis *Polono* & *Brandenburgico* excitus à tergo adoritur *Fredericus* tertius *Daniæ Rex*; & renunciatis induciis, *Bremersfordiam* oppugnat, ſicut alia *Bremenſia* munimenta. Quod ſimul ac in aures *Caroli Guſtavi* pervenerat, ille, relictâ quo licebat modo *Poloniâ*, per *Gaſſubiam*, *Pomeraniam* & *Megalopolitanum* Ducatum copias in *Holſatiam* ducit, & amiſſa recuperat; imparem prælio *Fredericum* ad Inſulas uſque exagitat, totámque *Cimbricam Cherſoneſum*, quæ *Holſatiam Jutiámque* complectitur, perſultat; atque hyemis perſeveræ beneficium nactus, per congelatum pelagus, auſu temerario, non ſine ſummo exercitûs ſui periculo, *Fioniam* tranſducit; eâque cum circumjacentibus Inſulis, unâ poſt aliam, devictis, *Silandiam* exiguo trajectu diſſitam pari modo

Suecus feſtinato itinere deflectens in Cherſoneſum, Danû ulciſcitur & ad extrema impellit.

modo ingreditur; ubi *Hafniam* eâdem tempestate belli subitanei obrutum iverat, ni *Medowi* (quem cum *W. Jepsono* mediatores, hunc ad *Suecum*, ad *Danum* alterum, ab *Anglia* miserat *Oliverus* ut de pace redintegranda negotiarentur) aliorúmque *Principum* Legatorum interventu, Pax *Roschildiæ* firmata fuerat: cujus gratiâ *P. Medowum Equitem Elephantis Rex Fredericus* creavit, & inter *Daniæ* Nobiles ascivit; *Rex* etiam *Carolus Secundus* noster (gratâ testificatione ob operam navatam in Affinem) *Equitis* honore donavit.

Dein Anglorum opem petit, Belgarum Danus.

Postea verò recrudescente inter *Reges* bello, *Croneburgo* occupato cum *Daniæ* maxima parte, & *Hafniam* longâ & obstinatâ obsidione claudente & assultante *Sueco*, utraque pars vicinarum gentium opem implorat, *Anglorum Carolus Gustavus*, *Belgarum Fredericus*. Illi classe opus erat & navalibus sociis; Huic omni adjumento, milite nimirum veterano, navibus & commeatu. *Suecus* obtulit *Anglis* in securitatem & præmium laboris exantlandi *Gluckstadium*, cum territoriolo trans *Albim* flumen, (quod tamen ejus in potestate non erat) & *Lethum* propugnaculum ad *Visurgis* fluvii ostium. Sed *Anglis* vel *Gottenburgum* in sinu *Codano* prope *Suntam* vel *Elsenburgum*, quod maris *Baltici* fauces occupat, exposcentibus; de iis non convenit inter *Cromwellium* & *Sueciæ Regem*.

Cromwellius classem eò mittit, binosque Mediatores.

Classem verò non contemnendam adornat *Oliverus* in *Anglia* & (ut invigilaret *Angliæ* commodis) sub *Goodsoni* ductu in *Daniam* mittit; quin ultra *Schagen* quò minùs penetraret prohibuit glacies & frigus hyemale: & tandem majorem, *Montacutio* ducente, (qui jam *Sandvici Comes* audit & Periscelide *Regiâ* ornatus est) *Richardus*. Postea etiam tres *Tractatores* (præter *Montacutium*) amandant Parricidæ. At *Belgæ Anglos* non interturbaturos securi,

Belgæ pariter Dano succurrunt; initâ cum Sueco pugnâ maritimâ.

ſecuri, ut liberum per *Suntam* commercium vendicarent, ac *Daniæ* ſimul *Regi* in extremis verſanti ſuccurrerent, claſſe ſub *Generali Opdamo* adornatâ, neceſſariis omnibus inſtructiſſimâ, damno æquali cum *Suecis* maritimo prælio decernentes, *Hafniæ* commeatum & rerum omnium penu copioſum ſubminiſtrant.

Ad *Flandriam* hiſtoriolæ me ſeries jam vocat; ubi labi in dies & in deterius vergere res occeperant *Hiſpanorum*. Inſtructus Exercitus ſex millium *Anglorum* ſub *Reinoldi* ductu ponè *portum Itcium* (*Caliſium* hodie audit) exponitur; quorum nonnulli *Montmedio* expugnando *Gallicis* copiis navant operam; exinde vires integræcum *Gallicis* conjunctæ *Mardiki* propugnaculum devincunt lapidibus duobus à *Dunkerka* diſſitum; atq; hoc *Anglis* per hyemem ſervandum traditur, qui præter vallum aggerémque, ſudibus humo ingeſtis circumcirca muniunt, & ad robur inexpugnabile deducunt. Tentare nihilominus volebat nobiliſſimus *Dux Eboracenſis*; millibus igitur circa quatuor contrà adductis, partim *Anglis*, *Scotis* & *Hibernis*, partim *Hiſpanis*, per inſultum aggreditur nocturno tempore. Sed *Morganum* in procinctu comperit, *Anglorum* ejus loci Præfectum, vigilantiâ parem, in hoc autem longè ſuperiorem, quòd firmo tectus munimento contra hoſtem in aperto poſitum decertaret: igitur cùm armis, ſclopetis, ſcalis, pyrobolis, pontonibúſque penſilibus fruſtrà perrumpere niteretur, tandem cecinit receptui. At non ità impunè *Aumontii Mareſcallus* inſtat *Oſtendæ*; nam aſtu militari eò attractus, prodendi oppidi ſpe factâ, luit conceptæ opinionis temeritatem ipſe captivus redditus, cum fortiſſimorum virorum ſtrage non exiguâ.

Gallus Anglorum ope Montmedium perdomat;

mox & Mardiki propugnaculum, quod Anglis defenſandum traditur.

Hinc Eboraci Dux fruſtrà infert,

Vere

Grevelinga expugnata Dunkerkæ obſidio;

Vere proximo *Grevelingâ* obſidione expugnatâ, venit obſeſſum *Dunkerkam* cum ingenti *Gallorum* & *Anglorum* ſimul exercitu *Mareſc. Turenius*, vallo, aggere, aliiſq; operibus urbem citò circumveſtiens, invigilantibus maritimis & *Anglorum* navibus. Neceſſe ſiquidem erat vel clavem hanc *Flandriæ Gallorum* in poteſtatem redigi, vel belli aleam incertam, dubiis adhuc rebus, experiri. Abripi ſi permitterent, præter amiſſum quod è re piratica & mercatura perceperant emolumentum, privarent *Hiſpanum Angli* cæteris quoq; portubus, (quorum in manus ceſſuram *Dunkerkam* haud difficulter augurabantur) viámq; pro arbitrio ſuo panderent exercitum ducentibus infeſtum in meditullium regionis. Placet igitur *Jo. Auſtriaco*, ſummo *Flandriæ* Præfecto, experiri Martem. Eum ob finem, coactis è præſidiis circumjacentibus quindecim plùs minùs millibus, additiſque quatuor *Eboracenſi* ſub *Duce*, ſed dimidiatis, Legionibus, arenarum tumulos occupat, à caſtris *Turenii* dimidio lapidis diſtantes, obſidionem ex occaſione datâ conturbaturus. Verùm *Turenius* proximo manè, ſatis copiarum ad obſeſſos continendos relictis, cum reliquo exercitu *Hiſpanos* hunc in modum aggreditur. *Anglorum* circà trecenti ſub ductu *Devauxii* ſcandere arenæ tumulos jubentur, & *Hiſpanicas* indè amoliri copias, ponè ſequentibus duobus millibus, & qui clauderent agmen circà quatuor millibus, ex utroque cornu & ponè diſpoſito Equitatu. *Hiſpani* copiis contrà ordinatis excipiunt animosè; fit clamor ingens interminatarum gentium. Tandem verò, quanquam inſtablis arena firmum non præberet aſcendentibus veſtigium, *Hiſpani*que interim continuis glandium imbribus in capita detonarent, *Angli* victoriam reportant, *Hiſpanis* undiquaque fugatis & cæſis. Tum demum involat Equitatus *Gallicus*, cujus

quam conturbarum venit Auſtriacus cum exercitu.

Confligit Gallus vincitque.

cujus impetum diu ſuſtinuit commiſſo prælio *Dux Eboracenſis* cum Fratre *Duce Gloceſtriæ*; qui tamen ambo, ingruentibus *Anglis* ruſſatis & obruente multitudine, cedunt arenâ, totóque tandem profligantur campo. Mille periêrunt & ſuprà eo in prælio, mille quingenti capti ſunt è gregariis, octoginta Ductores, tormenta omnia cum bellico apparatu.

Pergunt nihilominus in defenſione ſua *Donkerſiani*; donec *Marchione de Leda* glande plumbeâ trajecto, animam ſimul exhalaret cum *Gubernatore* oppidum, cederétque in poteſtatem *Regis Galliarum*, qui, ut factorum liberaret fidem, noſtratibus donat, in præmium laboris exantlati, ſervandúmque tradidit *Lockarto Scoto* (nam *Reinoldus* hyeme ſuperiori mare trajiciens in infirmo navigiolo, ut ſe coram *Cromwellio* purgaret ab objecto proditionis crimine, (quaſi cum *Eboracenſi Duce* miſcuiſſet conſilia) naufragium fecerat) qui duxerat uxorem *Cromwellii* neptim, & in *Gallia Legati* ejus vicem gerebat. Eodem anno *Winexbergam*, *Fuernam*, *Yperas*, *Oudenardam*, aliáque quamplurima loca occupârunt *Galli*, *Anglicis* armis adjuti, Equitatu totam ferè *Flandriam* perſultante. Sic Tractatui via ſtrata eſt *Gallum* inter & *Hiſpanum*, Nuptiiſque poſtmodum celebratis.

Paulò pòſt, confoſſo Gubernatore, potitur oppido,

Angliſque largitur in militiæ præmium.

Domum revocare jam libet ſtylum, & contemplari propiùs adventantis *Cromwelliani* fati præludia. Dum triumphis lætatur ille tranſmarinis, edacibus domi curis ac difficultatibus colluctatur. Præterquam quòd unicè amata filia, *Cleypolo* nupta, Ψόων internorum muſculorum apoſtemate ſat magno laboraret, eadémque varia inter tormenta horrendóſque cruciatus extincta eſſe, poſtquam hyſtericis etiam præ vaporibus furens, modò hæc, modò illa crimina paternam in faciem objectando (pro Paſſionis illius procacitate) plurimum inquietâſſet. Maximè tamen

Cromwellius ægrotare cœpit; animo primùm,

ob extinctam Filiam chariſſimam,

& invalescentes in dies Democratiços :

men molesti sunt *Democratici*, qui perpetuis angoribus animum excruciant; præsertim quòd *Fleetwoodus* gener unà cum Uxore favere istis hominibus & propitiari, eorúmque in gratiam supplicare viderentur : imò abstinebat à paternis ædibus, quanquam in propinquo positis, dum Sororem in extremis agentem inter planctus & ejulatus oportuit consolari, illum licèt hæredem (uti quibusdam *Cromwellius* narraverat) supremo testamento scripserit. Adhæc *Desborius*, qui sororem ejus in matrimonium duxerat, *Pickeringus* etiam & *Sidenhamus*, quos A Sacris Conciliis fecerat, secretas cum *Lamberto* aliisque *Democraticorum* coryphæis coitiones contrà habere; hos palàm laudare, & encomiis immodicis cumulare.

mox & corpore, febriculâ quâdam correptus,

Sed nec animo solùm ægrotat; Febre siquidem brevi pòst laticâ & lentâ corripitur, quæ tandem spuriam in Tertianam degenerávit. Provecto per septimanam morbo, absque ullis periculi indiciis, (utpote nunc istam mali speciem, nunc aliam præ se ferente;) ut nè prohiberet secundo die ab ambulando foràs. Post prandium autem accedentibus ad eum quinque quos habebat Medicis, quidam ex tactu pulsum intermisisse pronunciat: quo audito ille subitò consternatus ore pallet, sudatiunculas patitur, & ferè deliquium, jubétque se ad lectulum deportari; atque ibi cardiacis resocillatus, supremum condidit testamentum, sed de rebus privatis & domesticis. Manè summo, cùm unus è cæteris visitatum veniret, percontatur, *quare vultus ei adeò tristis.* Cúmque responderet, *itâ oportere, si cui vitæ ac salutis ejus pondus incumberet*; *Vos* (inquit) *Medici me creditis intermoriturum*: dein cæteris amotis (Uxorem manu complectens) ità hunc affatur, *Tibi pronuncio, non esse mihi hoc morbo moriendum*; *hujus enim certus sum,*

quæ tandem lectulo eum affigit,

securum animum sui de convalescentia,

ſum. Et quia intentiori aſpectantem oculo ad iſta verba cerneret, *Tu me* (inquit) *nè credas inſanire; verba veritatis eloquor, certioribus innixus quàm vobis Galenus aut Hippocrates veſter ſuppeditat rationibus. Deus ipſe hoc reſponſum precibus dedit non meis unius, verùm & eorum quibus arctius cum illo commercium & major familiaritas. Pergite alacres, excuſſâ penitùs à vultu triſtitiâ, méque inſtar ſerviuli tractate. Pollere vobis licet prudentiâ rerum; plus tamen valet Natura quàm Medici ſimul omnes; Deus autem Naturam longiori ſuperat intervallo.* At quiete imperatâ, quia maximam noctis partem duxerat inſomnis, exeunti è cubiculo fortè occurrit alius Medicus, quem diu habuerat perquàm familiarem; cui is, *Vereor nè mania immineat Patienti*; retulítque omnia quæ obſervârat. Tum ille, *Natu hoſpes & peregrinus in his ædibus: téne latet quod geſtum eſt noviſſimâ nocte? Sacellani, ſcilicet, omnéſque Deo præchari, per diverſas Palatii partes diſperſi, Deum pro ſalute ejus comprecati ſunt, atque hanc reportârunt omnes vocem,* Convaleſcet. Imò & eò inſaniæ deventum, ut publico jejunio ejus in gratiam celebrato *Hamptonæ* palatio, non tam obteſtarentur *Deum* ut valeat, quàm gratias agerent propter indubia convaleſcentiæ pignora; & eadem denuo repeterent *Aula in Alba Londini.*

ob fidem Enthuſiaſticis Miniſtellis & Paraſitis temere adhibitam.

qui moritu-rum vanâ ſpe lactant, ipsique Deo gratiis actis illudunt.

Iſta *Sanctorum* oracula in cauſa fuere ut Medici de periculo prorſus obmuteſcerent. Interim relicto *Hamptonienſi* palatio, (nam ibi hucuſque decubuerat) *Londinum* defertur *Cromwellius*; & in prædicti Medici cubiculo (qui gravi tunc temporis laborabat *Cephalalgiâ* & auris internæ *apoſtemate*) concilia ſua celebrant alii. Accedente autem ſummo manè altero, qui cum ægrotante totam noctem vigilârat, & quàm malè ſe habuerat per eum paroxyſmum referente, pronunciatum eſt ab omnibus, vix illum ex altero paroxyſmo eluctaturum. Quâ ſententiâ *Medicorum* exuſcitati qui A Sacris Conſiliis miniſtrabant, indicto tempore

Hamptonâ defertur Londinum.

Morbo ingraveſcente,

pore admonitum veniunt ut de *Succeſſore* ſtatueret. Cùm autem *comatoſus* præter propoſitum reſponderet, affantur iterum, Annon *Richardum* Filium natu majorem pro *Succeſſore* nominaret. Annuit ille. Dein interrogatus ubi eſſet quod de *Regni* hærede ſcripſerat olim teſtamentum: ad Muſæum aliáque loca miſit quæſitum, ſed fruſtrà; vel enim flammis ipſe tradiderat, vel alius ſuppilârat. Atque ità *Richardo* in hæredem nuncupato, ſequenti die, qui erat *Septembris* tertius, horâ tertiâ pomeridianâ ſpiritum exhalavit; non (utì vulgo ferebatur) nocte intempeſtâ raptatus à *Diabolo*, ſed claro die, eodémque quo bis *Scotos* devicerat. Diſſecto cadavere, in *Animalibus* partibus vaſa cerebri juſto pleniora videbantur; in *Vitalibus* pulmones aliquantiſper inflammati: ſed in *Naturalibus* fons mali comparuit; *Liene*, licèt ad aſpectum ſano, intùs tamen tabo inſtar amurcæ repleto. Nec id morbo qui à longo tempore infeſtârat incongruum, quippe de Hypochondriaco affectu annos triginta plùs minùs per vices graviſſimè queritâſſet. Corpus etſi exenteratum, aromate repletum, quadruplicibus ceratis involutum, loculo plumbeo, dein ligneo includeretur, obſtacula tamen omnia fermento perrupit, unde neceſſarium erat ante ſolennes exequias terræ mandare.

monetur à Conſiliariis ut Succeſſorem nuncupet;

ac Richardo filio nuncupato, brevi pòſt exſtinguitur, Sept. 3. 1658

Liene præ cæteris partibus diſſecti cadaveris male affecto.

Atqui deeſt etiamnum *Characteriſmus*; quem amoto præjudicio, miſsíſque quæ ſuprà adnotavimus in *Hiſtoriæ* decurſu, ſic habete. Natus erat honeſtis parentibus in agro *Huntingtonienſi*, teneríſque ab unguiculis haud obſcura præbuit *Enthuſiaſmi* ſpecimina. Nam (utì à fide dignis accepi) narravit olim puer comparuiſſe ſibi ſub humana ſpecie, qui *Regem* eum futurum pronunciaret; cujus rei certior factus Ludimagiſter, paterno juſſu verberibus caſtigavit. Fundamenta literaturæ poſuit *Cantabrigiæ*, ſed infida; citò ſtudiorum ſatur, plùs equis gaviſus campíque aprici

Character Cromwelli.

Ortus.

Enthuſiaſmus puerilis,

aprici gramine. Verùm ab uno indecoro diſce omnia quibus in ætatis vere luxuriabat inficetè facta. *Oliverus Cromwellius*, Avunculus ejus, Eques honeſtus & probus, procul ab hujus artibus, *Chriſti Domini Natalitia* patrio more feſtivè colebat, Muſicâ, tripudiis, aliiſque ſolutioris animi oblectamentis; *Archi-mimo* (utì aſſolebat) res ludicras moderante. At iſte, obſervatâ grandi colluſorum frequentiâ, ſuas ocreas & chirothecas (parcant mihi Lectores graves) fimo imbuit, atque *Archi-mimum* cæteróſque convivas inter ſaltandum conſpurcat, & veſtimenta polluit, adeò ut integra domus odore non *Sabæi* thuris opplereretur. Igitur *Archi-mimus*, interpoſito cruribus baculo prægrandi, robuſtiorum in humeros tolli præcepit, ſtagnóque immerſum propinquo bene prolui. Plura ejuſdem farinæ poſſem adjicere, niſi me reverentia Lectoris abſterreret. Adoleſcens cum fœmina nobili conſarreavit; ſed brevi poſtea tum ſua tum materna bona, (pater enim antè defunctus erat) effuſus in Luxum, funditus dilapidavit, adeò ut ad reſtim propemodum redigeretur. Dein agens reſipiſcentiam, *Concionibus ſacris, Lectionibus piis, & Mortificationis operibus* totus vacat; conductóque *zythepſario*, velut rem familiarem quam antè decoxerat recocturus, eidem dat operam, ſimul & agriculturæ. Ab eo tempore, Avunculo illum ſummopere peroſo, *Roberto Stewardo* Equiti, *Regiorum* quorundam & *Clericorum* operâ conciliatus eſt, hæréſque tandem ſcriptus. Patrimonio tamen paulò pòſt ad aſſem peſſundato, ſtatuit *novam Angliam* proficiſci, omniáque in hunc finem præparat. Interea factum, ut ope *Sectariorum* in *Parlamentum* cooptaretur; ubi ſocios ſibi nactus criminis, quà Ambitione, quà *Religionis* zelo dementatos, nullum intermiſit offenſionis lapidem quin volveret, nullum contentionis pomum quin ſpargeret, in *Regis* præjudicium, fabulas comminiſcens, ſcintillas exuſcitans,

& Scurrilitas.

Luxus juvenilis, & Reſipiſcentia.

Rei familiaris angustia.

Lividus in Regem animus.

asciteans, fovens, circumferens, donec luculentas tandem flammas & incendia excitârat. Exinde bello se ingerens, non re minùs quàm nomine Capitaneus, meruit contra *Regem* suum, *Carolum Primum*, Beatissimæ memoriæ *Principem*. Tum continuas *Regiorum* victorias animo perpendens, admonuit *Parlamentarios*, *Plebem* contra *Regem Generosis* stipatum inæquali *Marte* perpetuò prælaturam, ob causas & motiva parùm æqualia, hinc *Honorem*, illinc autem *stipendia*: quod si paribus animis decertare cuperent, si porrò ut vincerentur hostes, honestos oportere milites & ex meræ Conscientiæ pugnaturos undique conquiri, vel saltem ejusmodi *Ductores* militibus præponi. Eo de consilio sæpiusculè gloriantem complures audierunt. Hinc *Legionis* unius conscribendæ veniam à *Parlamento* nactus, ex omnibus ubivis *Plebinciarum* militibus quibuscum ipsi commercii quippiam intercesserat, *honestos* (uti ab ipso ferebantur) vel scriptis literis vel per nuncios corrogavit, atque Sacramento militari sibi astrinxit. Huc itaque *Acephali*, *Catabaptistæ*, *Tremuli*, & (ut verbo expediam) tota *Fanaticorum* colluvies & sentina certatim convolant, adeò ut ille plusquam millenos numeraret, equestrem militiam tentaturos. Hi autem initio nec arma tractandi nec equos gnari, diligentiâ solertiâque bellatores acerrimi evaserunt; equis etenim curandis, nutriendis ac detergendis indies assuefacti sunt, & si opus foret simul humi obambando; arma insuper polire, nitida & usui expedita servare, loricas optimas induere, seque cætero armaturæ genere communire condocefecerat eos *Cromwellius*. Atque hoc exercitii militaris genere, præ reliquis commilitonum omnibus emicuêre virtute bellicâ, plurèsque ab hoste palmas reportârunt. Hoc *Novi* (ut vocabatur) *Modeli* initium. Hi *Præfecturam* & *Ductorum* officia per exercituum cohortes ac turmas pleraque fortiti sunt: gregario-

Consilium Parlamentariis dat.

Disciplina militaris.

rum locum implente robuſto & expedito milite, quem ſummâ diſciplinâ inſtructum continebat. Indè ſupremus *Equitum* factus *Magiſter*, poſt *Legatus*, *Archiſtrategus* denique, nec non *Protector* evadit, & ad ſummum honoris culmen & faſtigium graſſatus eſt. Quo imperii apice feliciter ſuperato, curæ fuit inprimis aſcenſionis gradus demoliri, nè pateret æmulis idem conſcenſus. In *Reipublicæ* adminiſtratione tantâ uſus eſt induſtriâ quantâ hactenus pauci. Quod de aliis philoſophantur, ego profectò veriſimile de eo dixerim; habuiſſe nimirum duos *Angelos* aſſiſtentes, *bonum* & *malum*: Dum pulſaret pectus, ſuſpiria, preces & lacrymas effunderet, omnia bona pollicitus, *Bonum* ei prædominari; quando verò per mendacia & fallacias machinamenta proditionéſque necteret, à *Malo* præcipitem agi. *Imperio haud indignus, niſi ſcelere, dolo, ſanguine, proditione tum aliorum, tum ſui præſertim Principis, rapuiſſet.* *Imperium.* *Imperitandi modus.*

Proximo die, *Richardus* filius natu maximus, poſt collatas invicem ſententias, *Protector* ſalutatur à *Conſiliariis*; factâque per Fecialem promulgatione, *Londini* primo in locis notiſſimis, deinde per omnes *Angliæ*, *Scotiæ* & *Hiberniæ* tractus renunciatur. Imò & *Exercitûs Ductores* (etiamſi contraria pectoribus coquerent conſilia, cruda adhuc & immatura) gratulatum adveniunt, & ſubſcriptâ ſyngraphâ, obſequium defenſionémque pollicentur. Ille verò, nullo percitus Ambitionis inſtinctu (utpote temporibus difficillimis, factionibus gliſcentibus, *Democraticis* impotenter graſſantibus, injuriâ etiam *Regiis* illatâ, Nemeſique à tergo ſequi ſolitâ præ oculis obverſante, genio quoque ſuo à dominatione alieno) vitâ privatâ frui maluerat in pace, odii & periculi expers. At his illiciis & fortunâ lenocinante juvenilis animus in perverſum agitur, totúſque demum, titillante (ut ſunt res hominum) *Imperii* ſplendore, *Richardus capeſſit Regni gubernacula,* *non tam ambitione propriâ, quam aliorum dulcium blandimentis.*

in ſententiam concedit. Admovebat unà ſtimulos neſcio quæ *Provinciarum* inſania; quippe ceu œſtro quodam agitatæ, cum *Petitionibus* approbatoriis numero circiter nonaginta quaquaverſus advolant, ut exorienti Soli adblandirentur.

Cromwellii funus perquam ſumptuoſum,

Parentat *Richardus Oliveri Cromwellii* manibus exequiis magnificis, immenſiſque ſumptibus, quos eo propoſito ſuadent *Conſiliarii*, ut ære alieno jam ſatis gravatus, nummorum adhuc indigentior fieret. Verùm diſceptabatur inter *Præfectos*, an pullati procederent & veſtimentis talaribus induti, nè iſtis impediti, *Regiâ* cohorte unâ vel alterâ (è cœlo fortè) delabente ad funebrem pompam conturbandam, ſe minùs defenderent; etſi militum turmæ per totam viam ex utroque latere intamen diſpoſitæ fuerint. Inhumatus eſt in *Regios inter cineres,*

& ſepultura ſilica Weſtmonaſterienſi, quæ adeò inclaruit *Regum* noſtratium buſtis, ut nihil *Europa* poterit oſtentare ſplendidis ac ſumptuoſis defunctorum Monumentis ſpectabilius; ibi quaſi jura daturus *Principum* umbris, quos tanto odio vivus proſequebatur. Ejuſmodi ſepulturam Auguſtos inter cineres etiam *Matthæus*, *Iretonus*, & poſtmodum *Bradſhawus*, totúmque *Parricidarum* agmen affectârat.

Democratici in Richardum male animati,

Ea fabula haud citiùs exitum ſortita eſt, quin nova oritur derepente. Quippe *Democratici* ſtruunt inſidias, & *Richardi* ruinam, quam animo agitabant, gradatim aggrediuntur. Primò *Fleetwoodi* frequentant ædes, officii prætextu, nec non *Precum* pro more ſimul celebrandarum: è longinquo primùm confabulantur: *Lambertum* alióſque de ponte dejectos *Ductores Desborio* conciliant, & hiſce qui manent in Exercitu. Mox injiciunt

Fleetwoodum cum eo committere annituntur.

ſermones de *Protectoris* officio, quaſi *Fleetwoodo* jure deberetur, ſupremóque, dum mente conſtaret *Oliverus*, teſtamento deſignatum foret; *Richardum* autem ſurreptitio quodam modo ac fraude

paucorum

paucorum è *Conſiliariis*, dum præ vi morbi pater obſtupeſceret, ſurrogatum; expedire ſibi ut à pio, experto, multíſque in difficultatibus verſato *Ductore* gubernentur. Sic interjectam ſemel Contentionis facem pergunt omniniodâ ventilatione incendere, ac renovato continenter pabulo excitare. Commiſſis hoc pacto inter ſe affinibus, mutuíſque alterius in alterum iris accenſis, gregarii prenſationibus ad partes invitantur; & nè oleum & operam perdere viderentur, eorum gratiâ ſtipendia (è quibus nuperis temporibus duo per ſingulas ſeptimanas denarii ſubtrahebantur) numerari poſtulant.

Poſtea in diſſertationem venit *Exercitûs* regimen. *Cromwellius* pro libitu imperaverat merâ deſpoticâ authoritate, quemlibet exauctorans militem æquè ac *Præfectum*, aliúmque ſubſtituens; nemini jam debet tantum licere, nec immodicâ frui prærogativâ. Igitur in *Petitionem* deventum eſt à militibus, ubi ſupplices rogant, ut in poſterum *abſque militari Concilio ſuffragante nemo miles loco privetur, neque contra militem agere cuiquam fas ſit niſi lege militari; nec Homicidii, Furti, Sacrilegii aut Rapinæ cauſam dicere, niſi pro militari tribunali, miles teneatur; penéſque militem ſit, Archiſtrategum ſibi ſeu Ducem belli primarium conſciſcere.* De his coram *Protectore* verbo tenus diſputatur, dein ſcriptis ac Declarationibus palàm evulgatis.

Milites immodica ſibi vendicant privilegia.

Hiſce *Concilium Statûs* & *Regimen* cùm percipere *Richardus* agitari procellis, ad *Parlamentum* confugere opportunum duxit, ejúſque opem in arduis experiri. Indicitur itaque *Senatus* duobus è domiciliis (ad norman *Inſtrumenti*) componendus, adjectis & *Scotorum Hibernorúm*que Delegatis; neque citiùs conveniunt, quàm altercantur adversùs *Aſcriptitios Proceres*. Hi de novo proſcinduntur, atque in dubium venit quo jure, quâ lege ſubſellia iſta occuparent. Nec minus in *Domo Communium* æſtuatur inter *Democraticos* & *Aulicos*;

Parlamentum indicitur, uti variis alterationibus tempus teritur nullo cum fructu.

llcos; illis contendentibus tum *Scotos* tum *Hibernos Anglicano* Conſeſſu abdicandos, utpote nullâ lege ſuffragandi jure donatos, *Protectori* ſoli mancipatos, neutiquam *Rempublicam* repræſentantes.

Conciliantur tamen.

Tandem poſt diurinam diſceptationem & contumelias, reconciliationis ergò, ſciſcunt inferioris domicilii *Senatores* velle ſe cum *ulteriùs* domicilii (*ſuperioris* enim nomen ſedulò devitabat) viris de publicis negotiis in præſentiâ tractare; modò illud fraudi non fuerit veris & antiquâ proſapiâ natis *Proceribus*, iiſque qui *Reipublicæ* in hoc Bello partes non deſeruerant.

Inſtrumentum Gubernii eventilatur.

Poſtea & *Recognitio* in *Richardi* gratiam introducta turbas haud leves concitavit, ſuſque déque diſputantibus *Auticis* in ejus verba juratis atque *Democraticis*. Eâ inſuper arreptâ occaſione, invehuntur in *Gubernii Inſtrumentum*, tanquam à *Comitiis dimidiatis nec jui juris hominibus extortum*; & in omnes *Articulos* inquirendo, contra *Cromwellii* manes debacchantur. Hiſce adjunxêre ſe non pauci qui *Regi* ſtudebant, ut in æquilibrio detentis contrariis partibus, nihil utrinque certi ſtatueretur.

Overtonum ab exilio revocant.

Reſcindunt tamen *Overtoni Democratici* de cuſtodia mandatum (quaſi contra Leges latas) ab *Olivero Cromwellio* olim irrogatum; & à *Jarſeia* Inſula, ubi incarceratus permanſerat, accitum prope *Albam Aulam* oſtentare ſe triumphantis inſtar permiſerunt. Nec non *Barkſtedum Turris Londinenſis* Cuſtodem, & *Butlerum Exercitûs Inſtructorem* faſtuoſiſſimum, Perduellionis fulmine lyderare in præſentiâ ſatis habuerunt.

Barkſtedum & Butlerum Perduellionis poſtulant.

Præfectis urgentibus Propoſita ſua,

Interea *Præfecti Exercitûs* obſirmatis animis urgent propoſita ſua; quorum conſilia *Democratici* multi *Parlamentarii* ferè gubernabant. Hoſce ad coercendos cùm quidam ſuaderent, operámque ultrò ſponderent, (comprehenſis ex improviſo,

dum

dum consilium agitaturi convenirent, præcentoribus) abnuit *Richardus*; partim ex pusillanimitate, quòd non auderet frementibus Præfectis obniti; partim verò præ credulitate, persuasus nimirum à *Fleetwoodo* Sororis marito, unà & Avunculo *Desborio*, nolle Exercitum (etsi propriis frui averet privilegiis, ac *Regiminis* formam aliquantulùm immutaret) ejus vel personæ vel commodo quicquam inferre detrimenti, quod non amplissimis repensaret beneficiis. Satis ergò habuit *Richardus*, Patris ad exemplum, intonare minis, corripere verbis, rugitu infremere. At illi non contremiscunt, bruto potiùs fulmine irritati ferociunt; nec solùm dicteriis & posticâ sannâ excipiunt, sed ruditùs instar vilipendunt, & grandiora contrà moliuntur. *sibi ipsi deficit Richardus.*

Ab hoc tempore consilio manúque deficiunt qui optimè priùs ei volebant: nec operæ pretium arbitrantur ejus intermiscere semet negotiis, quem Deus adeò dementârat, ut ipsi sibi sua neglectui forent. Igitur operam & studia *Regi* addicunt, cujus ex parte stare jus & æquum liquidò demum intellexêre. *atque ab amicis deseritur.*

At *Præfecti* (vergentibus ad maturitatem propositis) *Remonstrantiam* cudunt, in qua contra *Malignantium* nomen machinas invertunt; *elapsam ex animo* queritantes *originem controversiæ, séque (ni caverint) retrò in Regia castra sublapsuros; postibus affigi eorum nomina qui Regicidio navârant operam; multos in dies Regios è partibus transmarinis huc advolare, atque impunè spectante populo Regiam causam jactare, consiliáque miscere*; & plura ejusmodi. Simul comprecantur, *ut hisce malis obviàm eatur quàm celerrimè*; *Democratiæ* sui inducendæ studium non obscurum præ se ferentes. Hanc denique *Richardum* rogant ut *Comitiis* dignetur exhibere, quasi fulgure ante tonitru perterrefacientes. Sed *Comitia* intermistis quibusdam verè *Democraticis*, (ex designato, ut quidam crediderunt, *Præfecti Remonstrantiam cudunt.*

runt, & ut haberet contra offenſionem Exercitûs) edicto prohibent, ſatis pro imperio, *Nè Præfecti vel militum complures ad conciliabula celebranda ſimul conveniant, uſque dum ſtatuerint Comitia de rebus iſtis :* quod *Richardo*, nomine cùm ſuo tum *Comitiorum*, denuncianti, & conciliabula eorum abrogari jubenti pleno in *Præfectorum* conventu, *Desborius* obloquitur ; unde ferociores, & exinde irritatiores *Præfecti*, militiæ *Londinenſis* Præpoſitos adeunt, & in conſenſum & conſpirationem ſecum alliciunt, ut ipſi eodem involuti reatu eadem à *Comitiis* petere haud vereantur. Quod quidem, *Iretono* (fratre *Præfecti* olim demortui) tunc temporis *Prætore*, aliiſque viris primariis intercedentibus, haud ægrè conſecuti ſunt.

& conciliabulis interdicuntur à Senatu.

Hinc in conſpirationem alliciunt Londinenſis militiæ Ductores.

Iſtis præliminaribus officiis defuncti, *Præfecti* Exercitûs, collectis in conticinio copiis, *Baſilicam Albam* (ubi agebat *Protector*) obſidione cingunt, immiſſis interim *Desborio* & *Fleetwoodo*, qui eum obnixè peterent ut *Senatûs* conſeſſum abrogaret, monerentque, *Præfectos, hoc ni fiat ocyùs, flammis ædibus minitari, omnéſque daturos occidioni qui obſtiterint.* Horum comminationibus perterrefactus *Richardus*, ope *Civitatis* incaſſum imploratâ, deficiente proprio tum milite tum ſatellitio, abſterritiſque Cubiculariis & cæteris ſervitiis, Programmati tandem ſubſcribit, quo publicè promulgato jubet abrogari *Comitia.*

Mox Baſilicam Albam obſident.

Quorum precibus ac minis devictus Richardus abrogat Comitia.

Hinc paucis diebus ad pœnitentiam facti conceſſis, & nova conſilia ; non deerant multi qui omnia ei mala ominabantur, imò & imminere pronunciabant ; Familiæ ſuæ hoſtibus infenſiſſimis jam rerum potitis, nec minùs livore quàm faſtu tumidis, qui nemini fidem præſtiterant. Palpare forſan inpræſentiarum hos velle atque adblandiri, donec authoritatis ejus obtentu viribus amicorum & præſidiis ſpoliaverint ; exinde odio & ludibrio expoſitum

Ille periculis jam circumcinctus.

expoſitum capitis poſtulaturos: idque Legis olim latæ prætextu, quâ *Monarchiam* affectare vel ſubinducere ſub pœna capitis vetabatur. Oſtenſum præterea, *patere adhuc tutum Regia ſub Clementia receptum, modo crimen paternum ſuo compenſaret obſequio; Regium eſſe conſtare propriſſis; Reſidentem adeſſe* Daniæ *Dom.* Petcombe, *qui in* Suntam *ſecurè tranſmittere literas promiſerat, ut poſtea ſecuriùs tranſiret Nuncius ad* Thalaſſiarcham, *& de rebus iſtis moneret; qui vadimonium etiam præſtaret ex parte Regis pacta fore ſecura: neque hoc eſſe factu adeò difficile, cùm hactenus libera ſit contagio Claſſis, Thalaſſiarcha pronus in ſervitium Regis, Parricidis juxtà infenſus ac inviſus; Portſmutha inſuper vellet in intimam cum eo confœderationem ſimul conſentire, aliáque propugnacula munitiſſima; Populi quoque pars maxima, tum Regis inſtinctu, tum ipſius ruptorúmque Comitiorum in vindicias, confluëret; Hibernia denique tota ejus etiamnum imperio ſubeſſet.* His & ſimilibus adductis argumentis, in medio pendebat, quid faceret incertus; fluctuabatur inter ſpem & metum, amiſſâ rei bene gerendæ occaſione vel corruptâ, nunc horum conſilia, nunc illorum anteferens, quandoque ad fugam proclivis: donec tandem à *Fleetwoodo* aliiſque (quorum clàm rogârat ſententias) *Democraticis* edoctus, *quantò ſatius foret certis gaudere privilegiis, quàm ignota graviſſimo cum periculo experiri,* attonitus in Baſilica commoratur.

Regiam deſponſare juvatur cauſam.

D. T. C.

diſſuadent Fleetwoodo.

Interea convocato concilio, *Præfecti* qui *Richardo* ſtuduerant, *Ingolsbeius, Goffius, Whalæus, Falconbergius* & *Howardus* exauctorantur, ſuffectis in *Tribunatum* quos *Pater* olim exeluſerat *Democraticis, Lamberto, Harriſono, Richio, Packero, Okeio,* aliiſque. Dein Exercitûs *Præfecti* cum aliis quinque vel ſex obſoleti *Pſeudo-ſenatûs* membris in ædibus *Oratoris* antiqui *Lenthalii*

Præfecti Pſeudo-ſenatum *ab integro reſuſcitant.*

thalii convenientes, postulant, *ut diu intermissam de novo capesseret in Parlamento Cathedram, & Reipublicæ habenas denuo moderaretur.* Cui ille principio refragari, invictis in contrarium adductis Argumentis; postea verò, quà *Vanei Lambertí*que præsertim tum minis tum postulationibus, quà propriâ pusillanimitate, quà dominandi libidine persuasus, in sententiam concedit. Agnitâ quâ *Pseudo-senatum* affecerant *Præfecti* injuriâ, actâque publicâ professione pœnitentiâ, & reciprocis pactis sese astringentibus de novo *Senatoribus*, *Orator* ille (Fascibus etiam prælatis) ingreditur *Comitiorum* inferius domicilium, stipantibus quotquot è Triviis, Popinis, Tabernis, Exercitu etiam & Ergastulis

(& quos homines:)

peti poterant; quos tamen si computes, quadraginta duorum numerum ægrè complebant: adeò tenui filo pendebant tum temporis res *Angliæ*. Hi verò homunciones pro *Rebuspublicis* tribus se gerere, leges figere, & refigere, quollibet deportare, bona publicare, vitæ ac necis possessionúmque omnium arbitros se ingerere nulli dubitant.

Articuli autem sive *Pacta* sic se habebant.

bisque legibus astrictum,

Libertas Personarum, Bonorum etiam Proprietas, omnibus pariter sunto inviolabiles. Certus Legis ac determinatus esto processus. Omnia delicta quæ spectant ad Gubernii immutationem aboleantur. Omnia Statuta & decreta maneant integra, quoad contraria scisscantur. Publica debita solvantur accuratè. Nemini Deum in Christo Spiritúmque Sanctum colenti, & Sacrum Codicem pro Dei verbo amplectenti, suâ Religionis interdicatur professioni, exceptis Prælaturâ & Papismo. Ministerium genuinum & zelo fervidum modis omnibus foveatur. Academiæ atque literarum Scholæ reformantor. Fleetwoodus in præsentiâ copiis præficiatur tam terrestribus quàm maritimis. De futuro, Authoritas Legislativa penès Parlamentum esto, & quem populus

populus elegerit Senatum, Executiva penès Concilium Status. Protector ære alieno liberetur: eique pro lauto ſtipendio decem millia librarum numerentur annuatim, dum ſit vitâ, præter alia decem in perpetuum. Matri quoque, dum in vivis fuerit, octo millia è Fiſco ſolvantur annuatim.

His legibus aſtipulati, conſeſſum in domicilio *Parlamenti* obtinent jam denuo *Parricidæ*; quas quanti æſtimarent palàm omnibus actum faciunt. Interim *Senatorum* olim excluſorum à *Præfectis* multi, (quamvis *Regis Caroli Primi* morte & *Procerum* Domicilii ceſſione abrogata vetera *Comitia* crederent) qui numero trecentos exceſſerunt, ad alia incommoda evitanda conſeſſum affectantes, ſedulo averruncantur. Paucos poſt dies, *Richardum* miſſis Delegatis interrogant, *Quomodo placeret mutata Regiminis forma; Quo ære alieno opprimeretur:* ut ſpe benevolentiæ injectâ, ſpontaneam elicerent *Authoritatis* abdicationem. Reſpondet, *Æquum ſibi videri, ut eorum Authoritati ſubmittat, quorum expectanda protectio: Seneſchallum ſuum debitorum ratiocinia exhibiturum.* At non arridebat niſi categorica & diſertis in verbis Juris conſignatio; cui ille quaſi alacris præbuit aſſenſum. Jam tandem ſupellectili boniſque omnibus jubetur cedere, non auro vel argento, non cimeliis aut periſtromatis, non ſindone carbaſíve, quæ in anguſto convaſari poterant, ſervatis; omnia Fiſco adjudicantur. Ipſe *Baſilicâ* jubetur nudus exire, atque Creditorum omnium actionibus obnoxius, imo capite forſan plectendus, ſi per alia negotia vacaret.

in Senaculum immittunt.

Richardus, faſcibus præmetu conſignatis,

nudus è Baſilica egreditur.

En fluxam mortalium fidem, & mirum *Divinæ* (quæ humanis præeſt, verſátque pro libitu imperia) *Providentiæ* indicium! Ille, cui jam modò Tria Regna parebant, præ tædio

dio nuperorum motuum ſorte ſuâ contenta, ſub Trium veteranorum *Ductorum* auſpiciis, *Fratris* videlicet, & *Sororii*, & (quem ingentibus obnoxium beneficiis fecerat *Cromwellius*) Tertii, intra exiguum unius anni ſpatium videt interverſa. Certè furtivis nudatus coloribus, multum feſtivitatis & facetiarum pictoribus faceſſit ac poëtaſtris; omniúmque convitiis ac ſcommatibus, tum *Parricidarum* tum popelli, abundè proſciſſus, utì olim *Dictator* accerſitus ab aratro, ità jam *Protector* ad Aratrum retrocedit.

& ludibrio factus, ad vitam ruſticam ſe denuò confert.

INDEX

INDEX CHRONOLOGICUS

In PART. II.

Styl. Vet.

MDCXLIX.

1649.

Doriſlaus *in Belgio à Scotis quibuſdam confoſſus.* pag. 138 — Mai. 3.

Ormondiæ *Marchio Hiberniæ Prorex cum Hibernis paciſcitur.* 145

Conſcripto exercitu Dubliniam obſidet. 149. 153 — Jun. 21.

Joneſius ejus copias fundit, & obſidionem ſolvit. 155 — Aug. 2.

Cromwellius *Rebellium in Hibernia Dux Generalis Dubliniam appellit.* 157 — Aug.

Cromwellius Droghedam *capit, victoriâ crudeliter uſus.* 158 — Sept. 11.

MDCL.

1650.

Cromwellius Kilkenniam Concilii Hibernici ſedem deditione capit. 168 — Jun.

Relicto in Hibernia Iretono *genero in Angliam redit.* 171. 215 — Jun.

Aſchamus

Jun. Aſchamus *Regicidarum Orator Madriti cæſus.* pag. 195, 196
Apr. 29. *Marchio* Montiſroſanus *Scotiæ Prorex prælio victus,*
Mai. 1. *proditione capitur.* 209
Mai. 21. *Et indignis modis à Scotis tractatus, Edenburgi morte multatur.* 211
Jun. CAROLUS *Rex, pactis Articulis, in Scotiam navigat.* 212, 213
Jun. 26. *Abdicante Fairfaxio,* Cromwellius *Generalis Dux omnium Exercituum per Angliam, Scotiam, & Hiberniam declaratur.* 215
Jul. 22. *Cromwellius in* Scotiam *exercitum ducit.* 218
Aug. 22. *Euſebius Andrewes Londini capite plectitur.* 203
Sept. 3. *Cromwellius Scotos ingenti prælio* Baroduni *fundit fugátque.* 222
Octob. 24. *Guilhelmus Princeps* Arauſionenſis *moritur.* 227

1651. MDCL, LI.

Jan. 1. CAROLUS *Secundus Coronam Scoticam Sconæ induit.* 331
Aug. 7. *Angliam cum exercitu Scotico ingreditur.* 234
Aug. 22. Wigorniam *facilè occupat.* 235
Aug. 25. *Jacobus Comes* Derbiæ *Wiggani à Lilburnio debellatur.* 235
Sept. 3. *Scotis* Wigorniæ *à Cromwellio fuſis, elabitur Rex.* 238, 239.
Sept. 12. *Cromwellius Londinum triumphantis inſtar ingreditur.* 261
Octob. 2. *Rex, per multa pericula, tandem* Fecanum *Normanniæ portum appellit.* 259
Octob. *Inſula* Jarſeia *ab Haynèſio in poteſtatem redacta*
Dec. *eſt.* 263
Oct. 15. Jacobus *Derbiæ Comes,* Manniæ *Dominus, capite plectitur.* 242
Octob. *Ejus Uxor* Carolotta *generosè* Manniam *Inſulam de-*
Nov. *fendit; ſed fruſtrà.* 263
Nov. 26. *Henricus* Iretonus *Cromwellii gener Limerici in Hibernia moritur.* 178, 179.

MDCLI, LII.

MDCLI, LII. 1652.

Barbadam Insulam Aiscovius deditione capit. 200 Jan. 12.
Amnestiæ *sive* Oblivionis *Actus à Pseudo-senatu* Febr. 24.
decernitur. 264
Sancto-Joannides & Stricklandius in Belgium le- Mar. 11.
gantur. 169
Navali prælio inter Blakium & Trumpium *primò* Mai. 19.
pugnatum est. 277, 278.
Aiscovius Belgas juxta Plimutham navali prælio Aug. 16.
vincit. 278
Blakius iterum Belgas vincit. ibid. Sept. 28,
29.

MDCLII, LIII. 1653.

Pugnatum est in mari Tyrrheno *inter Anglos &* Mar. 4.
Belgas. 279
Cromwellius *Pseudo-senatum, post duodecim Domi-* Apr. 20.
nationis annos, dissolvit. 267, 268
Novum tamen inducit, cui rerum habenas tradit. 269 Jul. 4.
Belgæ quatuor Pacificatores in Angliam mittunt. 279 Jun.
Monckeus *ingenti prælio navali Belgas vincit, cæso* Aug. 2.
Trumpio. 280
Tumultuantur Lusitani *in Peristylio novo Londi-* Nov. 22.
nensi. 282
Pseudo-senatus Cromwellio *imperii clavum tra-* Dec. 12.
dunt. 271
Olivarius Cromwellius Protectoris *sub titulo rerum* Dec. 16.
habenas capessit. 272

MDCLIV. 1654.

Cromwellius cum Belgis *paciscitur.* 280 Apr. 5.
Pantaleon Sa *Legati Lusitani frater & Johannes* Jul. 10.
Gerardus *capite plectuntur.* 282
Cromwellio indicente, Pseudo-Parliamentum westmo- Sep. 3.
nasterii habetur. 288

Sept. 12. *Cromwellius Senatores in verba ſua adigit.* 250
Oct. 18. CAROLUS *Rex è Gallia diſcedens,* Coloniam *proficiſcitur.* 283
Nov. *Fratrem* Henricum Gloceſtriæ *Ducem accerſit.* 297

1655. MDCLIV, LV.

Jan. 22. *Cromwellius Pſeudo-Parliamentum diſſolvit.* 290, 291
Regii varius per Angliam locis arma movent; ſed fruſtrà. 285, 286
Mar. 11. Wagſtaffius *Sarisburiam occupat.* 286
Mai. 16. Penruddockius & Grovius *Exoniæ ſecuri percutiuntur.* 287
Jun. Henricus *Cromwellii filius junior Hiberniæ præficitur.* 187
Mai. 5. *Marchio de Leda Legatus Hiſpanus Londinum venit.* 306
Mai. 7. *Pennius & Venablius Claſſis & Exercitûs Præfecti* Jamaicam *Inſulam occupant.* 307
Oct. 25. *Decem* Majores Generales *Provinciis præficiuntur.* 300
Nov. *Cromwellius cum Gallo paciſcitur.* 308
Judæi *liberum petunt introitum in Angliam, & incolendi copiam.* ibid.

1656. MDCLVI.

Jul. 10. *Cromwellius cum Luſitano paciſcitur.*
Jul. 25. *Legatus* Suecus *à Cromwellio Hamtoniæ convivio excipitur.*
Sept. 10. Blakius & Montacutius *Naves octo Hiſpanicas impugnant, quarum duas gazis onuſtas capiunt.* 309, 310
Sept. 17. *Pſeudo-Parliamentum ex tribus Gentibus, Anglis, Scotis, & Hibernis, Weſtmonaſterii celebratur.* 188, 262, 310
Oct. 24. *Jacobus* Naylorus *Pſeudo-Chriſtus Briſtoliam ingreditur.* 316

MDCLVI, LVII. 1657.

Milo Sundercomius, *qui Cromwellio insidias struxerat, capitis damnatur.* 317 Febr. 9.
Mortuus invenitur in cubili, in Arce Londinensi. ibid. Febr. 13.
Harrisonus, Lawsonus, *aliique carceri mandantur.* ibid. Apr. 10.
Blakius *Classem Hispanicam in ipso portu* Sancta-Crucensi *incendio corrumpit.* 322 Apr. 20.
Cromwellius Regium *Nomen, sibi à Comitiis propositum, respuit.* 313 Mai. 8.
Protectoris *titulo solenniter inauguratur.* 314 Jun. 26.
Et Comitiis per sex menses feriari permittitur. 315
Richardus *Cromwellii filius Pseudo-Cancellarius Academiæ* Oxoniensis *creatur.* 319 Jul. 29.
Jepsonus in Sueciam, Medowus *in Daniam mittuntur.* 324 Aug.
Mardiki *propugnaculum ab Anglis Gallisque expugnatur.* 325 Oct. 23.
Vicecomes Falconbergius *Mariam Cromwellii filiam ducit.* 318, 319 Nov. 19.

MDCLVII, LVIII. 1658.

Celebrantur iterum Comitia, duobus jam Senaculis distincta. 319 Jan. 20.
A Cromwellio subitò abrogantur. 320 Febr. 4.
Slingsbeius *&* Huetus *securi percutiuntur.* 321 Jun. 8.
Dunkerka *Gallis deditur.* 327 Jun. 15.
Cleypolia *Cromwellii filia Hamtoniæ moritur.* ibid. Aug. 6.
Oliverus Cromwellius *Pseudo-Protector in Aula Alba moritur.* 330 Sept. 3.
Richardus *Cromwellius* Protector *publicè salutatur.* 333 Sept. 4.
Oliverus Westmonasterii sepelitur. 334 Nov. 24.

1659. MDCLVIII, IX.

Jan. 27. *Richardo indicente, Pseudo-Parliamentum westmonasterii habetur.* 335
Feb. 3. Overtonus *ab exilio revocatur.* 336
Feb. 14. *Inferior Conſeſſus ſciſcit,* Richardum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protectorem agnoſcendum. *ibid.*
Mar. 28. *Sciſcit etiam,* velle ſe cum Alterius Domicilii Viris de publicis negotiis in præſentia tractare. *ibid.*
Apr. 7,8. *Præfecti Exercitûs* Remonſtrantiam *Richardo exhibent; Richardus Comitiis.* 337
Apr. 18. *Comitia Edicto prohibent,* Nè Præfecti ad concilia-abula celebranda conveniant. 338
Apr. 22. *Præfecti Baſilicam Albam obſident, & Richardus edicto jubet Comitia abrogari.* ibid.
Mai. 7. *Exauctorato Richardo,* Pſeudo-Senatum *ab inferis reſuſcitant.* 340, 341

Tabulæ

Tabula Memorabilium.

A

ABredonio Rex excipitur, 213. à Monckeo domatur 261
Academia Oxonienſis 323
Academia Dublinienſis 187
Academiæ damnantur, 270. metu liberantur 275
Adamus proditor 230
Aera oppid. *ibid.* 261
Aiſcovius cum claſſe coram Drogheda mittitur, 157. Camercanas inſulas capit 209
Akenæ Toparcha 209
Albemarliæ Dux 242, 261
Albis Fluvius 324
Alesburgum 286
Algeria 304
Alonſo de Cardenas 193, 281, 316
Aluredus 261
America 305
Amneſtia 263, 300
Amſelodamum 281
Andrews chiliarcha 203
Angli prompti in bellum, 149. ſed cum Hibernis malè conveniunt, *ibid.* prævaricantur, 159. bello Hibernis paratiores, 175. funduntur à paucis, 307. Mardikum aggrediuntur 325
Anglia nova 137
Aquiſgranum 283
Arcklovia 161

A

Ardeſii Comes, 143, 148. Derriam obſidet, 152. obſidione excutitur *ibid.*
Argathelius Marchio 231, 261, 262
Arkenones 166
Armacha 170
Armachæ Archiepiſcopus 188
Armeſtrongius 164
Armiluſtrium inſtituit Cromwellius 157
Armorerius 286
Arran 184
Arrianiſmus 315
Arthuri collis 218
Aſchami cædes 193, 195
Aſhburnhamus 278
Aſhenhurſtus 243
Aſſiſæ 286
Aſtonus Droghedæ Præfectus 157
Aſylum 196
Athalonia, 167, 177. pertranſit Hibernus exercitus, 174. capitur 177
Atheum oppid. 171
Atholiæ Comes 227, 228 262
Auceps 203
Audlæus Mervinus 143
Aumontius Mareſcallus 325
Avona fluvius 248
Aureliæ Dux 260

Auriacus Princeps, 138, 212. obit, 227. ejus uxor, 297. ejus filius abdicatur 280
Austriacus 308, 326
Axtelius Kilkenniæ Præfectus 174

B

BÆtis fl. 281
Bagaudi Alpium 180
Baggots-wreath 154
Balahusium capitur 169
Ballishannon 156, 171
Baltimorum 169
Bana fl. 170
Bancus Regius 302
Bandolieri Pyrenæorum 180
Barbada 200, 306
Barbonii pons 239, 240
Barkleius 195, 251
Barodunum 220, 221, 237
Barrow fl. 161, 163
Batavis abblandiuntur Parricidæ misso Dorislao, 138. quo occiso, *ibid.* reposcunt expiationem frustrà, 139. Batavi minantur 277
Baydexianus Marchio 310
Beaufortii Dux 283
Belfastum 170
Belgæ Wiltoniæ 286
Belgici, 139. Stricklandium consessu inter Ordines privant, 198. malè conveniunt, 276, 277. at mittunt de pace tractaturos, 277. vim inferunt & deprecantur offensam, 277, 278. Danos in consortium invitant, 278. victi, 279. & seq. pacem paciscuntur, 280. Daniæ Regi auxiliantur 325
Bentleia 246, 247
Berkstedus 318, 336
Bermuda 137
Berrius 188, 318
Beveringius 279, 280
Biddle 315
Birdporta 253
Blakius, 162, 192, 196, 277. Sillinas insulas capit, 199, 200. Classi Præfectus iterum 304, 309, 322, 323
Bluntæus 236
Boderia 223
Bointonus 237
Boscobella 241, 244
Bradshaw 203, 334
Bragantinus Dux 193
Brandenburgicus Dux 194, 323
Bremersfordia 323
Brewoodum 241
Briga fl. 161, 162, 163, 166
Brigantes 285
Brighthelmstedium 258
Bristolia 165, 316
Brodwinsora [illegible]
Broghilius Baro, 164. Mo[illegible]niæ relinquitur, 166, [illegible] 177, 190
Bromesgrovium 248
Brownius 228, 233
Brownriggus Episcopus 293
Bruntilandia 233
Bruxellæ 308
Buchaimi Comes 227
Buckinghamiæ dux, 228, 238, 240, 242
Bullinardum capitur 166

Bunnii

Bunni collis 238
Burdeauxius Galliæ legatus 192, 283
Butlerus eirenarcha 255
Butlerus tribunus 160
Butlerus Major Gen. 336

C

CAhir capitur 165
Calanum capitur *ibid.*
Calliſium 325
Calviniſtam fuiſſe Proregem calumniantur Hiberni 159
Cambrobritannia, 231, 235. exemplar reformationis 140
Camercanæ inſulæ 137, 200, 306
Cantium.
Cardenas, *vide* D. Alonſo.
Cardigan. Comitat. 231
Cardinalis Mazarin 283
Caringdredum 169
Carleolum 234
Carliſius 239, 244, 245, 246
Carlingfordia 170
Carlovia 170, 171, 172
Carnworthius Comes 208, 240
CAROLUS I. 246, 251, 256, 332, 341
CAROLUS II. Princeps, 249. Rex, 139, 191. ſupremus recognoſcitur Hibernis, 145. pleniùs de Scotorum Propoſitis deliberat, 205. fluctuat, 206. Schivelingâ ſolvit in Scotiam, 212. novis Articulis impetitur, *ib.* ad adventum ejus in Scotiam exultatur, 213. quo modo tractatur, 213, 214, 218, 219, 226. ad caſtra Scotorum concedit, 219. ad Montanos fugam meditatur, 226. & maturat, *ibid.* reducitur, 227. pacem reſtituit Montanis, 227. Coronatur, 231. in Angliam ducit, 234. ad Londinenſes ſcribit, 235. prælio Wigorniæ decernit, 238. in avia ſecedit, 240. mare pertranſit, 259. veſtes mutat, *ibid.* ejus mirandum effugium, 260. à Scotis ejuratur, 262. Belgis navales vires offert, 278. Louvres habitat, 283. Coloniam profectus, *ibid.* Ducem Gloceſtriæ accerſit, 297. in præjudicium ejus multa tractantur 308, 310
Cartagena 306
Carteretus 263
Carthago nova 304
Carycium 162, 166
Caſeus 230
Caſſiterides 1, 199
Caſiubia 323
Caſtri-portus Comes 161, 169
Caſtrum-Jordanum 170
Catabaptiſtæ 269, 275, 293, 313, 332
Cattieuchlani 286
Catzius 277
Ceſtria 154
Charlemontium 171
Charmutha 251, 255
Chiſleius 232
Chriſti Monarchia in terra 270
Chriſtocratici 269, 317

S. Christophori Insulæ 306
Circestriæ pernoctat Rex, 249
Clanrickardus Marchio, 143, 144, 161, 173. Prorex *ibid.* 176, 177
Clarius 236
Clerus Romanus Hibern. 142, 143. Regi obstat, 149. solvere taxationes renuit, 159. a Prorege perstringitur, 164. semper Proregi stat in oppositum, 172. excommunicationem in Proregis sequaces pronunciat 173
Clerum prensat Cromwellius 292, 293
Cleypolius 319, 327
Cleypolia moritur 327
Cliviæ Comes 228, 239
Clonmellium obsidetur, 168. deditur 170
Codanus sinus 324
Cokius tribunali Hibern. præfect. 182
Collingtoni ædes 220
Colonia Agrippina 283
Colranum capitur 176
Commerciis Scotorum invigilatur 263
Comparatio milit. Angl. & Hibern. 175
W. Comptonus Eques 286
Concilium Cromwellii, 274. discrepantia 275
Concilium Status 262, 335
Conditiones (*vid.* Propositiones) pacis 205, 207, 212
Conestabiles 254, 301
Conjuratio ingens, 229. in agris Cantabrig. Norfolciensi, &c. 230
Connacia 176
Connubiale vinculum 270
Cookius 230
Cooperus 318
Cootius, 144, 152. quæ capit in Ultonia, 170. in Connaciam venit, 176. Galviam obsidione cingit, 177. & capit 179
Cootius Junior, 190. ab Inchiquinio funditur 151
Copperspitum 221
Coppius 315
Corbetus 180, 190
Corcagiæ defectio 164
Corcarius 320
Coritani 285
Cornavii 285
Coronatio Regis 231
Cossaci 180
Cottingtonus 192
J. Coventrius 256
Craighallus 262
Craven Baro 203
Crawfordii Comes, 227. Crawfordii-Lindesii 261
Ol. Cromwellius Senior 331
Cromwellius Olivarius in Hiberniam parat, 141. in Momoniam se applicaturum simulat, 154. Dubliniam appellit, 157. Droghedam obsidet, 157. repulsam patitur, 158. postea victoriâ

victoriâ crudeliter utitur, *ibid.* cætera præsidia quàm facilè expugnat, 159. Wexfordiam pergit, 27. persequitur victorias, 160. stativa meditatur, 163. Momoniam defectione recipit & ibi stativa figit, *ibid.* dein in hostica movet, 166. Goram capit, 166, 167. Kilkenniam, 168. Clonmellium, *ibid.* 170. Bello Scot. præficitur, 215. prope Tiburnam magnâ frequentiâ convenitur, *ibid.* Generalis declaratur, *ibid.* ad Scotos scribit, 217. movet in Scotiam, *ibid.* ad prælium provocat, 218. Collingtoni domum expugnat, 220. Scotos vincit, 222. Torwoodam tendit, 232. in Angliam redit, 236. Wigorniâ Londinum pergit, 261. Pseudo-senatum iratus ingreditur, 267. & dissolvit, 268. novum adscisci, & qualem, 269, 270. solvit, 271. rerum habenas capessit, 171, 172, 279. seditiosos nautas reprimit, 280, 281. subdoratur conspirationem, 285, 287. Pseudo-Parliamentum convocat, 288. alloquitur, *ibid.* & secundò, 289. prensat omnes, 295. est inquietus, 298. carpento excutitur, 295. corrodit pecunias, 300. Indiam Occidentalem invadit, 305. insufflante Theologastro, *ibid.* scisci Pseudo-Parliamentum Nemo necem ei machinetur, 310. Regio titulo donaturi Senatores, 311. rationes, 311, 312. recusat, 313. copia datur successorem eligendi, 314. Protector declaratur, 315. periclitatur, 316. filium Richardum in rus amandat, 319. & gradatim promovet, *ibid.* scribit volones, 321. febre corripitur, 328. convalescentiæ confidens, 328, 329. Successorem designat, 330. Richardum hæredem nuncupat, *ibid.* moritur, *ib.* sepelitur, 334. Characterismus 296, 330

Rich. Cromwellius, 314, 319, 330. Protector salutatur, 333. manibus patris parentat, 334. Democratici struunt ei insidias, *ibid.* Parliamenti opem invocat, 335. Recognitionem imponit, 336. Præfectis intonat, 337. eum extrudunt, 190, 338, 341

Henr. Cromwellius in Hiberniam missus, 187, 319. in Angliam redit 190

Croneburgum Castrum 324

Crookius 286

Culhamus 169

Culmorum

Culmorum captum 170
Curia Juſtitiæ ſuprema 200, 230, 302, 321
Curluvii montes 174, 176, 189

D

Dafferius Baro 233
Dania 194, 278, 280, 339
Danverſius 317
Darlton 284
Daviſonus 302
Decimatio 300, 301
Dedupi Baro 226, 227
Delatores, 202. *vide* Illices, & Speculatores.
Delegati Hibernici celebrant Kilkenniæ conſeſſum, & diſcedunt, 167. Scoti, 262. Exercitus Anglicani, 269. Regii, 284
Demetæ 231
Democratici tumultuantur, 139. quibus Pſeudo-Senatus gratificari videri vult, 139, 140. in Hibernia, 186. in Anglia, 269, 271, 275. Cromwellium averſantur, 284, 285, 289, 317, 328, 334. Cromwellio moleſti 328
Deputatus Hiberniæ, 176. à Parricidis miſſ. 181, 187
Derbiæ Comes, 230, 237, 240, 241. capite plectitur, 242. Comitiſſa Manniam defendit 263
Dermitium 171
Derria, 152. ei ſuccurrit Owenus Row *ibid.*
Desborius 328, 334, 337
Devauxius 326
Dillonus 153, 155
Diſſenſio inter Scotos 218
Divanum 304
Divina Officia reſtituuntur Hibernis 187
Diviſio fundorum in Hibernia 184, 185
Dobuni 235
Dolmanus 279
Dominga civit. 306. aggrediuntur Angli 307
Doncaſtrum 320
Doneum capitur in Ultonia 170
Dorceſtria 250, 256
Doriſlaus in Belgium mittitur, 138. occiditur, *ibid.* ab Ordinibus vindiciæ fruſtra depoſcuntur, 139
Drakeus 230
Drogheda, 150, 156. capta ab Inchiquinio, 151. ejus obſidione Prorex Joneſium excutit, 156. oppugnat Cromwellius, defenſante Aſtono, 157. obſidetur & capitur 158
Drummondius 239
Dublinia, 144. ſe includit Joneſius, 149. Pontificios excludit, 150. obſidione cingere Prorex decernit, 150, 153. & fame deditionem extorquere, *ibid.* ſubſidia veniunt inſpectantibus militibus, 154. caſtellum proximum muniunt, 154, 155. ſed Joneſius erumpens fundit, 155. Dubliniam appellit Cromwellius 157

Doctorum literæ reſponſoriæ ad Scotos, 216. conſentiunt Cromwellium rerum habenas capeſſere 271, 275
Duna Britannica 232
Dunæ 281
Duncannonia 170
Dundalkia, 144. ab Inchiquinio capitur, 151. à Prorege firmatur, 156. eò fugiunt præſidiarii ab aliis locis 159
Dundrum capitur 166
Dundaſſius, 223. perterrefactus 225.
Dundea à Monckeo diripitur 261
Dundeani, 213. Natalitia Regis celebr. 232
Dunkerka, 192, 306, 325. obſidetur, 326. capitur 327
Dykus 321

E

EArlius S. Th. Doctor Rotomagi Regem inviſit 260
Eboracenſis Dux, 176, 192, 283, 308, 310, 325, 326, 327. ejus copiæ 308, 325
Eboracenſium conſpiratio, 285
Eccleſiæ Angl. Miniſtri, 292, 293, 301
Eccleſiaſtici, *vid.* Presbyteriani, & Clerus. Cœtus Eccleſiaſticus, 220, 228. demereri ſtudet Cromwellius, 292. eorum Cenſores 295
Edenburgum, 210, 213. capitur ab Anglis, 223. caſtrum obſiſtens expugnatur 224, 225
Edictum adverſus Regis celationem 253, 258
Eglintonius Comes 232
Eirenarchæ 270
Elapſus Regis admirandus 260
Eldenus Mercator 251, 253
Elizabetha Regina 143, 193
Elitium oppid. 261
Elſenburgum 324
Enis in Ultonia 171
Enisbuffen 184
Eniſcorven 161
Epiſcopus Avenionenſis, 298
S. Catharinæ à Lotharingio venit cum propoſitis 175. Clogeri à Cootio ſuſpenditur 170, 171
Fernenſis ſuſpenditur 180. Roſſienſis etiam à Broghilio 169
Equi Angl. 175. Hiberni *ibid.*
Equiſo Regem agnoſcit Bridportæ, 254. alius Charmuthæ 255
de Equorum caudis alligandis ſcitum 147
Erburius 315
Erneſcrought 184
Eſſexiæ Comes, 230. ejus exercitûs reliquiæ 305
Eſtionegium capitur 162
Ever-Mac-Mahon Epiſcopus Clogeri 161

Ewerſius tribunus 167
Exercitum ſcribit Hiberniæ Prorex, 148. de ſtipendiis ex proprio proſpicit, 149. ducit in Joneſium, *ibid.* in fugam conjicitur, 155. alium conſcribit, 159, 160. qualem 160
Exercitûs Anglicani petitio, 139, 265. Cromwellium ſiſtere molitur, 290. petitioni ſubſcribit 291
Exercitûs inſtructores, 300. tyrannis 301
Exonia 254, 255

F

FAber Ferrarius cum Rege confabulatur, 245. alius Wilmotum penè prodit 255
Fairfaxius, 215. levatur onere Generalis *ibid.*
Falconbergius Baro 319
Fames in Hibernia 183
Fanatici 269, 275, 293, 294
Fanſhawus 240
Farellus Paſſagium recuperaturus à Zankio funditur, maléque multatur, 165. trans Galviam pellitur, 177. ſub eo Hibern. reliquiæ diſceſſum paciſcuntur 182
Fecanum Normanniæ Rex appellit 259
Fernenſis Epiſcopus ſuſpenditur 178
Fethereda 166
Fiſa 226, 231
Fineagium capitur 169
Finglaſſia 150, 153
Fionia 323
Flandria, 325. piraticam interdicit venditionem, 140. Dunkerka 326
Fleetwoodus, 236, 239, 317. in Hibern. mittitur, 180. character, 181, 187. revocatur *ibid.* 328, 337
Flemmingius ad Scotos à Rege mittitur 205
Fœdus de novo urgetur 227, 267
Forbeſius ductor Regius 238, 240
Foreſta Sherwoodi 286
Fortha 213, 231
Fredericus Rex Daniæ 323, 324
Frendericus Baro 210
Fryus 315, 316
Fuenſaldagnius 308
Fuerna 327
Fuernes 161
Fundorum diviſio in Hibernia, 184, 185, 186

G

GAdes 309
Gallia noſtris linum interdicit, 140. vini commercium à noſtris interdicitur, *ibid.* dives pollicitis, 192. in Galliam transfretatur Rex, 259. contra Hiſpanum Cromwellio juncta bello, 308. opitulantur Angli 291
Galvia, 145, 164, 176, 177. ſe

se tradendum offert, 176. obsidetur & capitur, 179. noluit Proregi opitulari, *ibid.* peste tentatur, *ibid.* prope eam præsidia capiuntur 184
Gerardus 282
Germaniæ Imp. 191
Gibbonus 230
Giffordus 241
Glana fl. 160
Glascova 223
Glencarnius Comes 262
Gloceſtria, 235. Dux 195, 297, 327
Gluckſtadium 324
Goſſius 339
Goldenbrigia capitur 166
Goodſonus 324
Goodwinus Hibern. procurator 187
Gora expugnatur 166
Gordonius 226
Gorgius Doctor 249
Gottenburgum 324
Grayus 236
Grayus Baro 242
Greenwayus 282
Grenvillus 200
Grevelinga 326
Grevius 240
Groningæ Ordines 280
Grovius 287
Gunrerus 256
C. Guſtavus Suecus 323, 324

H

HAdina 221, 224
Haſnia 278, 324, 325
Halſeius 286
Hamburgum 281
Hamiltonia 232
J. Hamiltonius Dux 217
G. Hamiltonius Dux de novo fœdere aſtringitur, 227. exercitûs Scotici Dux proponitur, 232. vulneratur moritúrque 239, 240
Hamiltonius alter 239
Hammondius tribunus, 167. alius procurator Hib. 187
Hanſeaticæ naves 281
Harriſonus 235, 236, 268, 307, 339
Harriſtonum 171
Haſleriggus, 215. Scotos durè tractat 222
Hayneſius 253, 263
Healia oppidulum 256
Hebrides 262
Helveti 304
Henchmannus Doctor 256
Henricus Cromwellius 187, 190
Herculeæ columnæ 309
Heſſami planities 285
Hiberni ad Regem inclinant, 137. primi ab Anglis oppugnantur, *ibid.* in eam milites ſub Cromwellio mittuntur, 141. Hibernorum diſtributio, *ibid.* Primigenii, *ibid.* eorum caput, Nuncius Pap. 142. qui omnia miſcet, *ibid.* & Regi abrenunciandum ſuadet, 145. Regi in obſequium redeunt, *ib.* ſed pactis

His initis, 145, 146, 147. fallaces, 148, 149. diſſiliunt in partes, 159. renuunt contribuere, *ibid.* fuſi ab Axtelio, 174. eorum excuſatio 175
Hibernià integra potiuntur Parricidæ, 180, 182. & peſtis, 183. mercatura Hibern. 188. Perduellionis poſtulati omnes Pontificii, 185. tranſplantatio 189
H. Hide legatus ad Turcam occiditur 192
Ed. Hide in Hiſpaniam mittitur 191
Hide vidua Regem occulit, 256
Hillius 188
Hiſpaniam Cromwellius exagitat, 304. bellum indicitur 308
Hiſpaniolam aggrediuntur Angli 306
Hobbalii prædiolum 243
Holburnius 233
Holderus 302
Hollandia 280
Holſatiæ Dux 194, 324
Horniholdus 236
Hoſpitia Juri municip. ſtud. in Hibern. 146
Howardus 339
Huddleſtonus 246
Huetus 321
Hulla 320
Huntlæus 226, 228, 262.
Huſonus, 318. Dubliniæ præficitur, 160. ejus victoriæ 171

I

Jacobus R. 143, 311
Jamaica 307
Jana Lana 249, 251, 128
Jarſeia, 137, 173, 205, 263. Rex egreditur, 207. Inſulæ expugnandæ præficitur Hayneſius 253, 263
Iccius portus 325
Iceni 230, 236
Jedburgum expugnatur 224
Jenkinſius 239
Jepſonus 324
Jeſuitæ 294
Illices, *Trapans* 202, 203, 287
Imperator German. 191
Inchegarvy 233
Inchiquinius, 144, 172. perſequitur Equitatum ad Droghedam, 150. eum & Cootium fundit, 151. Droghedam capit, *ibid.* Farellum vincit & prædâ potitur, *ibid.* Dundalkiam, &c. capit, *ibid.* redit ad Finglaſſiam, 153. defectionem Momoniæ compeſcit, 163. ejus Uxor incarceratur, 164. Wexfordiam recuperaturus rejicitur, 165. prope Limiricum penè corripitur, 166. inter rebelles patitur 185
Independentes maximè grati Cromwellio 292, 294
India occidentalis petitur, 305
Ingolsbeius 139, 145, 166, 177, 339

Innerneſſia oppid. 261
Inquiſitio adverſus Eccleſiaſt. 172
Inſcriptio ſuperba 140
Inſtructores exercitûs, 261. eorum tyrannis, 301, 310 Cromwellio recalcitrant, 302 in ordinem rediguntur *ibid.*
Inſtrumentum Gubernationis 272
Joachimus Belgarum Legatus 198
Joannes Bapt. Renunc. *vid.* Nunc. Pap.
Mich. Joneſius, 144. extra Dubliniæ mœnia Proregem præſtolatur, 149. eum ludit, 150. corripit & ſuſpendio tollit affinem, 151. auxilium implorat Pſeudoſenatûs, 150. Proregis copias fundit, 155. Legatus Cromwellii denunciatur, 157. moritur 164
Theoph. Joneſius, 168. Hibern. procurator 180
Jounſtallus 279
Iretonus, 157, 158, 165, 166. Cromwellio in Hibern. ſuccedit, 171. ad hyberna Dubliniæ ſe recipit, 174. in Connaciam irrumpit, 176, 177. capto Limirico, 177, 178. peſte moritur, 178, 179. illius character 178
Iretonus alter 338
Judæi 308, 309
Judaiſmum redolent Decimæ 270
Judices Regni 286
Juliana Conisbeia 252
Juramentum Abrenunciationis 189
Jurati 302
Jus naturale, 270. municipale, 275. Jus in Hibernia 184
Juſtitiæ Curia ſub Cokio in Hibernia, 182. in Anglia ſub Keebelio, 201. ſub Cromwellio rectè adminiſtratur 292

K

KEebelius 201
Kenmorii Comes capitur 242
Kerrium prenſant Cromwellius, 223, 228, 229. perſequitur, 229. Lambertus fugat & capit *ibid.*
Kiddermonaſterium 241
Kildaria à Prorege capitur, 149 ab Huſono iterum 166
Kilkennia obſidetur, 167. capitur 168
Kilmalocum 171
Kiltenon capitur 166
Knockfergo ſublevando dum ſtudet Monrous, deletur 170
Knoctoverium capitur 166
Knoxius 238
Kytheus captus *ibid.*

L

LAgenia 151
Lambertus Hibern. deputat.

putat. eligitur, fruſtrà, 181. vulneratur, 218. Kerrium capit, 229. Fortham tranſit, 233. author ut Cromwellius rerum habenas capeſſat, 271, 289. exauctoratur 317, 328, 334, 339
Lanea Jana 247, 250, 251
Laneus 246, 247
Laſſelius 248
Latrones non diu concordes 264
Lauderdaliæ Comes 227, 240, 242
Lawſonus 317
Lechlinia capitur 171
Ledæ Marchio in Angliam venit, 306. occiditur 327
Legatus ad Hiſpanum, 191. Belg. Joachimus remittitur, 198, 199. Sanctjoneſius in Belgium mittitur, 198. quomodo tractatur, 197, 198. Whitlockius in Sueciam, 199. Bond à Sueco in Angl. *ibid.*
Leges Angliæ reformandas volunt Fanatici 270
Leggius tribunus 237, 286
Leitha, 217, 224. capitur, 223. Comes 227
Lentalius Orator 235, 289, 340
Leſleius Scotici exercitûs Generalis, 208, 217. fugit, 222. capitur 261
David Leſleius 220, 232, 239, 240, 241
Levinii Comes 261
Leviſtonus Baro, 228. ſervatur à Proceribus 241
Liga 267
J. Lilburnius 139, 302
R. Lilburnius 232, 237, 240
Lima 251, 253, 323
Limiricenſes 164
Limiricenſis Epiſcopus 178
Limiricum, 166, 178. obſidetur & traditur, 177, 178. ſemper Proregi minus obediens 178
Limpida ſylva 286
Liskelaghan 170
Liſleus 321
Literæ Regis ad Scotos 205
Scotorum ad Parricidas, 215. Ductorum Angl. reſponſ. 216
Cromwellii 217
H. Littletonus Eques 286
Livorna 279
Lockartus 262, 327
Lomuriæ montes 221
Londini conſpiratio 229, 320
Londinenſes, 235. eorum petitio 178, 190
Londinenſis Cromwellium Regem eligendum proponit 311
Lopeſius 310
Lorniæ Baro Argathelii fil. 213. ejus uxor 211
Lotharingiæ Dux, 288. ejus Procurator in Hibern. 175
Lovius 230
Louvre Pariſ. 283
Lubeca 281
Sancto-Lucarum *ibid.*
Lucas O-Toolius 183
Lucaſius 287
Ludimagiſtri 300
Ludlous Hiberniæ Procurator 180, 182.

Luguvallum 234
Lusitania 281
Lutetia Parisi. 260

M

MAdleya 244
Majores Generales 300, 301, 310
R. Malevererius Eques 286
Malignantes 219, 337
Mallorius 321
Mallovium, 164, 165. al. Mayolla.
Manasses Ben Israel 308
Manchestria, Mançunium 237
Mannia 137, 230, 237, 263
Manningus 287
Mansellus Mercator 258, 259
J. Marchius 262
Mardikum 325
Margraffia 170
Marsfeldia 249
Marsinus Generalis 320
Masseus, 228, 230, 232, 235, 237. capitur & evadit, 242, ejus exercitûs reliquiæ 305
Massius Regem frustrà persequitur 255
Mathematici frustrà metiendis Hibernorum agris insudant 186
Matrimonium 270
Mauritius Princeps, 162. mari perit 196
Medinæ Sidoniæ Dux 310
Mediterraneum mare 304
Medowus 281, 324
Megalopolitanus Ducatus 323
Menapii 160
Mercatura Hibern. 188
Merseius fl. 235
A. Mervinus 143
Midia 169
Middletonus, 226, 228, 262. equitatui præficit, 232, 239. capitur 242, 262
Milechum 174
Milfordiâ Cromwellius solvit 157. inde suppetias recipit 165
Milites in Pseudo-senatum iniqui, 264, 265, 266. de Cromwellii promotione sibi gratulantur, 271. veteranorum cum novitiis simultates, 185. plerique Anabaptistæ *ibid.*
Missa 294
Modena 160
Moguntiæ Episcopus 194, 298
Momonia, 144, 166. Cromwellio favet, 154. eò mittitur Inchiquinius, *ibid.* deficit, 163. ei insident rebellium reliquiæ 182
Monaghan 170
Monarchia Christi terrena 270
Monckeus, 144, 236, 242, 261. *Moß-Troopers* capit, 224. classis præfectus 280
Monrous Scotus, 143. à Cootio fundituf 170
Montacutius 309, 324
Montgomerius 227, 238, 240
Montisrosani Marchionis historia, 208, 194, 217, 223. capitur & indigne tractatur, 210. articuli in eum, *ibid.* condemnatio & mors 210, 211
Montmedium capitur 325
Mordantius 321
Morganus, 188. in Scotia, 262.

N

Mardikum defendit 325
Mori agri 235
Morum obſervator Cromwellius, 297. reformator 292
Moſcoviæ Dux 194
Ed. Moſeleius 262
Moſleia 246
Muſcleburgum 217,218,221
P. Muſgravius Eques corripitur Dumfriſii 261
Muskerius funditur 177

N

NAtalitius Regis dies 232
Naves MDCC captæ & ſubmerſæ, 280. Hanſeaticæ 281
Naum oppidulum 149,171
Nauta Regi aſſidet imprudens 259
Nautæ tumultuantur 280
J. Naylor 316
Nelſonus 165
Neoburgicus Princeps 297
Neoportus Baro 286
Neoportus Belg. Orator 277, 279, 280
Neoportus oppid. 240,242
Neorus flu. 197
Neurium ab Inchiquinio captum, 151. à Prorege firmatur, 156. ſe dedit 159
Nobiles Hibernos perſtringit Prorex, 164. Angli dedignantur Cromwellii Parliamento immiſceri 318
Norfolcienſes conjurat. 230
Normannicum jugum ſpirant Leges 270
Northumbriæ Comes 195
Novum caſtrum 222

O

Nuncius Papalis in Hibern. 142. omnia ſibi arrogat, 144. contemnitur, *ibid.* Galviam fugiens obſidetur, & diſcedit 145

O

OBlivionis Actus 264,300.
Ogilbeius, 208, 226, 261
Okeius 339
Oldenburgicus Comes, 299
Onealius,
Daniel 161
Hugo Boy 168
Mathematicus 298
Phelim 183
Owenus Row, 145. negat pacis articulis ſubſcribere, 148. paciſcitur cum Monckeo, 153. ſpe factâ cum Pſeudo-ſenatu conventurum, *ibid.* ſed luditur, *ibid.* Derriæ ſuccurrit, 152. Proregi in gratiam redit, 161. moritur 162
Opdamus Generalis 325
Orangiæ Princeps, *vid.* Auriac.
Orcades 262
Ormondiæ Marchio 144. cum Hibernis Kilkenniæ convenit, 145. inter rebelles patitur, 185. in Galliam mittitur ut Gloceſtrium abducat, 297. Angliam intrat, 320. ægrè evadit *ibid.*
Oſtenda 325
Overtonus, 285. Fortham tranſgreditur, 232, 233. eum liberant Parliamentarii 336
Owenus Row, *vide* Oneal.
And. Owenus LL. Doct. 262
Oxoniæ Comes 286

Oxoniæ

Oxoniæ tumultuantur milites 139

P

PAcificatores à Belgis 277, 279
Packerus 339
Pakingtonus 236, 286
Pannificia noſtra interdicta à Gallis 140
Pantaleon de Sa 282
Papalis Nuncius, *vid.* Nuncius
Parkerus Mercator 259
Parlamentum indicere in Hibernia tenetur Rex, 145. in Scotia, 228. *vid.* Pſeudoſenat.
Parricidæ Regias res edocti, 214. tremunt ad Regis adventum 234, 236
Paſſagium Hibern. 162, 165
Penderelli 241, 243
Penlandiæ montes 220, 221
Penningtonius 178
Pennius Thalaſſiarcha 306
Penruddockus 287
Periſtylium novum 282
Perrius à Belgis mittitur 277 279
Perryana ſylva 238
Peſtis in Galvia, 179. per Hiberniam 183
Petcombe Danus 339
Hen. Peterſius 252, 256
Petitio Londinenſ. 178, 190. gratulatoriæ à Provinciis, 291, 334. militum 139, 264, 265, 335
Pettie Medicus 186
Peytonus eques 283
Phelim Oneale. *vide* Oneal.
R. Philippius 256, 286
Philippus Hiſpan. R. 192, 193
Pickeringus 328
Pii à Cromwellio prenſantur 295
Pitchfordium 235
Polonia, 302. Rex 191, 194, 323
Pomerania 323
Pontana 150
Pontificii Dubliniâ extruduntur, 150. optimates ſequeſtr. 185. demulcet H. Cromwellius 188, 189
Poolium oppid. 259
Pope 249
Pophamius 162, 199
Portugalliæ Rex 194, 196, 197, 281
Portumnus 177
Portſmutha 257
Portus Iccius, Calliſſium 325
Potterus 230
Powickum 238
Præfecti exercitûs, 139, 269, 271, 289, 290, 291. Democratici in Richardum urgent 336, 337, 338, 339
Prælium Baroduni, 222. tormentorum, 221. trans Fortham, 233. Warringtoniæ, 235. Wigorniæ, 238. Belgarum maritim. 277, 278, 280. Dunkerkæ 326
Prætor Clonmellii 170
Londinenſis 190, 235, 338
Youghalliæ 163
Presbyteriani, 206, 284, 292, 293, 267. pro Rege conſpirant, 229. aliqui à Conſiliis

Cromw. 275. Regi ex parte benevolunt, 284. Scoti quomodo Regem tractant 213 214, 219, 226
Prestonus, 149. ejus vires fractæ, 144. Waterfordiam tenet 171
Prideus 290, 318, 321
Proceres Cromwellii 315, 318, 319, 320
Procuratores Hibern. 174, 180, 187
Proposita Exercitûs 266
Hibernorum 144, 145
Lotharingii 175, 176
Scotorum 205, 207
Protector 272
Pseudo-senatus Democraticis gratificatur, 139, 140. ludit Owenum Row, 153. ad Regis adventum tremit, 234. metuit sibi à militibus, 266. dissolvitur, 268. Scommata patitur, *ibid.* novus inducitur, 269, 270. sese abdicat, 271. alium indicit Cromwellius 288, 310, 319, 335

Q

Quæsitores duodecim 302, 303
Quatermannus 320

R

Rabriga 171
Rainsborius 320
Rathmines 154
Rauris fl. 176
Rebellionis Hibernicæ authores inquir. 182. Rex Car. ab omni notitia absolvitur 183
Regia capitur 177
Regii 275, 301. dubii quò se verterent 283
Regiminis instrumentum 272
Regina, 206, 214. Regi occurrit 260
Reginensis Comitatus 149
Regineus trajectus 233
Regicidium jactant Pseudo-senat. & milites 216, 264
Regium Nomen præfectis arridet, 271. & Leguleiis 311, 312
Registrum 271
Regni Susiexiæ 257
Reinoldus 154, 157, 165, 166, 169, 184, 325, 327
Remonstrantia Scotica, 228
Præfectorum 337
Renunciationis juramentum 189
Repræsentativam milites poscunt, 265, 266, 267
Repristinæ literæ 199, 276
Rex, *vide* CAROLUS.
Richius, 317. alter 318, 339
Riverius 321
Rochestriæ Comes, 285. *vide* Wilmot.
Rogersius 251
Rolletius Angl. Justitiar. 282
Rosianum 224
Rossiensis Episcopus, 169. suspenditur *ibid.*
Rostium 161
Roratio 267
Rothesiæ Comes 240
Rotomagum 259
Rouseus 270
Rubrum ædificium 220
Rupertus Princeps 162, 196, 197

Ruſſellus 286
Ruſtici in Scotos graſſantur 242

S

SAbaudia Pedemontana 304
Sabaudiæ Noſocomium 294
Sabrina fl. 237, 238, 244
Sacerdotale munus 270
Salopiæ Comes, 235. Comitatus, 241. conſpiratio detecta 285
Saltmarſhius 315
Salvator navis 281
Sambournus Mercator 259
Samſonus navis 281
Sancti-Johnſtoni opp. 227, 228, 233, 261
Sandvici Comes 309, 324
D. J. de Saniga 310
Sanctjoneſius 198, 266
Sarisburia 256, 286
Saxonici Reges 303
Scaccarii in Hibern. præfectus Berrius 188
Scania
Schaepius in Angliam mittitur 198, 277
Schiſmata inter Scotos ſpargit Cromwellius 223, 228
Sconiæ coronatur Rex 231
Scoti initio pendent incerti, 137. ſibi permittuntur, *ibid.* in Hiberniam quando introducti, 143. opitulantur Regi, 148. Polonici, 194. Carolum Regem agnoſcunt, 204, 205. de conditionibus diſceptatur, 205, 207. Delegatos ad Regem mittunt, 207. cum Parricidis expoſtulant, 215. ſe comparant in defenſionem, 217. Anglos aggrediuntur? 218. ad prælium nolunt venire, 220. ad Cromw. mittunt, 221. perſequuntur, *ibid.* prenſat nonnullos Cromw. 223. inflectuntur ad Regis obſequium, 227. Schiſmata inter eos ſpargit Cromw. 228, 223. Scotiæ Nobilitas, 261. Scotis Angli dominantur, *ibid.* munimentis coercent, *ibid.* ejurant Regem Scoti, 262. Judices ab Anglis patiuntur, *ibid.* armorum uſus interdicitur, *ibid.* qui ſunt à Conſiliis ſufficiuntur ab Anglis 262, 263
Seaforthius 226
Sectarii maximâ parte novitii milites in Hibern. 185
Sheffnalium 245
Sibaldus capitur 210
Sillinæ ſive Sigdeles, 137. infeſtandis rebellibus opportunæ, 199. capiuntur 200, 323
Simmoni ædes 257
Sinclarius 240
Sineon fl. 174, 177. pertranſit Iretonus, 177. circuit ferè Connaciam 189
Slego 176
Slingsbeius 195, 286, 321
G. Smithus 262
Somerſettanæ ædes 290
Somerſettenſis ager 323
Spea 213
Speculatores Cromwellii 202
Spencerus 189
Sponſalium nova publicatio 271

Spotswoodus capitur 210
Staffordia 241
Stainerius 309
Stanfordiæ Comitissa 242
Stapleius 321
Statutum de non importandis mercibus 276,
Stawellus 302
Steelius Cancellariæ Hibern. præficitur 188, 190
Sterlinga 221, 223, 229, 232. capta 261
Stewardus 331
Stonehengia 257
Stonius 279
Stourbrigium 241
Strages ad Droghedam quanta 158
Stratfordia 248
Straughanus, 209. in Cromwellianos impressionem facit, 218. prensatur, 223, 228. fugit, moritúrque 229
Stricklandius, 138. apud Ordines confessu privatur 197
Successorem eligendi copia datur Cromwellio 314
Sudburii porta 239
Sueciæ Regina 191, 194, 208. ad eam mittitur Whitlockius, 199. seipsam abdicat, *ibid.* in Italiam proficiscitur, 298. ejus Successor, 302, 323. ei congratulando mittit Cromw. 302
Suec. Legatus 291
Suffolcienses Conspir. 230
Suillius lacus 170

Suirus fl. 162, 166
Sullivanus O-Beare 182
Sundercomus 316
Sunta fretum 278, 324, 325, 339
Surria 320
Sussexia 257, 320
Swintonius 262, 263
Sycophantæ 202
Sydenhamus 328
Synottus 160

T

TAffus, 143, 144. præst Rossio, 161. tradit *ibid.*
Talboium 149
Talbottus Baro 235, 240, 242
Tantallonum expugnatur 224
Tauntona 323
Taxatio ingens in Hibern. 184 in Anglia, *ibid.*
Teamius fl. 237
Tekrohana 171
Tenariffa 322
Tetershallus Navarcha Regi trajiciendo fidem spondet 257
Texela 279
Thalassiarchæ forum 281
Thoroldus 302
Throgmortonus 237
Thule capta ab Anglis 262
Thurlous 299
Tilsleius 237
Tiperaria, 166. ei Zankius invigilat 177
Tivius fl.
Toleratio Relig. 292, 293
Tomlinsonus 190
Tongi castrum 241
Toopius 317

Torii latrones Hibern. 180, 184.
Tormenta quot in Edenburgi Castr. 225
Torwooda 232
Tractatores.
Transplantatio Hibern. 189
Tremulorum progenies 316, 332
Trenta 250, 256
Treverus 165
Trimmium capitur ab Inchiquinio, 151. firmatur à Prorege, 156. recipitur à Cromwellio 159
Tripolis 304
Trumpius Belgar. Thalassiarcha de Dominio maris admonetur, 277. prælium tamen init, *ibid.* occiditur 280
Trumpius Junior 279
Tunetum 304
Turbones 269
Turcarum perfidia 192
Turenius 308, 326
Tyrrhenum mare 279

V

H. VAneus Equ. 287, 340
Vectigalia.
Vectis insula 259
Venablius subsidio Dubliniæ venit, 154. ad Cootium in Ultoniam missus, 157. Cavæ comitatui invigilat, 177. præponitur copiis in Indiam occidentalem destinatis 306
Venetorum Legatus 196
Videgora oppid. 229
Vini commercium cum Gallis interdicitur 140
Virginia 137
Viride Castrum ab Inchiquinio capitur, 151. à Cromwellio recipitur 159
Visurgis fl. 324
Vlissingani 276
Ultoniam Scoti incoluerunt, 144. inibi quæ cœpit Cootius 170
Ulyssipona 196
Vowellus 282
Uptonia 237
Usserius Hiberniæ Primas 188
Utopiani 267
Uxbrigia 230
Uxor Inchiquinii incarceratur 164

W

Wagstaffius 286
Wallerus 190
Walleri exercitûs reliquiæ 305
Walwinus 139
Waristonus 232
Warringtonia 235
Warwicensis Comes 318
Washburnius 236
Waterfordia, 164, 165. Farello iniqua, 165. obsidetur ab Iretono, 171. capitur *ibid.*
Watersius 321
Wentworthius Baro capitur 242
Westfrisia 280
Westleius curio 255
Wexfordiam ducit Cromwellius, 160. capit, *ib.* Inchiquinius recuperaturus 165

W

Whalæus 229, 318, 339
Whitgravius 246
Whitladies 241, 245
Whitlockius 199
Wicklovia 161
Widderingtonius Baro 237
Widdringtonius Orator Pseudo-Parliam. 310, 314
Wigornia, 235. prælium, 238. miseranda facies 240
Wildmannus 285, 287
Willobeius Baro 200, 286
Wilmottus 228, 240, 245, 247, 250, 255, 256, 259, 285
Wiltonia 286
Windhamus Regem excipit 250, 251, 254
H. Windhami equitis rimantur ædes 256
Windramus à Scotis ad Regem missus, 204. remittitur 205
Winoxberga 327
Winteri ædes 248, 251
Wolphius 244
Woodcockius 321

Y

YAtes 243
Youghalia 163
Yperæ 327

Z

ZAnkius, 177. malè multat Farellum 165
Zelotæ 269

FINIS.